

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

OMNIA OPERA

QUÆ VULGO EXSTANT SUB NOMINE

L. A. SENECAE

PHILOSOPHICA

DECLAMATORIA ET TRAGICA

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

L. ANNAEI SENECAE

PARS TERTIA

SIVE

OPERA TRAGICA

QUÆ AD PARISINOS CODICES NONDUM COLLATOS

RECENSUIT

NOVISQUE COMMENTARIIS ILLUSTRAVIT

STUDIOSA PROFESSORUM SOCIETAS

IN ACADEMIA PARISIENSI

VOLUMEN SECUNDUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

PORSEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXII

OPTIMO LECTORI
BIBLIOTHECÆ LATINO-CLASSICÆ EDITOR
S. P. D.

Ecce alterum Senecæ Tragici volumen prodit, amice lector, sed non ab eadem manu profectum, qua prius: neque est quod tu doleas: idem enim in utroque propositum, eadem ratio, similes copiæ, par diligentia: mutatum vix sensit aurigam immissus dato spatio currus; ita primum munita via et complanatæ salebræ fuerant! Præcipuas igitur grates ago habeoque docti et elegantis ingenii viro, *qui bene cœpit;* præsertim quum non volens cessaverit, sed quadam vi maxima fuerit distractus aliorsum: ille est *Julius* Pierrot, quem meritis cumularem laudibus, nisi jampridem collegam et amicum habere superbirem: namque tomo priore nuper edito, jamjam ad hunc pariter adornandum sese accinxerat, quum repente a privatis studiis ad publica vocatus officia, et administrando Ludovici Magni Gymnasio præpositus, longe difficiliorem eoque nobiliorem suscepit provinciam. Ubi tum meditantis animi quies? ubi ponderantis ingenii otium? Valeant *dulces ante omnia* Musæ; facessant libri typis excudendi; *utile dulci* præferatur, nisi bono cuique *dulcissimum* id quod pluribus *utile* est. Ergo quum nec posset, nec vellet eximius vir remittere aliquid de curis quas operosæ domus negotiis et Gallicæ juventuti liberaliter instituendæ devoverat; me vero Bibliothecæ hujus latino-classicæ architectum necessitas imponendi quam citissime ædificio tanto fastigii urgeret; tunc ego relictas ab illo partes, aliis professoribus non minus doctis delegavi, quorum peculiare hoc munus fuit, ne sine causa discederent a prioribus vestigiis, sed ut clarissimi præcessoris consilium mentemque prompta sedulitate mecum continuarent.

Qua in re peragenda tam acrem adhibui mentis et oculorum contentionem, ut ipse pro certo affirmarem, in hoc etiam, sicut in priore volumine, pariter repertum iri:

1° Collatam summa fide recensionem textus cum manuscriptis codicibus editionibusque optimis (vide tom. I præfationem et not. pag. 158);

2° Commentaria non tam circum syllabas scrupulose pensitandas occupata, quam enucleandæ difficilioris cujusque loci sententiæ intenta; nec philologicis modo, sed literariis et, ubi res postulat, philosophicis observationibus diversisque imitationibus insignita;

3° Variarum lectionum silvam, criticasque de textu constituendo *Animadversiones* post cujusque Tragœdiæ finem amandatas.

Quid plura, doctissime lector? effectum est sane, ut nihil desiderares, quod ab ipso prioris tomi conditore promissum fuisset; dico etiam, quod tu speravisses : is enim paucorum hominum est, a quibus majora semper pollicitis exspectantur et accipiuntur.

Laudis abunde nobis erit, si quod promisimus, totum præstare; si hoc anno contingere licuerit finem, ad quem anhelantes magis nostra impellimur voluntate, quam tua cupidine trahimur. Jam propinquat ac pæne lucet optatus dies, quum ultimum laboris nostri fructum tibi offerentes, non jam preces, ne favere desinas; sed quod tamdiu faveris, gratias addemus. Tum si quid de antiquis Latinorum literis bene meruisse nos agnoveris, suffragio tuo læti gratique acquiescemus; nec quindecim nostræ ætatis annos, tot laboribus ac vigiliis, tot curis ac molestiis impensos, si hoc pretio conciliandus fuisti, parvo fœnore collocatos arbitrabimur. Vale atque iterum vale.

Scribebam Parisiis, aprili mense 1832.

N. E. L.

HIPPOLYTUS

DRAMATIS PERSONÆ.

HIPPOLYTUS.
PHÆDRA.
THESEUS.
NUTRIX.
NUNTIUS.
CHORUS CIVIUM ATHENIENSIUM.
FAMULI VENATORII.

ARGUMENTUM.

Pepererat Antiope Amazon Theseo Hippolytum; qui, quum, venationi deditus, Dianam coleret Veneremque aversaretur, cælibem vitam ducere decreverat. Capta illius pulchritudine Phædra noverca, amore vesana, dum abest apud Inferos Theseus, juvenis castitatem blanditiis et precibus expugnare conatur. Impudicam a se feminam Hippolytus repellit. Igitur deprehensa, mutat amorem in odium; et, reverso Theseo, insimulat privignum oblati per vim stupri. Fugerat Hippolytus impudicam domum: sed, dum alio properat, ecce ibi taurus marinus a Neptuno ad diras Thesei imprecationes immissus; qui, se ante currum sistens, quadrupedes consternavit. Hi, contempto imperio, quadrigam deturbant, cadentisque corpus per saxa et vepres distrahunt atque dilaniant. Comperta nece, Phædra rei veritatem marito aperit, seque super laniatos artus gladio transfigit. Theseus plangit innoxii filii casum, suamque præcipitem iram dirumque votum detestatur. Laniatos artus colligit, et, quo meliori potest modo, componit.

*Scena Athenis**.

* Sed apud Euripidem et nostratem *Racine*, Trœzene.

L. ANNÆI SENECÆ

HIPPOLYTUS*.

ACTUS PRIMUS.

HIPPOLYTUS, FAMULI VENATORII.

ITE, umbrosas cingite silvas,
Summaque montis juga Cecropii

* HIPPOLYTUS. Sic tragœdiæ inscriptæ sunt: Euripidis, quæ exstat; Lycophronis a Suida laudati, quæ interiit; item Sopatri, quam memorat Athenæus. Veteres libb. nonnulli hanc tragœdiam vocant *Phædram;* atque ita indicat Priscianus, lib. VI; etiam *Phædra* veteri libro Lipsii dicitur. Cur nostras *Racine* suam *Phædræ*, non *Hippolyti*, nomine inscripserit ratio est, ni fallor, quod Phædra gallico in dramate partes occupat et graviores, et multo magis honestas quam in Seneca, ubi impotenti et fœdo amore regia dignitas deprimitur. Tragœdiam hanc *divinam* proclamat Heinsius, quæ paucis Latinorum cedit; et quæ sane, nisi Troadas excipias, nulli est secunda. Vir Cl. *Amaury Duval*, in notis versioni gallicæ subjectis, ait videri sibi Senec. Hippolytum multo magis quam Euripidis excellentem, quod attinet ad fabulæ œconomiam. Plura cæterum invenies de Hippolyto et exquisite judicata et apte comparata in libb. *Théâtre des Latins*, *Théâtre des Grecs.* Ubi vide: neque enim nostri instituti, neque hujus loci est, ista singulariter persequi.

Act. I, sc. I. Hippolytus varia loca et munera ministris et venationis comitibus dispertit; Dianamque venationis deam invocat.

1. *Ite.* Alloquitur famulos venatorios, quibus suum assignat cuique locum. — *Cingite.* Indagine, ait Farnabius, odora canum vi, retibus. Cur non simpliciter, vestra turba, vestro numero? Vertit gall. interpr. *dispersez-vous autour*, etc. bene ad sensum, ut credimus.

2. *Summa juga mont.* Proprie *jugum* est montis cacumen; et dictum est, quia jungitur et in arcum arctatur. — *Montis Cecropii.* Hic mons situs erat prope urbem Athenas; cui urbi primum Cecropia nomen, a conditore Cecrope; tum Athenæ,

Celeri planta lustrate vagi;
Quæ saxoso loca Parnethi
Subjecta jacent; et quæ Thriasiis
Vallibus amnis rapida currens
Verberat unda. Scandite colles
Semper canos nive Riphæa.
Hac, hac alii, qua nemus alta
Texitur alno; qua prata jacent,
Quæ rorifera mulcens aura,
Zephyrus vernas evocat herbas;
Ubi per graciles lenis Ilissus,

io hooorem Minervæ. Regoare incepit Cecrops et nrbem coodidit aooo 1556 aote Christ. Apollodor. Bibl. lib. II.

4 sqq. *Saxoso loca*, etc. *Thriasiis*, etc. Hæc, et molta alia, scil. 11, 13, 22, 28, 33, 46, etc. io tota denique fabula, varie pro variis editt. leguntur. Ne autem videamur aut errori typographico locum permisisse, aut incousultius haoc illamve lectiouem admisisse, recurrere semper libeat ad calcem tragœdiæ uniuscujusqoe, ubi, in *Animadversionibus*, longa sedulaque fuit veri textus indagatio.— *Quæ...loca*. Ordo est: « Lustrate loca quæ jaceot subjecta Parnethi saxoso. » Et *Parnethi*, sume dativo casu, a *Parnes*, *Parnethis*. — Πάρνης, Atticæ moos erat, prope Hymettum, Thucydidi, Aristophani, Luciaoo, Straboni, Stephanu laudatus, item Pausaoiæ in Atticis; oobilis copiosa ursorom et aprorum venatione, et super quem ænea conspiciebatur Jovis statua. Aristophanes extulit alibi femioino, alibi masculino geuere.

5. *Thriasiis vallibus*. Thria, vicus Atticus in tribu OEooa. Thucydid. I, cxiv; Strab. IX, in Attic. Ed. Reg. 1620, p. 395. Coostr. « et loca quæ amois curreos vallibus Thriasiis (intra valles Thriasias) verberat unda rapida. »

6. *Amnis*. Cephisns is est, qui a septemtriune Atticam influebat; et regio ex præcedentibus designatur.

8. *Canos nive Riphæa*. Per hypallagen dicitur; agitur eoim de nive iodurata a Borea flaote a Riphæis montibus Scythiæ.

9. *Hac*, *hac*. Vivide repetitur, et junge: « io eam partem, in *qua*. »

10. *Texitur*. Bene exprimit opacam et pulchri aspectus silvam. — *Qua*, adverbium; *quæ*, vs. seq. refer ad *prata*.

11. *Mulcens*. Ovid. Met. I, 107: « Mnlcebant Zephyri oatos sine semine flores. » Similiter omnino sonat gallica vox, *caresser*.

12. *Vernas herbas*. Non veris solum, sed perpetui veris jucunditas innuitur. Et opponitur *nivibus*, vs. 8.

13. *Ubi per graciles*, etc. Sensus plenior est: hac ite alii, ubi leois Ilissus labitur piger per agros gra-

Uti Mæander super æquales,
Labitur agros piger, et steriles
Amne maligno radit arenas.
Vos, qua Marathon tramite lævo
Saltus aperit; qua comitatæ
Gregibus parvis nocturna petunt
Pabula fœtæ. Vos, qua tepidis
Subditus austris, frigora mollit
Durus Acharneus. Alius rupem
Dulcis Hymetti. Parvas alius
Calcet Aphidnas. Pars illa diu

ciles, uti, i. e. cum anfractu riparum tam multiplici, quam Mæander labitur in Phrygia, super agros æquales, et ubi idem Ilissus radit amne maligno arenas steriles. — *Graciles.* Agri Attici, non uberes, non pingues, sed sicci et macri et steriles; terra τραχεῖα, ut eam vocat Plutarch. in Sulla. Ed. Reg. 1624, p. 461. — *Ilissus.* Sinuosissimum flumen, et videtur ab εἰλίσσειν, *convolvi*, nomen ejus ductum. — *Super æq.* Inter æquales agros labi Mæandrum confirmat Strabo, XII, Cyzic. Ed. sup. citat. p. 577, τὸν Μαίανδρον, προσειληφότα καὶ ἄλλον ποταμὸν Ὀργᾶν, δι' ὁμαλοῦ φερόμενον πρᾶον καὶ μαλακόν.

15. *Piger.* Dictum ob flexuosas et in se remeabiles aquas.

16. *Amne maligno*, parco, non irrigante terras; quia, ut bene Gronovius, nullum limum, quo agri fœcundi fiant, adducit, sed steriles volvit arenas. In Mæandro contra est. Vide Plinium, Histor. Nat. V, xxix, § 2 et 3, et Senec. Phœniss. 605. Baden.

17. *Marathon.* Ex urbibus Tetrapoleos Atticæ una, Miltiadis victoris de Persis insignis. Farnab. — *Tramite lævo saltus*, etc. Indicat secretos densosque locos; quod optime feris convenit.

19. *Nocturna petunt pabula*, etc. Feræ comitatæ fœtibus noctu pascuntur. Et per hæc indicatur, vix oriri solem, quum Hippolytus suos dimittit ad sic opprimendum timidius agmen, vix expergefactum.

20. *Fœtæ.* Hæc vox sæpius pro *prægnantes;* verum, pro eis quoque quæ jam pepererunt. Virg. Æneid. VIII, 630: « Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro Procubuisse lupam. » — *Qua tepidis*, etc. Qua Acharnei meridionalem Atticæ partem incolunt; vel, qua mons saxosus, prope Acharnas, vicum Atticæ, mollit frigora. Farnab.

22. *Durus Acharneus.* I. e. laboris patiens. Ἀνθρακεῖς ex illis producit Aristophanes, et ἀγροίκους vocat.

23. *Dulcis Hymetti.* Dulcis, propter mellis copiam. Idem ille mons, clarus marmore.

24. *Aphidnas.* Vicum Atheniensium, in tribu Antiochida, etiam

Vacat immunis, qua curvati
Litora ponti Sunion urget.
Si quem tangit gloria silvæ,
Vocat hunc Phlyeus; hic versatur
Metus agricolis, vulnere multo
Jam notus aper. At vos laxas
Canibus tacitis mittite habenas.
Teneant acres lora Molossos,
Et pugnaces tendant Cretes
Fortia trito vincula collo.
At Spartanos (genus est audax

Titacidem dictum, ubi Theseus Helenam raptam occultavit. Nomen accepit a Thesei socio, Aphidno, de quo Plutarch. in Thes. ed. cit. p. 15. Vid. Diod. Sic. lib. IV, cap. LXIII; Pausan. in Attic. et Strab. lib. IX, Achaia, ed. cit. pag. 396. Stephanus docet Aphiduam differre ab Aphidnis. — *Pars illa*, adde « ruris, camporum. » — *Diu*, jamdudum.

25. *Immunis*, a nostra venatione.

26. *Ponti*, scilic. Ægæi. — *Sunion*. Promontorium Atticæ, de quo Pomponius Mela, lib. II. — *Urget*, proprie dictum de promontorio; quum Sunion longius sese in altum provehat, maris se circum flectentis litora *urget*, id est, promovet, vel summovet, ut ait Horstius, Carm. II, Od. XVIII, 20.

27. *Si quem tangit gloria silvæ*. Intellige : « Si quem tangit ea gloria quæ in silvis, id est, in venatione silvatica potest comparari. »

28. *Phlyeus*. Is δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς, ut Hesychius, ἢ τῆς Κεκροπίδος, ut Harpocration. Aristoph. Vespis, act. I, sc. III, vs. 5 : Εὐεργίδης ἄρ' ἐστὶ ποῦ 'νταῦθ' ἢ Χάβης ὁ Φλυεύς; Vide Meursii populos Atticæ. GRON. — *Hic*, in hac silva.

29. *Metus agricolis*, etc. Cf. cum apro Calydonis, Ovid. Met. Epist. XX, 101. — *Vulnere multo*, dato, sparso, ni fallimur, potius quam accepto. Utrumque proponit sensum Farnabius; priorem interpres gallicus.

30. *At*. Particula qua indicat, per gloriæ amorem non prohibendum, quin caveant et prudentes sint.

31. *Tacitis*. Non argutis clamosisve, ut sunt Molossi.

32. *Acres Molossos*. Aliud canum genus alia qualitate designat. Epirotici canes sunt Molossi qui fortitudine laudantur, ut Spartani seu Lacones, velocitate. FARN.

33 sq. *Et pugnaces*, etc. Sensus est : et canes Cretes, genus pugnax, tendant, extendant, venandi impatientes excutiant, vincula fortia quibus teritur ipsorum collum.

35. *At*. Opponitur libertati quæ fit præcedentibus. — *Spartanos*. Spartani seu Laconici canes ab Eustathio, Aristæneto in Epistolis, Oppiano et Nemesiano in Cynegeticis, 105, Virgil. Georg. III, 44,

Avidumque feræ) nodo cautus
Propiore liga. Veniet tempus,
Quum latratu cava saxa sonent:
Nunc demissi nare sagaci
Captent auras, lustraque presso
Quærant rostro, dum lux dubia est,
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet. Alius raras
Cervice gravi portare plagas,
Alius teretes properet laqueos.
Picta rubenti linea penna

demum Sophocle, Nonio et Claudiano, XXIV, 3, 300, commendantur. Dela.

36. *Avidum feræ.* Intellige, « nimis avidum irruendi imprudenter in feras, quas opprimere oportet. »

37. *Nodo propiore*, arctius, ita ut dextræ retinenti sint propiores. — *Veniet tempus*, feris scilicet excitatis.

38. *Quum latratu cava saxa sonent.* I. e. quum saxa impune poterunt resonare eorum latratibus. Sunt qui libenter admittant ordinem sic esse: « quum sonent saxa, » id est, quum faciant ea sonantia; et quibus videatur ita totius sententiæ series melius secum constare, per verba: *sonent*, *captent*, *quærant*, uni, nempe τῷ *canes* referenda nominativo.

39. *Demissi.* Prona cervice, demissis in vestigia recentia naribus.

40. *Auras*, quas corpora ferarum emiserunt. — *Lustra quærant.* Investigent per lustra. — *Presso*, i. e. tacito; sine ullo latratu; vel rostro ad terram se applicante.

41. *Dum lux dubia est.* Jam v. 19, agnoveramus solem vix oriri. Facit huc locus Apollonii, Argonaut. IV quem convenientissime repræsenta. Baden. Ἀργόται, οἵ τε κύνεσσι πεποιθότες οὔποτε νύκτα Ἄγχαυρον κνώσσουσιν, ἀλευάμενοι φάος ἠοῦς, Μὴ πρὶν ἀμαλδύνῃ θηρῶν στίβον ἠδὲ καὶ ὀδμὴν Θηρείην, λευκῇσιν ἐνισκίμψασα βολῇσι.

42. *Pedum*, impressa pedibus ferarum vestigia.

43. *Raras.* Vox in simili loco usitata. Virgil. Æneid. IV, 131.

44. *Gravi*, gravata sub pondere. — *Portare*, supp. properet, v. 45.

45. *Teretes laq.* Tereti filo factos. Vox pariter consecrata. Horat. Od. lib. I, 1, 28. *Plagæ*, auctore Servio, proprie sunt funes, ad quos appendebantur retia, seu *laquei*, quibus sese implicabant feræ.

46. *Picta*, etc. Ordo est: *Linea picta penna rubenti.* Et *linea*, seu *formido*, genus retis plumis versicoloribus iisdemque ustulatis intertextum, quod visu et odore feras tenebat; ita ut eæ vel in veros casses, vano terrore impellerentur, sicut innuit Lycophron; vel dum latratu

Vano cludat terrore feras.
Tibi libretur missile telum.
Tu grave dextra lævaque simul
Robur lato dirige ferro.
Tu præcipites clamore feras
Subsessor ages. Tu jam victor
Curvo solves viscera cultro.
Ades en comiti, Diva virago,
Cujus regno pars terrarum
Secreta vacat : cujus certis

canum attonitæ, insequentem a tergo bastatum equitem fugiebant, et circnm lineam vagantes, ab occultis sagittariis certo ictu sternerentur. Quam venationem significat Sen. de Clem. lib. I, 5, 5, et de Ira, lib. II, c. 12, 2. *Formidinis* texturam docet Gratius, in lib. de Venatione; docet, sed multo fusius, Pierius, lib. VII, Hierogl.

47. *Cludat*, inclndat, claudat; et totum hoc intellige, « penna, vanum, mendacem, inspirando terrorem, faciat, ut feræ includantur laqneis. »

48 sq. *Tibi libretur*, etc. *Tu grave*, etc. Varios e veuatoriis famulis alloquitnr.

49 sq. *Grave robur lato ferro.* Supple, *armatum lat. ferr.* et lignum quo constat spiculum, sumit pro spicnlo ipso.

51. *Præcipites clamore feras ages.* Clamando feras excitabis, et facies ut præcipites, prono capite, iu retia irruant. Videre licet in libro Xenophontis, cui titulus, Κυνηγετικὸς λόγος, quibus et quam variis clamoribus immittebantur, vel inhibebantur, vel dirigebantur canes venatici. Ibi quoque videre est solemnem usum fuisse, ante venationem incœptam, Apollinem Dianamqne invocare, promissa prædæ parte.

52. *Subsessor.* Qui clam, qui quasi sublatens, et in angulo sedit. In venatione et in exercitu subsessores proprie dicuntnr, qui sunt in insidiis. Fabric.

54. *Ades*, adesto, adsis, faveas. — *Comiti*, illi qni se tibi comitem addixit et cultorem. Vide Euripid. Hippolyt. coronat. vs. 61, sq. ubi pariter Dianam invocat et alloquitur Hippolytus.

55. *Cujus regno*, etc. Dativns hic est casus *regno*; et sensus est: « cujus dominationi attribuitur pars secreta terrarum. » Quæ autem illa pars secreta? Ambigitur apud Farnabium inferinc siut; easdem enim partes Diana agebat quas Proserpina; an nemora, silvæ, ferarum lustra. Vult posteriorem hunc sensum, altero excluso, recipi Badenius, tamquam convenientem melius « dominæ saltuum reconditorum, » ut eam vocat Catullus, XXXIV, v. 11; et buic libenter nos assentimur.

Petitur telis fera, quæ gelidum
Potat Araxen, et quæ stanti
Ludit in Istro. Tua Gætulos
Dextra leones, tua Cretæas
Sequitur cervas : nunc veloces
Figis damas leviore manu.
Tibi dant variæ pectora tigres,
Tibi villosi terga bisontes,
Latisque feri cornibus uri.
Quidquid solis pascitur arvis,
Sive illud inops novit Garamas,

58. *Araxen*, fluvium Armeniæ. —*Quæ st. l. in Istro.* Quæ ludibunda percurrit Danubium, in Germania ortum, frigore congelatum. Farn.

59. *Gætulos leones.* Adnotat Delrius ad hæc : « Negat Homerus Dianam leonum venatione delectari : scilicet, quia de Taygetis et Erymantho illi sermo, quæ loca leonibus carent. »

60. *Cretæas cervas.* Eodem sensu, quo nuper Delrius, Bad. ait : « erravit hic Noster idem, quod Virg. IV, 70 : « . . . qualis conjecta cerva sagitta, Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit Pastor agens telis. . . » Ubi Heyn. « Capra forte melius a poeta fuisset memorata, quandoquidem ex Solino, c. 17, constat, *agrum Creticum silvestrium caprarum copiosum fuisse, cervo eguisse.* Adde Plinium, VIII, 58, § 3. Edit. nost. vol. III, pag. 567. Excusanda tamen talia in poeta, etsi non commendanda. » Quasi utroque in loco decretoria debuisset ferri sententia : sic certe apud poetas Creta cervis nobilis, et dictamno, cujus usum docuerunt cervæ.

63. *Tibi dant pectora.* Concidunt, dum adverso pectore irruunt. — *Variæ*, maculosæ.

64. *Tibi terga*, sup. *dant*, et intellige, « figuntur, dum terga vertunt. » — *Villosi bisontes.* Boves silvestres. *Bisontem*, Bell. Gall. lib. VI, XXVI, Cæsar cervi figura esse scribit, a media fronte inter aures unum cornu exstare valde excelsum et rectum, et ab ejus summo ramos, sicuti palmas, late diffundi : collum jubis villisque contextum (unde Plinio, lib. VIII, c. 15, 1, *jubati*), tradunt Strabo, lib. IV, Alpes, ed. cit. p. 208, et Solin. c. 29. Agit de iisdem Wotton. VI, 92. Delr.

65. *Latis cornibus.* Fingit εὐρυμετώπους, ut loquitur Hesiodus, quod Plaut. Truc. II, II, 22, *patales* reddidit. Delr. — *Uri*, feri boves apud Germaniam vi et velocitate excellentes.

66. *Quidquid pascitur.* Omnes feræ, omnia animalia quæ pascuntur. — *Solis*, desertis.

67. *Illud*, scilic. hanc feram. — *Inops Garamas.* Interioris Africæ populus egenus et vagus.

Sive illud Arabs divite silva,
Sive ferocis juga Pyrenes,
Sive Hyrcani celant saltus,
Vacuisque vagus Sarmata campis,
Arcus metuit, Diana, tuos.
Tua si gratus numina cultor
Tulit in saltus, retia vinctas
Tenuere feras; nulli laqueum
Rupere pedes; fertur plaustro
Præda gementi. Tum rostra canes
Sanguine multo rubicunda gerunt;
Repetitque casas rustica longo
Turba triumpho.

68. *Arabs divite silva.* Arabs dives ex silva, aromatum feraci.

69. *Ferocis juga Pyrenes.* Montes Pyrenæi, a Pyrene, filia Bebrycis; quia ibi fuit compressa ab Hercule, ut volunt fabulæ. Vel ἀπὸ τοῦ πυρὸς, propter incendium, quo flagravit illorum montium silva, injecto a pastoribus igne. *Ferox* dicitur Pyrene, ab incolarum feritate.

70. *Hyrcani saltus.* Hyrcania Scythiæ contermina. FARNAB.—*Tigres*, Virg. Æn. IV, 367.

71. *Vacuis campis.* Incultis, solis, sine oppidis. — *Vagus*, carens certis sedibus.

73. *Tua si gratus*, etc. Vult intelligi Farnabius : « Si cui numen tuum invocanti, partem prædæ voventi, venationem rite adgresso, adfueris prædam largita. » Explicat Botheus : « Si plenus tui numinis silvas intravit cultor. » Posteriorem hunc sensum magis libenter acciperemus.

75 sq. *Nulli laqueum Rupere ped.* Id est, nulli pedes ferarum, nullæ feræ. — *Rupere laqueum.* Horatius, Od. I, 1, 28, refert aliquid prorsus simile : « seu rupit teretes Marsus aper plagas. »

77. *Præda*, i. e. fera victa, capta. — *Gementi*, pro *stridenti* ponitur, ut apud Virg. Æn. XI, 138. — *Rostra*, rictus.

79. *Repetitque casas*, etc. Præter hanc triumphalem pompam venatoriam penates cum magna præda repetentium, celebrabantur idibus Augusti festa in honorem Dianæ. Venatores scilicet, eximio cultu, facibus armati, necnon omni venatica supellectili, canes producebant vittis ornatos, veniebantque rite sua quisque dona oblaturi Deæ, cujus opem et imploraverant, et impetrare contigerat. Athenienses offerebant hircum, hædum niveum, vel taurum. Ad tempus usque Lycurgi humanæ victimæ in aris cædebantur apud Lacedæmonienses. Vide Apollod. I, 40, et III, 5; Pausaniam, VIII, 3 et 37; Cicer. de Nat. Deor. lib. III.

En, diva favet: signum arguti
Misere canes. Vocor in silvas.
Hac, hac pergam, qua via longum
Compensat iter.

PHÆDRA, NUTRIX.

PHÆD. O magna vasti Creta dominatrix freti,
Cujus per omne litus innumeræ rates
Tenuere pontum, quidquid Assyria tenus
Tellure Nereus pervius rostris secat;
Cur me in penates obsidem invisos datam,
Hostique nuptam, degere ætatem in malis

81. *Arguti.* Latratibus insonantes.

83 sq. *Qua via long. Compensat iter.* Per iter magis compendiosum. FARNAB.

Act. I, sc. II. Phædra amore Hippolyti ardere se fatetur apud nutricem, frustra eam a tam nefando amore dehortantem.

85. PH. *O magna*, etc. « O patria mea, Creta insula, ad dominatum maris sita. » Nam Minoa sibi et vicinas insulas, et maximam partem Græciæ subdidit. FARN.

86. *Per omne litus*, secundum, juxta litora quæcumque.

87. *Tenuere*, tenere solent; ut passim præterita. — *Quidquid*, in ea omni parte, quam. Quantacumque sit ponti pars quam secat, etc. id est, quidquid est spatii ab Syria usque ad contrarias partes, quod dividit vel interluit Nereus pervius navibus. GRON.

88. *Pervius rostris.* Vocem *rostris* dativo casu sumendum. — *Rostris*, navium proris.

89. *In penates*, etc. « Traditam, quasi obsidem, odiosis penatibus Thesei. » Cur se *obsidem* Theseo *datam* appellet Phædra vix liquet; nec mentionem ullam facit Plutarchus, qui omnium qui exstent in vita herois enarranda plurimus est. Forsan indicare vult Phædra, se ipsam sibi videri furoribus Thesei obnoxiam, et, ut fit obsidibus, arbitrio permissam viri quem Minotauri, Minois, Ariadnæ memoria, in subitos furoris impetus potest trudere. Aut simplicius est forsan admittere Cretenses, quos alloquitur hic Phædra, Thesei armis aliquando coactos, huic conjugem dedisse Phædram, regiæ stirpis reliquam prolem, et quam voluerit sibi tradi Theseus, vel tamquam fidelitatis Cretensium pignus, vel quia amabat eam. — *Invisos.* Loquitur mulier impotenti et adultero amore obcæcata.

90. *Hosti*, Theseo, qui Atheniensis est; qui Minotaurum occidit;

Lacrimisque cogis? profugus en conjux abest,
Præstatque nuptæ, quam solet, Theseus fidem.
Fortis per altas invii retro lacus
Vadit tenebras miles audacis proci;
Solio ut revulsam regis inferni abstrahat,
Pergit furoris socius : haud illum timor,
Pudorque tenuit : stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quærit Hippolyti pater.
Sed major alius incubat mœstæ dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor
Solvere curis : alitur et crescit malum,
Et ardet intus, qualis Ætnæo vapor

qui deseruit Ariadnen, sororem meam; qui deseruit me.

91. *Cogis.* Vid. not. vs. 89.

92. *Nuptæ*, mihi quam nunc uxorem habet. — *Quam solet*, scil. præstare uxoribus suis; et intellige, per hæc, alludi ad Helenam, Hippolytam seu Antiopen, Melibœam, Ariadnen, etc.

93 sq. *Fortis miles.* Strenuus in armis comes. — *Audacis proci.* Pirithoi qui, ut est procorum, Proserpinam Ditis thalamo deducere adortus erat. — *Per altos*, etc. Construe, « per altas tenebras lacus invii retro. » Et *invium retro*, vocat hic, quem alii *irremeabilem* nominant; agitur autem de Styge. — *Vadit.* Verbum quod fortitudinem innuit et audaciam.

95. *Solio ut revulsam*, etc. Desideratur hic substantivum, vel *Proserpinam*, vel *uxorem*; ita ut ordo videatur esse : « ut abstrahat *uxorem* regis inferni, revulsam solio, » vel etiam : « ut abstrahat *Proserpinam* revulsam solio regis inferni. » Cur autem absit substantivum, explicat græcismus, quo sæpe omittuntur voces, *uxor*, *maritus*, *pater*, *filius*, etc. nec Phædræ imputari debet exquisitior affectatio tacendi nomen Deæ sibi invisum, ut alii credidere.

96. *Pergit.* Præsenti vividius agitur. — *Furoris*, insani amoris, quem experitur Pirithous. — *Timor*, scil. mortis et reditus non obtinendi.

97 sq. *Pudor*, quod præstet auxilium cœptis adulteriis. — *Illicitos toros quærit Hippolyti pater.* Hinc et sibi illiciti amoris licentiam captat non sedatæ libidinis mulier.

99. *Mœstæ.* Scil. mihi.

101. *Solvere.* Præteritum tempus est. — *Curis*, angoribus, sollicitudinibus.

102. *Ardet*, *qualis vapor*, etc. Ardet tam fervidus quam vapor ille, etc. — *Ætnæo antro.* Similiter fere Herc. fur. vs. 106; et forsan paulum extranea est in ore mulieris græcæ talis comparatio, quæ Romanum et non procul a Sicilia degentem potius arguit. Nonne hæc insuper nimiam redolent eruditionem?

Exundat antro. Palladis telæ vacant,
Et inter ipsas pensa labuntur manus.
Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mixtam choris,
Jactare tacitis conscias sacris faces;
Nec adire castis precibus aut ritu pio
Adjudicatæ præsidem terræ Deam.
Juvat excitatas consequi cursu feras,
Et rigida molli gæsa jaculari manu.

103. *Palladis telæ*, a Pallade inventæ artes textoriæ et lanificæ.— *Vacant*, a me negliguntur. Id est, non nere, non texere me juvat, πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν; et solemne id est apud amantes. Horat. Od. III, XII, 3 : « . . . tibi qualum Cythereæ Puer ales, tibi telas, operosæque Minervæ Studium aufert. »

104. *Et inter ipsas*, etc. Ovid. Met. IV, 229 : « Et colus et fusus digitis cecidere remissis. »

105. *Colere templa donis*. Is est amor, qui sacerrimorum officiorum memoriam deleat. — *Votivis*, pro mariti reditu; et hoc est potissimum quod Phædræ libere non debeat.

106. *Atthidum*, matronarum Atticarum. — *Non mixtam*. Sub. *libet*.

107. *Jactare tacitis sacris faces*. Inter sacra, quæ religioso silentio celebrabantur, incedere jactando faces, tædas. Loquitur de Eleusiniis sacris, quæ ab Atticis virginibus et matronis honestis, Eleusina proficiscentibus, in Cereris honorem fieri solebant. — *Conscias*, vel quas mihi jactare licet, utpote quæ sacris initiata fuerim et secretorum sim conscia; vel, quas jactando, interioris tumultus et amoris male domiti essem conscia. Melius arridet posterior hic sensus.

108. *Castis precibus aut ritu pio*. Puri mores et illibati requirebantur, si quis ad sacra volebat admitti.

109. *Præsidem*, etc. Farnabio libenter assentimur, qui adjudicatæ terræ præsidem hanc Deam Minervam esse ait; cui deorum judicio et populi suffragio *adjudicatum* præsidium et nomen Athenarum, quum olivam pacis symbolum eduxisset, donum præstantius equo bellatore Neptuni. Gallicus tamen interpres arbitratur spectare potius hæc ad Cererem, *quæ terræ præsidet*; quum, cæteroquin, mentio sit de Eleusinis mysteriis, quæ in Cereris honorem celebrabantur.

110. *Consequi cursu feras*. Seu quia violentior exercitatio melius conveniat menti, nunc adeo agitatæ; seu quia, Hippolyti amore perdita, Hippolyti studia et lusus amet contrectare. Similia inven. apud Euripidis Hippolyt. 215, sq. Racinii Phædram, act. I, scen. III.

111. *Molli*, delicatiori, inexperta. — *Gæsa*, tela quæ Romani usurpaverant ab Hispanis, vel, ut alii, a Gallis.

Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?
Fatale miseræ matris agnosco malum.
Peccare noster novit in silvis amor.
Genitrix, tui me miseret : infando malo
Correpta, pecoris efferi sævum duceut
Audax amasti : torvus, impatiens jugi,
Adulter ille, ductor indomiti gregis.
Sed amabat aliquid : quis meas miseræ Deus,

112. *Quid furens saltus amas?* Racinius, act. I, sc. III : « Dieux ! que ne suis-je assise à l'ombre des forêts ! Quand pourrai-je au travers d'une noble poussière, Suivre de l'œil un char fuyant dans la carrière ! »

113. *Fatale.* Impositum ab inexorabili fatorum necessitate. Racinius loc. cit. « Je reconnus Vénus et ses feux redoutables, D'un sang qu'elle poursuit tourmens inévitables ! » — *Miseræ matris.* Pasiphaes, qui taurum, in silvis pascentem, amaverat.

114. *Peccare*, seu contra leges naturæ, ut Pasiphae; seu contra leges conjugii, ut ipsa Phædra. — *In silvis;* alludit ad Hippolytum, cujus vita in silvis fere tota degitur. — *Noster amor*, amor quo arsit nostra familia, nostra domus; et tamen, matrem hic solam innuit.

115 sqq. *Genitrix.* Matrem Pasiphaen alloquitur. — *Tui me miseret.* « Misereor quod talis monstri amore insaniveris. » Mox autem, v. 119, a miseratione matris, per subitam animi mutationem, transit fere ad invidiam : « Fœdus quidem, sed amori certe non omni ex parte impervius fuit ille quem amabat mater. » Illud monstrum, respectu tacito Hippolyti, torvum nominare et efferum incipit; mox autem ejusdem monstri amorem genitrici suæ propemodum gratulatur, quod non sit taurus ille, ut est Hippolytus, ἀναίσθητος. — *Infando malo.* Abominanda libidine. Matris suæ facit pariter mentionem Phædra in Hippolyto Eurip. act. II, scen. II, vs. 337; et apud nostratem Racin. act. I, scen. III : « O haîne de Vénus ! ô fatale colère ! Dans quels égaremens l'amour jeta ma mère ! »

117. *Audax*, quæ leges et naturæ et connubii violabat. — *Torvus*, etc. Ordo est : « adulter ille erat torvus, erat impatiens jugi, erat ductor, etc. »

118. *Adulter ille.* Taurus ille, quocum commisisti adulterium.

119. *Sed*, at cur me miseret matris meæ? Res est una quæ minuit illius infelicitatem. — *Amabat aliquid.* Sub. taurus ille. Scilicet non amori omnino intractabilis erat. Poterat ille amare vaccam, unde spes aliqua, vel mulieri, fruendi amore. — *Quis m. m. deus*, etc. Ordo est : « quis deus aut quis Dædalus queat juvare flammas meas, flammas mei miseræ? » Et illud, *flammas meas miseræ*, hellenismus est notissimus ac pæne tritus.

Aut quis juvare Dædalus flammas queat?
Non, si ille remeet arte Mopsopia potens,
Qui nostra cæca monstra conclusit domo,
Promittat ullam casibus nostris opem.
Stirpem perosa Solis invisi Venus,
Per nos catenas vindicat Martis sui,
Suasque. Probris omne Phœbeum genus
Onerat nefandis : nulla Minois levi
Defuncta amore est; jungitur semper nefas.
NUTR. Thesea conjux, clara progenies Jovis,
Nefanda casto pectore exturba ocius:
Exstingue flammas; neve te diræ spei
Præbe obsequentem. Quisquis in primo obstitit
Pepulitque amorem, tutus ac victor fuit.

120. *Dædalus juv. flamm.* Dædalus, ingeniosus artifex, per exquisitas et vix indicandas artis suæ delicias, amati tauri copiam fecit Pasiphaæ, quæ se lignea vacca includebat. Quis sit taurus ille, quis Dædalus, nemo est qui ignoret.

121. *Non*, junge cum *promittat*, vs. 123. — *Remeet*, ab inferis. — *Ille*, Dædalus. — *Ille arte Mopsopia potens*, pro, ille Mopsopius (Atticus; ut Mopsopia pro Attica, a prisco rege Mopsopo), arte potens, h. e. ipse Dædalus Atheniensis.

122. *Nostra monstra.* Monstrum natum e nostra familia, e nostra matre. — *Cæca domo*, labyrintho.

123. *Promittat*, nedum possit efficere. — *Casibus nostris*, amori meo.

124. *Stirpem*, etc. « Venus odio et vindicta nostram prosequitur familiam. » Pasiphae enim filia Solis erat et Cretæ, aut, ut alii volunt, Perseidos. Et Veneris adulterium cum Marte detexit Sol detulitque ad Vulcanum, qui ipsos, ferreis reticulis irretitos, diis deridendos exhibuit. FARNAB. — *Invisi*, a se detestati.

125. *Martis sui.* Vivide et amatorie dictum, *sui*.

126. *Suasque.* Pathetice rejicitur vox illa ad versum sequentem.

127. *Nulla Minois.* Nulla filia Minois. — *Levi defuncta amore est.* Arsit amore simplici, amore qui esset expers graviori quadam consequentia.

128. *Jungitur semper nefas.* Scil. nefarium, monstrosum quiddam adhærescit semper amori quem experimur.

129. *Clara*, filia Minois, qui Jove satus.

130. *Nefanda*, supp. *consilia*, vel tale quiddam.

132. *Obstitit.* Absolute dictum.

133. *Fuit*, pro, *est*, *esse solet.* Supra, vs. 87, *tenuere*; inf. 249 :

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit, jugum.
Nec me fugit, quam durus, et veri insolens,
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcumque dederit exitum casus, feram.
Fortem facit vicina libertas senem.
Obstare primum est velle, nec labi via :
Pudor est secundus, nosse peccandi modum.
Quo, misera, pergis? quid domum infamem aggravas,
Superasque matrem? majus est monstro nefas.
Nam monstra fato, moribus scelera imputes.

« Pars sanitatis, velle sanari *fuit*. »

134. *Blandiendo*, huic dulci malo.

135. *Sero*. Intell. non solum *tarde*, sed *nimis tarde* : i. e. tentat nimis sero recusare jugum. Auctor sententiæ Lucretius, IV, 1137 ; et apprime citat Baden. « . . . ut melius vigilare sit ante...cavereque, ne inlaqueeris : Nam vitare, plagas in amoris ne jaciamur, Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis Exire, et validos Veneris perrumpere nodos. »

136 sq. *Nec me fugit*, etc. Totum hoc intellige : « Nec me fugit, quam tumor regius, superbia regum, nolit, avertatur, flecti ad recta, ut est, durus et insolens, raram consuetudinem habens veri audiendi.

138. *Feram*, tolerabo, supp. exitum, qualiscumque sit.

139. *Fortem facit*, etc. Sententia generaliter dicta. — *Vicina libertas*. Quæ illa ? mors.

140. *Obstare primum est velle*. Prima res est, velle obstare. — *Via*, sc. recta.

141. *Pudor est secundus*, etc. Deficiente primo pudoris actu, succurrere debet saltem, in secundo loco, is per quem novimus, etc. — *Modum peccandi*. Quasi diceret, « gradum quemdam pudoris in impudicitia. » Forte in animo habuit locum Propertii, III, xviii, 3 : « Vos, ubi contempti rupistis fræna pudoris, Nescitis captæ mentis habere modum. » Quo etiam respexisse videtur Juvenalis, XIII, v. 240 : « ... nam quis Peccandi finem posuit sibi ? quando recepit Ejectum semel adtrita de fronte ruborem ? »

142. *Quo misera*, etc. *infamem*, etc. Hæc quidem sunt magnæ, ut professa est, vs. 139, libertatis. Apud Euripidem contra, vix rationis rectique partes sustinet nutrix, sed labantem reginæ animum in deterius, per adulatoria sermonum lenocinia, impellit, Hippol. vs. 346, sq. — *Domum infamem*. Ut « Danai genus Infame, » Horat. Od. II, xiv, 18. — *Aggravas*, graviori dedecoris pondere oneras.

143. *Majus est monstro nefas*. Incestus hic amor tuus major est belluino illo matris tuæ.

144. *Nam monstra fato*. Genera-

Si, quod maritus supera non cernit loca,
Tutum esse facinus credis, et vacuum metu,
Erras : teneri crede Lethæo abditum
Thesea profundo, et ferre perpetuam Stygа.
Quid ille, lato maria qui regno premit,
Populisque reddit jura centenis pater?
Latere tantum facinus occultum sinet?
Sagax parentum est cura; credamus tamen
Astu doloque tegere nos tantum nefas;
Quid ille rebus lumen infundens suum
Matris parens? quid ille, qui mundum quatit,
Vibrans corusca fulmen Ætnæum manu,

liter dictum; et intellige : « Nam si libido quædam omnino enormis sit et monstrosa; non homini ipsi, qui nempe per se ipsum non potuisset eam concipere, sed fatorum necessitati ea tribuenda est. At flagitia, naturam humanam deturpantia quidem, sed non excedentia, soli morum depravationi tribuenda sunt ».

145. *Quod*, propterea quod.

146. *Facin.* amorem adulterum.

147. *Crede.* Per me licet credas; etiam si tu crederes. — *Teneri*, retineri, absque spe reditus.

148. *Ferre perpetuam Stygа.* Damnari ad sedem perpetuam Stygis.

149 sq. *Quid ille... pater?* Farnabius pronuntiat hic agi de Minoe, cujus meminit inf. nutrix, vss. 242 et 245 : Minoi sane conveniunt : « lato maria premit regno, » ut apparet ex vs. 85 : « O Creta vasti dominatrix freti, etc. » et *centenis populis* apprime designatur Creta centum urbibus celebrata. Gallicus tamen interpres mentionem hic esse ait de Neptuno, quem suum esse patrem ipse infra declarat Theseus, vs. 942, 948, 954; et huic melius convenire, « latum maria regnum, » et *imperium* « in centenos populos. » At non satis attendit ad significationem verborum : « populis reddit jura », quæ ad Deum pertinere minime videntur.

151. *Latere sinet.* « Credisne fore ut sinat latere? » Et sic innititur ultio, quam ipse Minos repetet.

152. *Sagax parentum est cura.* Vere dicta hæc, et ad quorum sensum multa reperias expressa apud varios variarum linguarum scriptores. — *Credamus*, admittamus.

153. *Astu doloque.* Plus est dolus quam astus. Hic calliditatem solum, ille fallaciam reposcit. — *Tegere*, id est, tegere posse. — *Nos.* Indicat se heræ suæ morem, vel in tali re, gesturam esse, et omnia condonaturam amori Phædræ.

154. *Quid ille*, etc. Sub. aget; et Solem indicat, vs. sq.

155. *Matris parens.* Sol, avus tuus maternus. — *Quid ille.* Sator Deorum; qui præterea erat quoque avus maternus Phædræ.

Sator Deorum? credis hoc posse effici,
Inter videntes omnia ut lateas avos?
Sed, ut secundus numinum abscondat favor
Coitus nefandos, utque contingat stupro
Negata magnis sceleribus semper fides;
Quid pœna præsens, consciæ mentis pavor,
Animusque culpa plenus, et semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
Compesce amoris impii flammas, precor,
Nefasque, quod non ulla tellus barbara
Commisit unquam, non vagus campis Geta,
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes.

157. *Hoc*, scilicet, ut lateas.

159. *Ut sec.* etc. si evenerit ut.

160. *Coitus*, tui et Hippolyti. — *Stupro*, dictum pro eo qui committit stuprum.

160. *Contingat stupro Negata*, etc. Putasne, ait nutrix, hoc fieri posse, ut facinus tuum lateat avos, nempe Solem et Jovem, qui omnia vident? sed fac, ut benigno Deorum favore nefandum tegatur adulterium; fac, ut stupro, vel tibi stupro contaminatæ, semper contingat fides, i. e. fiducia seu sceleris abscondendi, seu pœnæ evitandæ, si Dii faverint, aut latueris eos (quanquam ea fiducia magnis sceleribus negatur, h. e. scelesto nemini unquam dari potest), quid pœna præsens? hæc postremo adjicit: « scelus aliqua tutum, nulla *securum* tulit; » quæ sententiam claudunt absolvuntque, jam a vs. 146 inchoatam: « Tutum esse facinus credis, et vacuum metu, Erras, etc. »

162. *Quid pœna præsens*. Intellige: « Quid erit! quos cruciatus geminabit! » Et per exclamationem dicitur potius quam per interrogationem. — *Præsens*, nunquam cessans. — *Consciæ*. Vid. Animadv.

164. *Scel. aliq.* Ordo est: aliqua tulit scelus tutum, nulla tulit securum. Et *aliqua* est mulier, aut mens, ait Farnabius; mulier potius, ni fallimur. Eodem acumine Seneca, Ep. 93: « Tuta scelera esse possunt, secura non possunt; » 105, § 9: « Tutum aliqua res in mala conscientia præstat, nulla securum. » Ibid. « Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam. »

165. *Precor*. Redit nunc ad mitiora; ad supplicationes ex imprecationibus.

166. *Nefasque*. Refer ad *compesce*, vs. præc. — *Quod non ulla tellus barbara*, etc. Loquitur per hyperbolen; nam, licet sit omnino vituperanda, fatendum est naturæ nihil adversari Phædræ libidinem.

168. *Taurus*, qui Taurum, Asiæ montem, incolit. — *Sparsus*, dispersis agminibus vivens.

Expelle facinus mente castifica horridum,
Memorque matris, metue concubitus novos.
Miscere thalamos patris et gnati apparas,
Uteroque prolem capere confusam impio!
Perge, et nefandis verte naturam ignibus.
Cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?
Prodigia toties orbis insueta audiet,
Natura toties legibus cedet suis,
Quoties amabit Cressa? PH. Quæ memoras, scio
Vera esse, nutrix: sed furor cogit sequi
Pejora: vadit animus in præceps sciens,
Remeatque, frustra sana consilia appetens.
Sic, quum gravatam navita adversa ratem

169. *Castifica.* Amans ejusmodi adjectivorum Noster. Scilic. Herc. fur. vs. 58: « ... superbifica manu Atrum per urbes ducit Argolicas canem. » Ibid. vs. 102: « ... luctifica manu Vastam rogo flagrante corripiat trabem. » Ibid. vs. 902: « Belligera Pallas, cujus in læva ciet Ægis feroces ore saxifico minas. » Conf. præterea Hippolyt. 995; Œdip. 3; ubi vid. Gron. Both.

170. *Novos.* Novitate enormi portentosos.

172. *Prolem confusam*, natam e semine confuso patris et nati. — *Capere*, concipere.

173. *Perge.* Epitrope. Concessio amara. — *Verte*, subverte. — *Ignibus*, amoribus tuis.

174. *Cur monstra cessant?* Cur dubitas monstrum, tu ipsa, amare? — *Aula fratris.* Sedes quæ facta fuerat Minotauro, qui tuus erat frater; utpote genitus a matre Phædræ. Et sensus est: « Ex te alterum monstrum suppleat labyrinthum, locum Minotauri, tui e matre fratris, quem Theseus sustulit ». Farn.

175. *Prodigia*, etc. Toties generabuntur monstra, quoties mulier Cretensis (præcipue Minois) amabit. Farn.

176. *Legibus.* Ablativo casu: a legibus suis discedet, declinabit.

177. *Q. memoras*, etc. Ovid. Met. VII, 20: « Video meliora proboque, Deteriora sequor. » F. Petrarcha, quem citat gallicus interpres *Levée*: « Cerco del viver mio novo consiglio, E veggio il meglio, ed al peggior m'appiglio. »

178. *Furor.* Insanus amor. Vox *furor* est hoc sensu consecrata.

179. *Sciens.* Junge cum *vadit*, nec absolute dictum velis.

180. *Remeatque.* Subaudiendum ex superioribus, *in præceps*; quasi dicas: animus in præceps it reditque, frustra appetitis sanis consiliis. Both.

181. *Gravatam adversa unda.* Cujus unda adversa cursum retardat.

Propellit unda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado.
Quod ratio poscit, vicit ac regnat furor,
Potensque tota mente dominatur Deus.
Hic volucer omni regnat in terra potens,
Ipsumque flammis torret indomitis Jovem.
Gradivus istas belliger sensit faces;
Opifex trisulci fulminis sensit Deus;
Et, qui furentes semper Ætnæis jugis
Versat caminos, igne tam parvo calet;
Ipsumque Phœbum, tela qui nervo regit,
Figit sagitta certior missa Puer;
Volitatque cælo pariter et terræ gravis.
NUTR. Deum esse Amorem, turpiter vitio favens
Finxit libido; quoque liberior foret,

183. *Et victa*, etc. Vivide admodum hæc depinguntur. Sed omnino abs re est talis comparatio in ore Phædræ; et vix fere aliquid insulsius, pace nostri auctoris dixerim, potest reperiri.

184. *Quod ratio poscit, vicit ac regnat furor.* Victoriam et regnum quod sibi poscit recta ratio, obtinet apud me insanus amor. — De toto h. l. vid. Animadvers.

185. *Potens deus.* Cupido. — *Tota mente*, mea. Racin. Phædr. act. I, sc. III.

186. *Hic volucer.* Depingitur alatus Cupido. — *Omni regnat in terra potens.* Vide chorum sequentem, ubi fusius describitur quid possit, quid sæviat amor. Vide pariter in Euripidis Hippolyto, chorum amoris potentiam imperiaque concelebrantem. Act. V, sc. III.

187. *Ipsumque flammis*, etc. Ovid. Metamorph. V, 369: « Tu superos, ipsumque Jovem, tu numina ponti Victa domas, ipsumque regit qui numina ponti. » Atque ita poetæ frequenter. Et præcipue Virgil. ad Æn. I, 657.

188. *Gradivus.* Mars.

189. *Opifex tris. fulm. Deus.* Vulcanus — *Trisulci fulm.* Quod scindit, comburit, afflat.

190. *Et, qui*, etc. Sententiam præcedentis versus fusius explicat. — *Furentes Versat caminos.* I. e. fervidas fornaces agit, movet.

191. *Igne tam parvo.* Una Cupidinis facula. FARN.

192. *Tela qui nervo regit.* Ἑκηϐόλος. FARN.

193. *Certior.* Magis certus quam ipse Phœbus.

194. *Cælo et terræ gravis.* Diis hominibusque reformidandus.

196. *Quoque.* Et ut.

Titulum furori numinis falsi addidit.
Natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit. Ille per cælum volans
Proterva tenera tela molitur manu;
Regnumque tantum minimus in Superis habet.
Vana ista demens animus adscivit sibi,
Venerisque numen finxit, atque arcus Dei.
Quisquis secundis rebus exsultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetens,
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido: non placent suetæ dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues subit
Hæc delicatas eligens pestis domos?
Cur sancta parvis habitat in tectis Venus,
Mediumque sanos vulgus affectus tenet,
Et se coercent modica? contra divites,

197. *Titulum numinis falsi*. Nomen dei, quod furori scelesto tribui, non nisi inique, potest. Phocylides auctor est, poematis admonitorii, vs. 177: Οὐ γὰρ ἔρως θεός ἐστι, πάθος δ' ἀΐδηλον ἁπάντων. Euripid. Antigona, VII: Τὸ μαίνεσθαι δ' ἄρ' ἦν ἔρως βροτοῖς. Quod hic de Amore Seneca, ait Juvenalis de Fortuna, Sat. X, 365, sq. « nos te, Nos facimus, Fortuna, deam, etc. »

198. *Scilicet*. Dictum per ironiam, et confutandi gratia; et vox illa, tali sensu, solemnis apud poetas. Virg. Æn. IV, 379: « Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. » — *Vagum*. Dicitur cum contemptu, et quasi quod respuat dignitas cujuslibet dei.

199. *Erycina*. Venus; ab Eryce, Siciliæ monte, ubi colebatur. — *Per cælum vol.* per sedes deorum.

200. *Proterva*, junge cum *tela*; et *tenera*, cum *manu*.

201. *In Superis*, inter Superos.

202. *Vana ista*. Mendacia hæc, quæ tu celebras. — *Adscivit sibi*, in prætextum et defensionem culpæ.

207. *Libido*. Quasi diceret, series cupiditatum depravatarum.

208. *Tecta sani moris*. Ædes, ut debet cupere quicumque sanum morem, sapientiam sequitur. — *Vilis*, mediocris pretii. — *Cibus*. Conferre libeat ad Animadvers.

210. *Hæc pestis*, scil. *libido*. — *Delicatas*, plenas deliciis.

213. *Se coercent*, cupiditatibus, mentis lasciviæ modum imponunt. — *Modica*, mediocria; et hic, mediæ sortis homines. — *Contra divites*. Præpone subauditum *cur*.

Regnoque fulti, plura, quam fas est, petunt?
Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.
Quid deceat alto præditam solio, vides.
Metue, ac verere sceptra remeantis viri.
PH. Amoris in me maximum regnum fero,
Reditusque nullos metuo. Non unquam amplius
Convexa tetigit supera, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum.
NUTR. Ne crede. Ditis cluserit regnum licet,
Canisque diras Stygius observet fores:
Solus negatas invenit Theseus vias.
PH. Veniam ille amori forsitan nostro dabit.
NUTR. Immitis etiam conjugi castæ fuit.
Experta sævam est barbara Antiope manum.

214. *Petunt*, optant, affectant.

216. *Vides*, intelligis, sentis.

217. *Remeantis.* Vivide, pro, jamjam remeaturi.

218. *Regnum*, potentiam. — *Fero*, experior, eodem omnino sensu, quo supra, 164, *tulit.* Vult Baden. intelligi, *arbitror*, eodem sensu quo Bothens qui legit *puto* (vid. Animadv.) et explicat: « Amoris regnum in me summum arbitror, et cui cætera debent concedere. » Neutri nos assentimur.

220. *Convexa supera.* Partem supernam convexi terrarum orbis. — *Semel*, junge cum *nocte mersus.*

222. *Ne crede*, supp. cuiquam fas esse tangere convexa supera, qui inferos adierit. — *Ditis*, Pluto.

224. *Solus.* Non solus invenit profecto, verum comitatus Herculem. Sed hoc vult nutricula: Theseum sua eximia et singulari virtute inventurum vias negatas, id est, reditum ex inferis locis, paucis (et per exaggerationem illa innuit nullis) concessum. BADEN. — *Invenit*, non pro futuro tantum est h. l. sed præteriti quoque vicem sustinet, significatque in genere id, quod *solet.* Invenerat negatas istas ad Tartarum Theseus vias: ergo easdem etiam retro inventurum illum sperat mulier. BOTH.

226. *Conjugi castæ.* Antiopæ, vs. sq.

227. *Barbara.* Extera gente oriunda, Scythica scilicet. — *Antiope.* Amazon, mater Hippolyti, cui Theseus, propter jurgium, mortem intulit. Idem Ovidius et Hyginus tradunt; sed Pausanias: Ἀθηναῖοι δέ φασιν ἐπεί τε ἦλθον Ἀμάζονες Ἀνθιόπην μὲν ὑπὸ Μολπαδίας τοξευθῆναι. Cæterum Clydimus, historiæ scriptor, credidit Amazona, quæ fuit Thesei uxor, Hippolytam vocatam fuisse; sed Plutarchus id referens, in Theseo, perpetuo Antiopen vocat. FARN. et DELR.

Sed posse flecti conjugem iratum puta;
Quis hujus animum flectet intractabilem?
Exosus omne feminæ nomen fugit;
Immitis annos cælibi vitæ dicat;
Connubia vitat: genus Amazonium scias.
PH. Hunc in nivosi collis hærentem jugis,
Et aspera agili saxa calcantem pede,
Sequi per alta nemora, per montes, placet.
NUTR. Resistet ille, seque mulcendum dabit,
Castosque ritus Venere non casta exuet?
Tibi ponet odium, cujus odio forsitan
Persequitur omnes? PH. Precibus haud vinci potest?
NUTR. Ferus est. PH. Amore didicimus vinci feros.
NUTR. Fugiet. PH. Per ipsa maria, si fugiat, sequar.
NUTR. Patris memento. PH. Meminimus matris simul.
NUTR. Genus omne profugit. PH. Pellicis careo metu.

228. *Puta*, admitte.

229. *Hujus*, Hippolyti.

230. *Exosus*, vox generaliter dicta; odio plenus, odio instinctus. Similia reperias apud Hippolytum Euripidis, act. I, sc. 1.

232. *Genus Amazonium scias.* Tò *scias* pro « revoca in memoriam, » accipi debet. — *Genus Amazonium*, natum esse hunc ex Amazone; et ut Amazones viros aversantur, ita hunc abhorrere a feminis.

233. *Hunc*, Hippolytum. — *Hærentem*, venandi studio.

235. *Sequi per alta*, etc. *placet.* Similia propemodum reperias in Virgil. Eclog. X, 56: « Aut acres venabor apros: non me ulla vetabunt Frigora Parthenios canibus circumdare saltus. Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula: tanquam hæc sint nostri medicina furoris. »

236. *Resistet.* Consistet, subsistet. Cf. de hac locutione Schwarz. ad Plin. Paneg. X, 4.

237. *Venere non casta*, scilic. ut amorem incestum foveat.

238. *Tibi ponet*, etc. Lege per interrogationem. In tuam gratiam deponet odium, cujus superiodoctæ novercæ, veluti matris suæ necis causæ, ratione, fortassis et cæteras omnes exsecratur mulieres? FARNAB.

242. *Patris*, tui; quem sua tibi reverendum reformidandumque efficere debent et justitia et sanctitas austerior. — *Matris*, quæ nefario amore peccavit.

243. *Genus omne.* Omnes feminas. — *Profugit*, longe vitat; et plus est quam *fugit*. — *Pellicis*, etc.

NUTR. Aderit maritus. PH. Nempe Pirithoi comes.
NUTR. Aderitque genitor. PH. Mitis Ariadnæ pater.
NUTR. Per has senectæ splendidas supplex comas,
Fessumque curis pectus, et cara ubera,
Precor, furorem siste, teque ipsam adjuva.
Pars sanitatis, velle sanari, fuit.
PH. Non omnis animo cessit ingenuo pudor.
Paremus, altrix. Qui regi non vult, amor
Vincatur. Haud te, fama, maculari sinam.
Hæc sola ratio est, unicum effugium mali.
Virum sequamur : morte prævertam nefas.
NUTR. Moderare, alumna, mentis effrenæ impetus.
Animos coerce. Dignam ob hoc vita reor,
Quod esse temet autumas dignam nece.
PH. Decreta mors est : quæritur fati genus.
Laqueone vitam finiam, an ferro incubem?
An missa præceps arce Palladia cadam?

Non itaque de pellice sollicita ero.

244. *Nempe Pirithai comes.* Adulteri Pirithoi; atque hinc in me Theseus facilior futurus est.

245. *Mitis.* Supp. *est;* et ad id alludit, quod filiam amatorem insequutam Minos non sit ultus.

246. *Splendidas,* etc. Capilli enim cani *splendorem* argenti æmulantur. Unde Martial. Ep. IV, 79, 2 : « Et facies multo *splendeat* alba pilo. »

247. *Fess. curis.* Ægram me doloribus quos tu ipsa majori ex parte suscitas. — *Cara*, quæ in præcipuo amore habere debes; utpote quæ vitam tibi per prima alimenta sustinuerunt.

248. *Precor, furorem siste,* etc. Omnino similiter idem Noster, Herc. OEt. 925 sqq. « Per has aniles ...comas... expelle decret. horrid. » — *Te ipsam adjuva.* Rationem tuam arcessas in auxilium tuæ mentis.

249. *Fuit*, pro *est.*

251. *Paremus*, tibi pareo.

252. *Haud te, fama, maculari,* etc. Seneca colorem duxit ex Phædræ verbis, apud Nasonem, Heroid. IV, vs. 17 : « Non ego nequitia socialia fœdera rumpam; Fama (velim quæras), crimine nostra vacat. »

253. *Hæc sola ratio est.* Id est, *remedium.*

254. *Virum*, qui apud inferos est.—*Sequamur.* Mortem scil. mihi inferendo. FARN.

257. *Autumas*, existimas.

258. *Quæritur*, a me. Rac. Phædr. act. III, scen. III : « Mourons, de tant d'horreurs qu'un trépas me délivre, » et quæ sequuntur.

260. *Missa præceps*, saltu. —

Prô, castitatis vindicem armemus manum.
NUTR. Sic te senectus nostra præcipiti sinat
Perire leto? Siste furibundum impetum.
PH. Haud quisquam ad vitam facile revocari potest;
Prohibere ratio nulla periturum potest,
Ubi qui mori constituit, et debet mori.
NUTR. Solamen annis unicum fessis, hera,
Si tam protervus incubat menti furor,
Contemne famam: fama vix vero favet,

Arce Palladia. Acropoli, arce Atheniensi, quæ Palladi, artium præsidi, sacra. FARN. — Utrumque provenit ex imitatione Euripidis, ita dicere facientis Helenam in ejus nominis fabula, vs. 305: Θανεῖν κράτιστον· πῶς θάνοιμ' ἂν οὖν καλῶς; BADEN.

261. *Prô*. Vox se ipsam exhortantis. — *Vindicem*, mei ipsius. — *Armemus manum*. Scil. gladio, tanquam nobiliori mortis instrumento. Euripid. Helen. vs. 306: Ἀσχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι, Κἀν τοῖσι δούλοις δυσπρεπὲς νομίζεται, Σφαγαὶ δ' ἔχουσιν εὐγενές τι, καὶ καλόν. Eadem illa formula repetitur Nost. Agamemnone, vs. 209: « Quem non Achilles ense violavit fero, Quamvis procacem torvus armasset manum. » Unum ex tribus hisce fati generibus eligentium plura exempla congessit Pricæus, ad Apuleii Met. IV. BADEN.

262. *Sic te senectus nostra præcipiti*, etc. Opponuntur *senectus nostra*, et *præcipiti leto*; non sustinet anicula ordinem naturæ interverti, et juvenem præcipiti nece ante seniorem intercipi.

264 sq. *Haud quisquam*, etc. Sic sensum accepimus: « Quum difficillimum sit quemlibet, vel e vulgo, mori destinantem, ad vitæ servandæ consilium revocare; tum impossibile est, ratione ulla, prohibere, si eidem illi qui mori constituit, mortem imperant necessitas et officii lex severa. » Declamatorie nimis dictum et nimis exquisite; sed, si liceat, fac Senecam non esse Senecam! Quod est de variis ejusdem loci interpretationibus, et lectionibus, vid. Animadv. — *Ad vitam revocari*. Sensum quem proponimus, confirmant multa multorum loca, quæ citat Baden. Tacit. Ann. VI, 26; Cicer. ad Attic. lib. II, Ep. 6. Præsertim Plin. Jun. lib. I, Ep. 12, § 9: « Destinasse Corellium mori, nec aut suis, aut filiæ precibus flecti; solum superesse me, a quo revocari posset ad vitam. »

268. *Si*, quando quidem. Victa anus se ad lenocinia convertit, ut alumnæ vitæ parcat. FARN.

269. *Contemne famam*, etc. Tam subitam sensuum mutationem excusat satis bene, sed solus potest excusare, immodicus nutricis erga Phædram amor. Racin. act. IV, sc. VI: « Et repoussez, madame, une injuste terreur, etc. » — *Vix*, raro. — *Vero favet*. Veritatem tuetur.

Pejus merenti melior, et pejor bono.
Tentemus animum tristem et intractabilem.
Meus iste labor est, aggredi juvenem ferum,
Mentemque sævam flectere immitis viri.

CHORUS.*

Diva, non miti generata ponto,
Quam vocat matrem geminus Cupido,
Impotens flammis simul et sagittis,
Iste lascivus puer et renidens
Tela quam certo moderatur arcu!

Sæpius enim, ut ait Virg. Æneid. IV, 189 : « ... ficti pravique tenax. »

270. *Pejus merenti*, erga eum, qui pejorem de se concipi opinionem meretur. — *Bono*, dativo pariter sumitur; et in hoc versu adjectivi de personis dicuntur; in præcedenti, *vero* dicitur, de re.

272. *Meus iste labor*, etc. Explicat gallic. interpr. « Il faudra donc me charger moi-même... » Veremur autem ut h. l. sua τῷ *iste*, genuina vis, i. e. secundam personam repræsentandi, concedatur; et sensus sit : « Iste tuus labor, quem tu meditaris (vid. vs. 239) est meus, est is quem ego debeam aggredi. »

Act. I, sc. III. Omnia amori cedere : homines omnis loci, ætatis, conditionis, ipsos deos superos ac inferos, quin et bruta animalia terrestria, aquatilia, aerea.

274. *Diva*. Venus. — *Non miti generata ponto*. Volunt antiqui commentatores et mythologici Venerem natam e spuma maris, orta ex testiculis Cæli a Saturno exsectis et in mare projectis : unde Ἀφροδίτη ab ἀφρὸς ob similitudinem seminis, vel, propter humoris salsi vim animalem et fœcundam. In locum fœdæ hujus, sed accipiendæ tamen, originis nonnulli substituunt, Venerem dici *natam ponto*, propter similitudinem ponti et Veneris, dubiæ, procellosæ. Et in hunc sensum veniunt quæ dicit *J. J. Rousseau*, *Nouvelle Héloïse*, part. VI, epist. 7 : « Beauté, *plus terrible aux mortels que l'élément où l'on t'a fait naître*, malheureux qui se livre à ton calme trompeur! C'est toi qui produis les tempêtes qui tourmentent le genre humain. »

275. *Geminus Cupido*. Ἔρως et Ἀντέρως : hic divinus, ille vulgaris mortalisque amor. FABR.

276. *Impotens*. I. e. nimis potens, quomodo apud Ovidium dicitur *indurus* pro *prædurus*, et apud Lucretium *invalidus* pro *validissimus*.

277. *Iste*, is tuus. — *Renidens*, de malitioso risu dictum.

Labitur totas furor in medullas,
Igne furtivo populante venas.
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tacitas penitus medullas.
Nulla pax isti puero : per orbem
Spargit effusas agilis sagittas.
Quæque nascentem videt ora Solem,
Quæque ad occasus jacet ora seros,
Si qua ferventi subiecta Cancro est,
Si qua majoris glacialis Ursæ
Semper errantes patitur colonos,
Novit hos æstus. Juvenum feroces
Concitat flammas; senibusque fessis
Rursus exstinctos revocat calores;
Virginum ignoto ferit igne pectus;
Et jubet cælo Superos relicto
Vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phœbus pecoris magister

280. *Igne furtivo populante venas.* Imitatur Virg. Æn. IV, 2 : « Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni. »

281. *Frontem*, notam, signum quo vulnus agnoscere aut deprehendere queas.

283. *Nulla pax isti puero.* Nunquam cessat; et pax est, non quam aliis, sed quam sibi denegat.

285. *Quæque*, et ea (ora) quæ.

286. *Jacet*, sita est. — *Ad occasus seros*, ad loca ubi sol occidit; et *seros*, quia sero, ad noctem, id fit.

287. *Si qua*, dictum pro, ea quæ.

288. *Si qua majoris*, etc. Intellige totum hoc : « Si qua ora majoris glacialis Ursæ patitur, admittit tantum colonos errantes, sine certa sede, propter injuriam locorum. » Audi contra Botheum : « *Semper errantes colonos*, id est, nunquam occidentes huic orbis terrarum parti, vocat Ursam et Arctophylacem, sive Callistonem et filium ejus Arcadem, qui in stellas missi, tanquam coloni, sunt a Jove. Vide Hygini Astronom. poet. II, 4. » Nimis e longinquo petita, ni fallimur, interpretatio.

291. *Concitat*, sc. amor.

293. *Ferit*, urit, vel carpit, ut Virg. loc. supra laud.

295. *Vult. falsis.* Assumptis alienis imaginibus, quas mox enumerat.

296. *Thessali pecoris.* Armentorum Admeti, regis Thessaliæ. Innuit autem hic poeta Apollinem pavisse pecora, ut filia Admeti frui

Egit armentum, positoque plectro
Impari tauros calamo vocavit.
Induit formas quoties minores
Ipse, qui cælum nebulasque ducit?
Candidas ales modo movit alas,
Dulcior vocem moriente cycno.
Fronte nunc torva petulans juvencus
Virginum stravit sua terga ludo,
Perque fraternos, nova regna, fluctus,
Ungula lentos imitante remos,
Pectore adverso domuit profundum,
Pro sua vector timidus rapina.
Arsit obscuri Dea clara mundi
Nocte deserta, nitidosque fratri

posset. Alii contra, eumdem divinitate a Jove exutum volunt, propter interfectos Cyclopas.

298. *Impari.* Disparibus compacta calamis fistula. — *Vocavit*, pastorale hoc loco verbum; ducere sono fistulæ, seu ad pascua, seu ad stabula.

299. *Minores*, viliores quam forma Apollinis in pastorem mutati.

300. *Ipse*, Jupiter; quem hoc potentiæ signo sæpius designat Homerus, ut nubes cogat ducatque, Iliad. I, 397, 560, etc.

301. *Ales.* Quum, specie cycni, adierit Ledam uxorem Tyndari regis Laconiæ.

302. *Dulcior vocem*, dulc. secundum vocem. — *Moriente cycno.* Cycnos cum voluptate et cantu mori negant sanioris judicii auctores; nec nisi apud poetas, uti quidem lubentissime nos facimus, tale commentum licet admittere.

303. *Petulans*, absolute dictum, ni fallimur, nec quod referri debeat ad *torva fronte;* scil. construe: « juvencus, frontem habens torvam, et petulans. »

304. *Virginum stravit*, etc. Stravit, submisit sua terga, ut præberet ludos virginibus.

305. *Nova regna*, ubi tum primum jus exercebat.

306. *Lentos*, mobiles, flexibiles.

308. *Pro sua rapina*, pro Europa, filia Agenoris, quam e Phœnicia in Cretam rapuit. — *Timidus*, scil. ne mergeretur; et nempe nova erant, parum ipsi consueta, regna.

309. *Obscuri Dea mundi.* Diana quæ illustrat orbem, dum obscurum facit solis absentia.

310. *Nocte deserta.* Noctis imperio, munere noctis illustrandæ deserto. — *Nitidos;* et ut solemne poetis est, argenteos. — *Fratri*, Phœbo. — *Aliter;* alludit ad dissimilitudinem utriusque cursus, solis et lunæ.

Tradidit currus aliter regendos.
Ille nocturnas agitare bigas
Discit, et gyro breviore flecti.
Nec suum tempus tenuere noctes,
Et dies tardo remeavit ortu,
Dum tremunt axes graviore curru.
Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis;
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis.
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco;

312. *Bigas*, lunæ, ipse sol quadrigis assuetus. FARN.

313. *Gyro breviore*. Circulo terræ propiori. Celerius, scilicet vigiuti et septem diebus, octo horis, cursum suum peragit quam sol. Thyest. vs. 840. FARN.

314. *Nec suum tempus*, etc. Noctes non obtiuuerunt solitam temporis diuturnitatem; et hoc loco significatur: « diutius duraverunt. » Vid. vs. sq.

315. *Tardo remeavit ortu*, serius remeavit et ortus est.

316. *Dum tremunt*, etc. Explicat hic versus duos præcedentes. Scilicet, quum currum Lunæ Apollo conscendit, sub dei pondere fit currus ille gravior, et quum magis lente procedat, longiori tempore durat nox, serius dies relucet, Apolline circa aliud munus occupato. Nimis leviter totum hoc vertit gallicus interpr. nec ubi in textu viderit quæ profert, discernere possumus: « La nuit n'a plus la durée que lui donna le destin : *frappée de l'éclat du dieu*, elle s'abrège; et le jour se hâte de reparaître dans les contrées orientales, tandis que le char de la lune tremble sous le poids d'Apollon. »

317. *Natus Alcmena*, Hercules. — *Posuit pharetram*, Hercul. fur. 465 sq.

318. *Leonis*, Nemeæi.

319. *Smaragdos*, anuulos smaragdis distinctos.

320. *Dari legem rudibus capillis*, quia concinuabantur, verbi gratia, et reticulo implicabantur.

321. *Crura dist.* etc. Suras vincit soccorum fasciis auro distinctis. Interpretationem hanc falsam esse autumat Badenius, et Senecam per *distinctum aurum* intelligere purum, ἄπεφθον, εἰλικρινῆ χρυσόν. Citat, nequsquam luculenter, nisi nostra hebescat acies, Pindarum Nem. Εἰδ. Δ, ἀντιστρ. κώλ. ιγ', vs. 3 : Ὁ χρυσὸς ἑψόμενος Αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας.

322. *Luteo;* color ille sponsalibus solemnis erat. — *Socco*. Idem et unum calceamentum indicare nobis videntur versus ille et præcedens. Aurum illud distinctum, soccus erat qui luteis fasciis religatus erat.

Et manu, clavam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso:
Vidit Persis, ditique ferox
Lydia regno, dejecta feri
Terga leonis, humerisque, quibus
Sederat alti regia cæli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.
Sacer est ignis (credite læsis),
Nimiumque potens : qua terra salo
Cingitur alto, quaque ætherio
Candida mundo sidera currunt;
Hæc regna tenet puer immitis,
Spicula cujus sentit in imis
Cærulus undis grex Nereidum,
Flammamque nequit relevare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti quam magna gerunt

324. *Properante*, celeriter excitato.

325. *Diti ferox Lydia regno.* Superbientem fingit auctor Lydiam regno suo divite, propter fluvios auri ramenta volventes, Hermum scilicet et Pactolum.

326. *Dejecta*, exuta, neglecta; quasi diceret, humi sordentia.

329. *Tyrio stamine pallam*, i. e. pallam, quæ Tyri texta et purpureo colore tincta fuit.

330. *Sacer*, exsecrandus. Et is sensus occurrit sæpius apud poetas. — *Læsis*, vim ejus expertis.

331. *Salo*, mari.

332. *Ætherio mundo.* Cælo. Tibullus, III, IV, 17 : « Jam Nox, *ætherium* nigris emensa quadrigis Mundum, cæruleo laverat amne rotas. »

333. *Candida*, fulgida.

334. *Hæc regna*, etc. Ecce iterum atque iterum describit auctor quæ sit amoris potentia : et totum hoc quis diffitebitur otiosum jam languere et supervacaneum?

336. *Nereidum*, nympharum maris, quæ Nerei et Doridis filiæ : ter mille tradit Hesiodus.

337. *Flamm. relevare mari.* Quam putide luditur in flammas amoris, undis non restinguendas! Nihil exquisito judicio magis contrarium.

338. *Aligerum*, alatum. Virgil. Georg. III, 242 : « Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque, Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres, In furias ignemque ruunt : amor omnibus idem. » Jam sup. vs. 187.

339. *Quam magna*, etc. Vide, ante omnia, Animadv. ad h. l. —

Grege pro toto bella juvenci!
Si conjugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cervi;
Et mugitu dant concepti
Signa furoris. Tunc virgatas
India tigres decolor horret;
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, et toto est spumeus ore;
Pœni quatiunt colla leones,
Quum movit amor; tum silva gemit
Murmure sævo.
Amat insani bellua ponti,
Lucæque boves. Vindicat omnes
Natura sibi: nihil immune est.
Odiumque perit, quum jussit amor:

Tum multa sunt aliorum loca quæ huc spectant, tum bina Nasonis loca, Metam. IX, 46: « Non aliter fortes vidi concurrere tauros, etc. » et Amor. II, XII, 25: « Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros, etc. »

340. *Grege pro toto*, ut totius gregis juvencas sub sua lege sola teneant.

341. *Conjugio*, vel conjugi, cervæ, feminæ suæ.

342. *Poscunt*, etiam ultronei; et opponitur mansuetudini innatæ cervorum vox illa vividior.

344. *Tunc*, vel absolute dictum, ut sensus sit, « quum amore exardescunt feræ. » Vel potius connectendum, nec adeo contorte, τῷ *quum movit amor*, vs. 349. — *Virgatas*, virgis in pelle quasi cinctas.

345. *India decolor*. Indi nigri, fusci.

348. *Pœni leones*. Non est satis *leones*; fingit *Pœnos*; quod videtur usitatum fuisse poetis, ut summam indicarent feritatem. Virgil. Ecl. V, vs. 27: « Daphni, tuum *Pœnos* etiam ingemuisse *leones* Interitum, etc. » — *Quatiunt colla*. Certius furoris erupturi signum.

351. *Insani*. Sine lege æstuantis.

352. *Lucæque boves*. Lucretius, V, 1301: « Inde *boves lucas* turrito corpore tetros Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni Sufferre. » Plinius, Hist. Nat. VIII, 6, § 1: « Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, et *boves Lucas* appellavit. » *Bos lucans* primo dictus est, i. e. Lucanus, quia in Lucania Romanis primum visus: deinde *Lucas* et *Luca*: ut *prægnans* et *prægnas*, *Picens* et *Picenus*, *Campas* et *Campanus*. Delb. et Salm.

354. *Odiumque perit*. Versus hic

Veteres cedunt ignibus iræ.
Quid plura canam? vincit sævas
Cura novercas.

et sequentes alludunt ad affectus Phædræ, detestantia olim Hippolytum, ut erat novercæ, nunc autem ejusdem amore depereuntis.

357. *Novercas.* Bene est, et ad totam hujus fabulæ sententiam apte conveniens postremo in loco ponere victoriam ab amore in novercas reportatam; quasi sit illud signum potentiæ maximum, et feris domitis, veterum irarum ignibus restinctis, prodigiosius.



ACTUS SECUNDUS.

CHORUS, NUTRIX, PHÆDRA.

CHOR. ALTRIX, profare, quid feras? quonam in loco est
Regina? sævis ecquis est flammis modus?
NUTR. Spes nulla, tantum posse leniri malum;
Finisque flammis nullus insanis erit.
Torretur æstu tacito, et inclusus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor.
Erumpit oculis ignis, et lapsæ genæ
Lucem recusant. Nil idem dubiæ placet;
Artusque varie jactat incertus dolor.

Act. II, sc. 1. Amoris morbum, impatientiam et æstum conqueritur nutrix; mox ipsa prodit Phædra mutatis vestibus, in cinctum Amazonis seu venatricis, ut Hippolyto placeat.—*Altrix*, nutrix, ab *alo*.—*Quid feras*, sub. nuntii.—*Loco*, statu animi.

359. *Ecquis*, num quis.

362. *Quoque*, pro *etiam*.

364. *Lapsæ genæ*, palpebræ demissæ. Hanc scilicet significationem Plinius τῷ *genæ* tribuit. Vid. Sextum Festum, de Significatione verborum, ed. Amstelod. 1699. Præterea Lucan. II, 26: « Vultusque exanimes, oculosque in morte cadentes. » Claudianus de Bello Gildonico, vs. 21: « Vox tenuit, tardique gradus, oculique jacentes, Interius fugere genæ. »

365. *Nil idem*. Nulla res manens eadem.—*Dubiæ*, supp. *ei*. Propria amantium perturbatio. Ovid. X, 370: « Furiosaque vota retractat, Et modo desperat, modo vult tentare, pudetque, Et cupit, et quid agat non invenit. »

366. *Varie*, variis motibus. — *Dolor*, amor, quem et supra furorem, curam, insaniam dixit. Sic amor ab Ovidio etiam Ep. XIII, 104, vocatur: « Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis. » FARN. et DELR.

Nunc ut soluto labitur moriens gradu,
Et vix labante sustinet collo caput;
Nunc se quieti reddit, et somni immemor
Noctem querelis ducit; attolli jubet,
Iterumque poni corpus; et solvi comas;
Rursusque fingi : semper impatiens suî,
Mutatur habitus; nulla jam Cereris subit
Cura, aut salutis; vadit incerto pede,
Jam viribus defecta : non idem vigor,
Non ora tingens nivea purpureus rubor.
Populatur artus cura : jam gressus tremunt;
Tenerque nitidi corporis cecidit decor.
Et qui ferebant signa Phœbeæ facis,
Oculi nihil gentile nec patrium micant.
Lacrimæ cadunt per ora, et assiduo genæ
Rore irrigantur : qualiter Tauri jugis
Tepido madescunt imbre percussæ nives.

367. *Ut*, quasi mors pedes solvisset.

368. *Vix*, refer ad *sustinet*.

369. *Somni immemor*, oblita necessitatem somni, et tranquillitatem corporis ad somnum admittendum necessariam.

370. *Attolli*, in lecto.

372. *Fingi*, componi.

373. *Mutatur habitus*. Mutatur secundum modos aut vestiendi, aut standi, aut recubandi; et habitus, accusativo plurali sumendum est. Similis impatienter amantis descriptio occurrit apud Plautum, Cistellar. II, 1, 5, quem citat ex toto Baden. ubi vide. — *Cereris*. Solent enim amantes cibos aspernari. Ovidius, Epist. XI, 27 : « Fugerat ore color; macies adduxerat artus; Sumebant minimos ora coacta cibos. » Racinius loc. cit. « Et le jour a trois fois chassé la nuit obscure, Depuis que votre corps languit sans nourriture. »

375. *Non idem vig.* supp. est illi.

376. *Ora nivea purpureus rubor*. Nost. Med. 100 : « Ostro sic niveus puniceo color Perfusus rubuit. »

377. *Populatur*. Consumit, destruit; omnem vim affligit ac deprædatur. Hæc vis verbi. Sic 280 : « Igne furtivo populante venas. »

379. *Et qui*. Scil. *oculi*, vs. sq.— *Ferebant*, etc. Referebant fulgore suo Solis radios.—Vid. Animadv.

380. *Gentile*, etc. Alludit ad Phædræ originem, ex Phœbo natam.

382. *Tauri*, montis in Cilicia.

383. *Tepido madescunt imbre percuss. niv.* Sic Ovid. Eleg. I, VII, 57 : « Suspensæque diu lacrymæ fluxere per ora, Qualiter abjecta de nive

Sed, en, patescunt regiæ fastigia :
Reclinis ipsa sedis auratæ toro,
Solitos amictus mente non sana abnuit.
PH. Removete, famulæ, purpura atque auro illitas
Vestes : procul sit muricis Tyrii rubor,
Quæ fila ramis ultimi Seres legunt :
Brevis expeditos zona constringat sinus.
Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.
Odore crinis sparsus Assyrio vacet:
Sic temere jactæ colla perfundant comæ
Humerosque summos; cursibus motæ citis
Ventos sequantur : læva se pharetræ dabit;

manat aqua. » — *Percussæ*. Alii leg. *perfusæ*. Vid. Animadv.

384. *Regiæ*, palatii.

385. *Sedis toro*. *Sedes* locus est ubi ipsa sedet; *torus* autem, pulvinar molle, quod sedi imponitur.

386. *Mente non sana*, quasi adverbialiter dictum. — *Abnuit*, respuit, rejicit.

387. *Removete*, etc. RACINE, *Phèdre*, act. I, scen. II : « Que ces vains ornements, que ces voiles me pèsent! Quelle importune main, en formant tous ces nœuds, A pris soin sur mon front d'assembler mes cheveux ? etc. »

388. *Tyrii*. Tyrus, metropolis Phœnices; quondam septingentis passibus a continente divisa mari profundissimo, sed Alexandri Magni jussu, aggeribus congestis continenti juncta, nobilis tinctura purpuræ. DELR.

389. *Quæ fila*, etc. Ordo est, *fila quæ*. — *Seres*. Virgil. Georgic. II, 121 : « Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres? » Quod attinet ad Seres, vid. Senec. Thyest. 379, edit. nost. vol. I, p. 252.

390. *Brevis*, per hypallagen; id est, quæ faciat breves. — *Expeditos*, succinctos et a latere apertos, quo ad cursum sim expeditior. FARN.

391. *Cervix monili vacua*. Supp. *est*. Monile ipsa solverat rejeceratque. Jam lapides pretiosos afferri vetat. BOTH.

392. *Deducat*, pondere suo faciat inclinantes ad humerum. Idem Senec. Herc. OEt. 661 : « Nec gemmiferas *detrahit* aures Lapis Eoa lectus in unda. » *Lapis niveus*, unio.

393. *Odore*, etc. Ordo est, « crinis vacet sparsus, etc. » quasi diceret, crinis vacet odore sparso; in crines ne odor spargatur. — *Od. Assyrio*, nardo, seu amomo.

394. *Sic*, ut sunt nunc; et indicat neglectas simul comas.

396. *Ventos sequantur*. Arbitrio ventorum tollantur, vel recidant; ventis diffluant.

Hastile vibret dextra Thessalicum manus.
Talis severi mater Hippolyti fuit.
Qualis, relictis frigidi ponti plagis,
Egit catervas, Atticum pulsans solum,
Tanaitis, aut Mæotis, et nodo comas
Coegit emisitque, lunata latus
Protecta pelta; talis in silvas ferar.
NUTR. Sepone questus : non levat miseros dolor.
Agreste placa virginis numen Deæ.
Regina nemorum, sola quæ montes colis,
Et una solis montibus coleris Dea,
Converte tristes ominum in melius minas.

397. *Hast.* sarissam, venabulum.

398. *Mater Hippolyti.* Antiope, ut alii, Hippolyte, Amazonum regina, Bosporum Thracium gelu constrictum trajecit, copiisque suis Græciam aggressa, in Attica tandem devicta est a Theseo, cui nupta Hippolytum peperit. FARN.

399. *Qualis*, etc. Vid. Animadv.

400. *Catervas*, junge cum *Tanaitis, Mæotis*; et intellige, catervas Amazonum, quæ ad Tanaim fluvium Scythiæ et Mæotim paludem accolunt. FARN.

402. *Coegit*, in nodum collegit. — *Emisit*, a tergo demisit.— *Latus protecta.* Hellenismus notior. — *Lunata pelta.* Scuto brevi mediam lunam referente. Virg. Æn. I, 490 : « Amazonidum lunatis agmina peltis. » FARN.

405. *Virginis deæ.* Dianæ. Viri amantes solem, ait Delrius, feminæ lunam precabantur. Testes Seneca h. l. Euripides in Hippolyto, et Theocritus, Εἰδύλ. β', vs. 12, sqq. cujus Scholiastes hujus consuetudinis varias rationes reddit : unam, quod, quum Luna Endymionem amarit, non sit verisimile eam, feminis eodem modo laborantibus non opitulaturam : aliam, quia amori exercendo nox longe quam dies sit accommodatior, noctique Luna seu Diana præsit. Multa etiam Ælius, lib. V, cap. 6. — *Agreste.* Nonne nimis e longinquo petit Farnabius, auspicatus *agreste* dici ab *Agre*, loco trans Ilissum, ubi Dianæ venatricis ædes ? — Ante hunc vs. aliquot edd. reponunt : « Regina, sævis ecquis est, etc. » qui suum obtinuit locum vs. 359. Vid. Anim.

406. *Regina nemorum*, etc. Vota hæc concipit nutrix, Phædræ nomine aram tangens. Simillimum locum Apuleii, Met. V, p. 105, citat Baden. ubi Pan Psychen verbis monet eumdem habentibus sensum.— *Sola quæ colis, una coleris.* Magni momenti est Dianam hic appellari *solam* nemorum reginam. Horat. Od. III, XXII, 1 : « Montium custos nemorumque, virgo. »

407. *Solis.* Desertis.

408. *Ominum.* Hæc exitii omina,

O magna silvas inter et lucos Dea,
Clarumque cæli sidus, et noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna face,
Hecate triformis, en ades cœptis favens,
Animum rigentem tristis Hippolyti doma.
Amare discat, mutuos ignes ferat;
Det facilis aures; mitiga pectus ferum;
Innecte mentem : torvus, aversus, ferox,
In jura Veneris redeat : huc vires tuas
Intende. Sic te lucidi vultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te, regentem frena nocturni ætheris,
Detrahere nunquam Thessali cantus queant;

quæ per Phædræ luctum et desperationem indicantur.

411. *Alterna*, cum sole.

412. *Hecate triformis.* Sic Dianam vocabant veteres, *Hecaten*, vel quia lunam iratam placabant, centum hostiis cæsis, vel quia Hecate centum per annos ad Stygias ripas enare cogebat eos quibus justa non persoluta fuerant. Hanc quoque *Triviæ*, *Triformis*, *Trifaciei*, *Triglidæ* nomine designabant : *Triviæ*; quum Dianam innuebant, viarum ancipitium præsidem; et illi, nova quaque luna, Athenienses sacra offerebant. Voces *triformis*, *triceps*, triplicem indicant vultum quo eum repræsentabatur; cujus pars media humanam, dextra equinam, læva caninam formam referebat. Vide Ovid. Metam. II, 416, et Fast. I, 389; Natal. Com. Mytholog. III, cap. 15. Denique, nomen *Triglida* indictum fuerat Hecatæ, quia ei Athenienses piscem *mullum*, græce τρίγλη, offerebant. Vid. Euseb. de Præpar. Evang. III, cap. 3; Prudent. contra Symmach. I; Hygin. Astron. lib. IV. — *Ades*, adesto. — *Cœptis*, i. e. conceptis precibus.

414. *Mutuos ignes ferat.* Amorem amore rependat.

415. *Det facilis aures.* Sermonibus amatoriis Phædræ.

416. *Innecte*, illaquea. Cf. sup. Lucretii locum, not. ad vers. 135. Sic Delr. « Vult Seneca Hippolyti animum in amoris retia pertrahi. Aptum venationi vocabulum. »

417. *Huc*, scil. « ut redeat in jura Veneris. »

418. *Sic te.* Ellipsis hic est notanda; et sic integram restituas sententiam : « Lucidi vultus te ferant, sic ut vota nostra tu explebis. » I. e. « quemadmodum nostra expleveris vota, sic tibi omnia prospere cedant, etc. » Et fausta ipsi Lunæ precatur. — *Te lucidi vultus ferant.* Sume *ferant*, pro *habeant*, ut sæpe usitatum, « Lucida fulgeas. » Vid. Animadv.

419. *Rupta*, discussa.

421. *Detrahere nunquam*, etc.

Nullusque de te gloriam pastor ferat.
Ades invocata. Jam faves votis, Dea.
Ipsum intuor solemne venerantem sacrum,
Nullo latus comitante. Quid dubitas? dedit
Tempus locumque casus : utendum artibus.
Trepidamus? haud est facile mandatum scelus
Audere : verum justa, qui reges timet,
Deponat; omne pellat ex animo decus.
Malus est minister regii imperii pudor.

HIPPOLYTUS, NUTRIX.

HIPP. Quid huc seniles fessa moliris gradus,

Lunam enim deficientem e cælo carminibus devocari vulgo creditum. Inf. vs. 788. FARN. — *Thessali.* Thessalia, incantamentis famosa. — Horat. Ep. II, II, 209 : « Somnia, terrores magicos, miracula, sagas, Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides ».

422. *De te gloriam ferat.* Jactet te ipsius amore deperiisse, quemadmodum Eudymiona dicunt.

423. *Ades*, præsenti et indicativo positum.

424. *Solemne sacrum*, supp. *tuum.* H. e. sacrificium tui gratia institutum.

425. *Quid dubitas.* Se ipsam nutrix, nec jam Hecaten alloquitur.

426. *Casus*, fors. — *Utendum artibus.* Nunc callide tentandus est juvenis animus. Eadem apud Eurípid. Hipp. vs. 481, et ibid. vs. 680.

428. *Justa deponat.* Æquitati valedicat. — *Qui reges timet*, qui principibus morem gerere vult, et timet coram eis vera profiteri.

429. *Decus.* Honesti et decoris rationem ex animo abjiciat.

430. *Malus est minist.* etc. Ordo est : « Pudor est malus minist. reg. imp. » Et per *pudorem*, intelligas hic agi de mala verecundia, de pudore inhonesto, qui non audet sui reges officii admonere. Sententia pari dixit Silius Italicus, XIV, 93, « vilissima regi Cura pudor. » Seneca deplorat hoc loco conditionem viri probi in aula regum versantis; qui, si purpurati gregis more, reformidat invidiam regnantis, omnem justitiæ et decoris sensum exuere cogitur. At rursus, si vir idem coram regibus vera profiteri, jura populorum et generis humani, nunquam violanda, defendere sustinuerit, minitantem spernere potentiam, quam laudandus hic et admirandus!

431. Act. II, sc. II. Nutrix Hippolyti animum mollire et ad nuptias et delicias urbanas flectere callide tentat. Ille vitæ cælibis et rusticæ, quam urbanæ collatam præfert, institutum immotus tenet. — *Moliris.* Verbum est personæ hic aptissimum et conveniens.

O fida nutrix, turbidam frontem gerens,
Et mœsta vultus? sospes est certe parens,
Sospesque Phædra, stirpis et geminæ jugum.
NUTR. Metus remitte : prospero regnum in statu est,
Domusque florens sorte felici viget.
Sed tu beatis mitior rebus veni :
Namque anxiam me cura sollicitat tuî,
Quod te ipse pœnis gravibus infestus domas.
Quem fata cogunt, ille cum venia est miser;
At si quis ultro se malis offert volens,
Seque ipse torquet, perdere est dignus bona,
Queis nescit uti. Potius annorum memor
Mentem relaxa : noctibus festis facem

433. *Mœsta vultus*. I. e. mœsta secundum vultus. Ne autem jungas *gerens*, cum *vultus*. — *Certe*. Adverbium est hominis affirmantis, et tamen fere interrogantis — *Pater*, meus, Theseus. — *Stirpis geminæ jugum*. I. e. filii qui sunt quasi jugum, quasi vinculum geminæ stirpis, tum Thesei, tum Phædræ. Vix autem ausimus explicare, *duo filii*, ut faciunt paulo confusius commentatores. Utut sit, duos ex Theseo filios pepererat Phædra, Demophoontem nempe et Antigonum; ex quibus, Demophoon, post Trojæ excidium; quum appulisset ad Thraciam, Lycurgi qui in his oris regnabat, filiam duxit in matrimonium. De Antigono autem, nihil est quod ad nos, pro comperto, pervenerit.

437. *Sed tu beatis mitior*, etc. Intellige, « sed tu accede ad hanc felicitatem mente magis tractabili. »

438. *Cura tuî*. Videtur de ipso sollicita, dum vere tangitur Phædræ amoribus.

439. *Infestus*, tibi ipsi inimicus. — *Pœnis*, cruciatibus et doloribus. — *Domas*, δαμᾷς. Homer. Od. IV, 244, de Ulysse : αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας. — Vid. Animadvers. ad calcem Tragœd.

440. *Quum fata cogunt*, etc. Citat Badenius Sophoclem, sententiæ auctorem, Philoctet. 1309 : ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν Τύχας δοθείσας ἔστ' ἀναγκαῖον φέρειν· Ὅσοι δ' ἑκουσίοισιν ἔγκεινται βλάβαις, Ὥσπερ σὺ, τούτοις οὔτε συγγνώμην ἔχειν Δίκαιόν ἐστιν, οὔτ' ἐποικτείρειν τινά. — *Cum venia*. Nemo suam ei miseriam exprobrare potest, quum fatis ingruentibus premitur.

443. *Annorum*, juvenilium, voluptati bene accommodatorum.

444. *Noctibus festis*. Non sunt Triviæ, non Eleusinæ matri, sed Como, Baccho, Veneri, et hujusmodi festivis Diis sacratæ. Comissantes adhibebantur pueri, qui funali prælucerent. — *Facem attolle*. Ritu Bacchantium. Euripides, Ione, vs. 702 : Βάκχιος ἀμφιπύρους ἀνίχων Πεύκας.

Attolle : curas Bacchus exoneret graves.
Ætate fruere : mobili cursu fugit.
Nunc facile pectus, grata nunc juveni Venus;
Exsultet animus : cur toro viduo jaces?
Tristem juventam solve; nunc luxus rape;
Effunde habenas : optimos vitæ dies
Effluere prohibe. Propria descripsit Deus
Officia, et ævum per suos ducit gradus.
Lætitia juvenem, frons decet tristis senem.
Quid te coerces, et necas rectam indolem?

445. *Curas Bacchus exoneret graves.* Ut ait Horat. Od. I, VII, 31 : « nunc vino pellite curas. »

446. *Ætate fruere*, etc. Theog. vs. 979, citante Badenio : Αἶψα γὰρ, ὥστε νόημα, παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη· Οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίγνεται ὠκυτέρη, Αἵ τέ περ ἄνδρα φέρουσι δορυσσόον ἐς πόνον ἀνδρῶν Λάβρως, πυροφόρῳ τερπόμεναι πεδίῳ. Congesta reperias apud sexcentos auctores multa de rapiditate vitæ, et de necessitate indulgendi amoribus. Nec referre aggrediemur.

447. *Nunc facile pectus*, subaud. tuum est. — *Grata nunc juveni.* Tibi juveni.

448. *Cur toro*, etc. Virgil. Æn. IV, 32 : « Solane perpetua mœrens carpere juventa. »

449. *Tristem juventam solve.* H. e. tristitiæ nubem, a juventa tua alienam, dispelle, ut interpretatur Mitscherlichius, hunc locum comparans ad Horat. Epod. XIII, vs. 4. — *Cursus rape.* Bene convenit cum iis quæ sequuntur : *Effunde habenas.* Lucretius, citante Badenio, IV, 1189, de muliere : « .... communia quærens Gaudia, sollicitat spatium decurrere amoris. » Varro, satira Menippea, quæ inscribitur *Væ victis* : « Properate vivere pueræ, quas sinit ætatula ludere, amare et Veneris *teneras bigas.* » Frequens autem est *rapere cursum.* Lucanus, V, 403 : « Inde *rapit cursus.* » Claudianus, XVIII, 375 : « Sic effata, rapit *cœli per inania* cursum. » Hac ipsa tragœdia, 738 : « Ocior cursum rapiente flamma. »

450. *Optimos.* Amorem, ver, florem ætatis : ut enim matutinum tempus diei pars potior : sic juventus vitæ pars melior existimanda est. Farn.

451. *Propria*, suppl. cuique ætati.

453. *Lætitia juvenem*, etc. Voltaire : « Qui n'a pas l'esprit de son âge, De son âge a tout le malheur. Laissons à la belle jeunesse Ses folâtres emportements... » Plin. Jun. Epist. III, 1, § 2 : « Juvenes adhuc confusa quædam et quasi turbata non indecent; senibus placida et ordinata conveniunt. » Plurima insuper de hac veritate apud plurimos celebrata sunt : nec nos communia tentabimus.

454. *Te coerces.* Naturales affectus comprimis. — *Necas rectam indolem.* Metaphorice dictum ; et indo-

Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit,
Quæcumque lætis tenera luxuriat satis:
Arborque celso vertice evincet nemus,
Quam non maligna cædit, aut resecat manus.
Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.
Truculentus, et silvester, et vitæ inscius,
Tristem juventam Venere deserta colis.
Hoc esse munus credis indictum viris,
Ut dura tolerent? cursibus domitent equos,
Et sæva bella Marte sanguineo gerant?
Providit ille maximus mundi parens,
Quum tam rapaces cerneret fati manus,
Ut damna semper sobole repararet nova.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ supplet ac restituit exhaustum genus;

les adolescentis comparatur arbori rectæ, proceritatemque justam, nisi enecetur, nisi nimis excidatur, affectanti. Et pergit in comparando, vs. sq.

455. *Fœnus*, proventum.

456. *Satis*, seminibus, ex τῷ *sata*, *satorum*. — *Luxuriat*, abundat. — *Tenera*, dum juvenescit.

458. *Maligna*, inimica, invida. Plus est *cædere* quam *resecare*.

459. *Recta*, bona, liberalia, ingenuam altitudinem attingere valentia. Vix autem intelligimus sensum Farnabii: « non coacta, non depressa. » — *In laudes*, ad facta gloriosa..

460. *Vegeta*, quæ vegetos facit, et virium suarum bene compotes.

461. *Truculentus, et silvester.* Talis et Atalanta describitur Æliano, Var. Histor. XIII, 1: Ἀῤῥενωπὸν δὲ καὶ γοργὸν ἔβλεπε· τοῦτο μὲν καὶ ἐκ τῆς θηρίου τροφῆς, ἐπεὶ καὶ θυμοειδὴς ἦν, ἤδη δὲ καὶ τῶν ἐν τοῖς ὄρεσι γυμνασίων. Baden. — *Vitæ inscius.* Vita frui nescius.

463. *Indictum*, impositum. — *Credis*, interrogantis est.

466. *Providit ille*, etc. Hinc incipit elegans matrimonii commendatio, cui adjunge Augusti orationem contra cælibes, apud Dionem. Farnab. — *Providit.* Prudenter curavit; et junge eum *ut*, vs. 468.

468. *Prov. ut damna repararet.* Curavit damna reparanda.

469. *Agedum.* Formula hypothetica. — *Exced. reb. human.* Tollatur, ab hominum societate. — *Venus.* Alma omnium genitrix.

470. *Exhaustum genus.* Citat Baden. plura loca huc spectantia: Euripid. in OEdip. Fragment. XVII;

Orbis jacebit squallido turpis situ;
Vacuum sine ullis classibus stabit mare;
Alesque cælo deerit, et silvis fera;
Solis et aer pervius ventis erit.
Quam varia leti genera mortalem trahunt
Carpuntque turbam; pontus, et ferrum, et doli!
Sed fata credas deesse, sic atram Styga
Jam petimus ultro. Cælibem vitam probet
Sterilis juventus; hoc erit, quidquid vides,
Unius ævi turba, et in semet ruet.
Proinde vitæ sequere naturam ducem:
Urbem frequenta, civium cœtus cole.
HIPP. Non alia magis est libera, et vitio carens,

Plutarchi, in lib. Amatoriis, V; et indicat plura Veterum circa eumdem sensum dicta collegisse Priceum, ad Apuleii Met. XI, 239.

471. *Situ*, veterno, torpore.

472. *Stabit*. Bene; id est, et vacuum erit, et immotum.

474. *Solis ventis*, quum sc. alites defecerint.

477. *Sed fata credas deesse*. Attamen, prope crederes nos, quasi per fata non moreremur, ultro arcessere mortem. — *Sic*, connecte cum iis qui præcedunt, et intellige, « crederes, etc. tanta est dementia quacum, etc. »

478. *Probet*, formula hypothetica; « si juventus probaret, amplecteretur. »

479. *Hoc... quidquid vides*. Totus ille, quem tu vides, mundus. — *Erit unius ævi*, per unius tantum ætatis humanæ intervallum durabit.

480. *In semet ruet*. Scil. non renascetur per seriem nepotum, et omnino exstinguetur.

481. Ordo est: Proinde seq. naturam, tanquam ducem, vitæ.

482. *Non alia*, etc. Locus ille, nobis judicibus, inter luculentissimos Senecæ adnumerandus. Nil mirum, quod Hippolytus, solii hæres, priscam majorum suorum simplicitatem tantis prosequatur elogiis; nec inde sequitur caruisse eum dotibus quæ gerendo sceptro parem præstent. Eo autem utitur sermone qui decet juvenem ingenuum, atque effrenatæ libidinis audacia territum: flagitiisque quorum aspectum veretur, bene opponit prioris ævi innocentiam. Agrestis cæterum et rusticæ vitæ laudes affatim reperias, et apud plurimos, et in Xenophont. Œconom. Arist. Polit. lib. VI; Varron. de Re Rust. lib. I; Columellam, init. rusticani operis; Virgilium, Georg. II, 458 sq. et Horat. Epod. II.

483. *Vitio carens*. Non inserviens curis, avaritiæ, ambitioni, invidiæ, etc. ut in sequentibus. FARN.

Ritusque melius vita quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus silvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem jugis:
Non aura populi, et vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno servit; aut regno imminens,
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes,
Spei metusque liber; haud illum niger
Edaxque livor dente degeneri petit.
Nec scelera populos inter atque urbes sita
Novit; nec omnes conscius strepitus pavet.
Haud verba fingit: mille non quærit tegi
Dives columnis; nec trabes multo insolens
Suffigit auro: non cruor largus pias
Inundat aras; fruge nec sparsi sacra

488. *Aura*, gratia. — *Infidum bonis*. Meritis præmiis et honore non remunerans bonos.

489. *Non pestilens invidia, non fragilis favor*. Suppleas ubique, *inflammat*, vs. 486.

490. *Regno servire*, est, regibus servilem præbere adulationem; *regno imminere*, sceptrum affectare.

493. *Degeneri*, ignobili.

494. *Nec scelera populos inter*, etc. Cicero pro Rosc. Amerin. c. 75: « In urbe luxuries creatur: ex luxuria exsistat avaritia necesse est: ex avaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignantur. » In eamdem partem disputat Fredericus II, Op. 11, 2, p. 166: « La malice du cœur humain, qui semble engourdie dans la solitude, se ranime dans le grand monde: et si le commerce des hommes, qui assortit les caractères les plus ressemblans, fournit des compagnons aux gens vertueux, il donne également des complices aux scélérats. Les désordres s'accrurent dans les villes; de nouveaux vices prirent naissance, etc. » Baden.

495. *Conscius*, supp. pravi alicujus facinoris.

496. *Haud verba fingit*. Hoc est, non ficte et simulate loquitur, non aliud dicit ac sentit.

497 sq. *Non suffigit trabes*. Non exteriorem trabis cujusque partem aureis laminis contegit. — *Insolens*, superbus. Vel alluditur ad miraculum rei.

499. *Inundat*, ut magna est victimarum copia. — *Fruge sacra*. Mola ex hordeo et sale confecta: qua frontem victimæ, focum et cultros aspergere moris erat. Farn.

Centena nivei colla submittunt boves.
Sed rure vacuo potitur, et aperto æthere
Innocuus errat. Callidas tantum feris
Struxisse fraudes novit; et fessus gravi
Labore, niveo corpus Ilisso fovet.
Nunc ille ripam celeris Alphei legit:
Nunc nemoris alti densa metatur loca,
Ubi Lerna puro gelida pellucet vado;
Sedemque mutat: hic aves querulæ fremunt,
Ramique ventis lene percussi tremunt,
Veteresque fagi. Juvit aut amnis vagi
Pressisse ripas, cespite aut nudo leves
Duxisse somnos; sive fons largus citas
Defundit undas; sive per flores novos
Fugiente dulcis murmurat rivo sonus.
Excussa silvis poma compescunt famem:
Et fraga, parvis vulsa dumetis, cibos

500. *Centena.* Alludit ad hecatomben. — *Submittunt*, supple coltro sacrificatoris.

501. *Rure vacuo, aperto æthere.* Hæc opponuotor *columnis, trabibus*, et urbanis ædificiorum carceribus.

504. *Niveo*, puro, vitreo, candido. — *Fovet*, recreat.

505. *Alphei.* Fluvii Elidis, Pisas allueotis. FARN. — *Legit*, radit.

506. *Metatur*, ad retia ponenda.

507. *Lerna gelida.* Foos prope Corinthom gelidos et limpidos; non palus illa in agro Argivo. FARN.

508. *Sedem mutat.* Ubi libet, sedem suam transfert. — *Hic aves*, etc. Quasdam eoomerat sedes, quas motare libet: « Nunc avium ramorumque fremitus audit; oooc secundum amnem ambulat; nunc in cespite prope fontem, nuoc in gramine prope rivum somnos ducit amabiles. »

509 sq. *Ramique veteresque fagi*, etc. Accipiendum, ut bene adnotat Baden. per hendiadyo, pro, « rami veterum fagorum: » qua figura nihil frequentius apud Senecam. Vide ad Thyest. vs. 833. Totus autem hic locus manifesta imitatiooe expressos est ex Horat. Epod. II, vs. 23: « Libet jacere modo, etc. » Ubi vide.

510. *Juvit.* Valet ἀορίστως, ut idem sit, ac, *juvare solet.*

511. *Pressisse.* Eodem sensu, quo sopra, vs. 505, *legit.* — *Cespite nudo*, scilic. oullo stragolo aut pulvinari supposito. FARN. — *Leves*, molles, faciles.

Faciles ministrant; regios luxus procul
Est impetus fugisse. Sollicito bibant
Auro superbi: quam juvat nuda manu
Captasse fontem! certior somnus premit
Secura duro membra versantem toro.
Non in recessu furta et obscuro improbus
Quærit cubili, seque multiplici timens
Domo recondit: æthera ac lucem petit,
Et teste cælo vivit. Hoc equidem reor
Vixisse ritu, prima quos mixtos Deis
Profudit ætas: nullus his auri fuit
Cæcus cupido: nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis.

517 sq. *Procul est impetus fugisse.* Intell. impetus est, id est, omnes curæ babent, festinant, fugisse procul luxus regios. Hanc phrasim Delrius apud Ovid. Met. II, 663; V, 287; VI, 461; VIII, 38; XI, 332, et in Epist. V, 64, et alibi, plus decies se observavisse adnotat.

518. *Sollicito.* Ipsi solliciti. Et accipe, quemadmodum apud Tibullum, III, IV, 20: « Somnus sollicitas deficit ante domos. » Huc pertinet illud quod citat Bad. ex Juven. X, 25: « ... nulla aconita bibuntur Fictilibus: tunc illa time, quum pocula sumes Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro. »

519. *Superbi*, divites, potentes, reges.—*Nuda*, quasi diceret *sola*, sine poculis et scyphis.

520. *Captasse.* Melius ibi quam *capere;* fugitivarum rerum est *captari;* et aqua inter digitos effluit. —*Certior somnus.* Hoc est, securior, tranquillior somnus. Idem Hercul. Œt. vs. 644: « Cespes Tyrio mollior ostro, Solet impavidos ducere somnos. » Et Ep. xc, § 41: « Illi, quos aliquod nemus densum a sole protexerat, qui adversus sævitiam hiemis aut imbris, vili receptaculo tali sub fronde vivebant, placidas transigebant sine suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostra purpura versat et acerrimis excitat stimulis: at quam *mollem somnum* illis dura tellus dabat! »

522. *Furta quærit.* Id est, dolos fraudesque meditatur.

523. *Cubili*, accipiendum pro *domo.* — *Obscuro*, propter conclavia et multiplices recessus.

525. *Teste cælo.* In aperto, sub dio. Huc respexisse videtur Badenio Prudentius, Cathemer. II, 27: « Nec teste quisquam lumine Peccare constanter potest. »

526. *Mixtos Deis.* Scilicet, heroas, Semideos.

528. *Sacer lapis.* Vocatur a poeta lapis ille *sacer*, quia Terminus, quem voluit Numa pro deo coli, agrorum

Nondum secabant credulæ pontum rates:
Sua quisque norat maria; non vasto aggere
Crebraque turre cinxerant urbes latus.
Non arma sæva miles aptabat manu;
Nec torta clusas fregerat saxo gravi
Balista portas; jussa nec dominum pati
Juncto ferebat terra servitium bove:
Sed arva per se fœta poscentes nihil
Pavere gentes: silva nativas opes,
Et opaca dederant antra nativas domos.
Rupere fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps; quæque succensas agit
Libido mentes: venit imperii sitis

finibus præsidebat. Illi quidem lapides sæpe Deum ipsum repræsentabant, sæpius autem vix exsculpti lapides erant, ut rure fit apud nos. Vide Dion. Halicarn. lib. II; Ovid. Fast. II, 641; Plutarch. in Num. Cicer. Philipp. Cujac. Observ. II, 5; Brisson. de Formulis, lib. V. Mense februario celebrabantur in honorem Termini festa, quæ ob id *Terminalia* dicebantur.

530. *Credulæ*, fidentes undis, et naufragiorum securæ.

531 sq. *Sua quisque norat maria.* Supple, *tantum*, id est, nulla, nisi suæ oræ, maria noverat. — *Non vasto aggere*, etc. Urbes enim sibi latus cingunt et claudunt aggeribus murorum et turribus. Lips.

533. *Sæva.* Refer ad *manu.*

534. *Torta.* Violenter acta. — *Clusas*, pro *clausas.*

535. *Balista.* Machinæ hujus, lapidum libratoriæ, descriptionem habes apud Ammian. lib. XXIII, 4, qui docet quid discrepet a scorpionis forma, quem appellant onagrum; et apud Vitruvium, lib. ult. cap. 15 et sqq. cujus verba recenset Turneb. Adv. II, 5. De eadem Vegetius, Vulturius, et lib. Notitiæ Orient. et Occident. Delr.

536. *Ferebat servitium.* Colono erat subdita.

538. *Pavere.* Præteritum est a *pascere.* — *Silva nativas opes*, etc. Herbas, fraga, glandes, poma, etc. Farnab.

539. *Dederant.* Exquisite positum est, pro *dederunt.* Sic apud Virgilium, Æneid. V, 397: « Si mihi, quæ quondam *fuerat*, quaque improbus iste Exsultat fidens, si nunc foret illa juventa. » Pro *fuit.* Et Propert. III, 11, 36: « Hinnulei pellis totos operibat amantes, Altaque nativo *creverat* herba toro. » Pro *crevit.*

540. *Fœdus*, initum ab hominibus cum natura.

542. *Libido.* Agitur de insana qualibet cupidine.

Cruenta : factus præda majori minor.
Pro jure vires esse; tum primum manu
Bellare nuda ; saxaque et ramos rudes
Vertere in arma : non erat gracili levis
Armata ferro cornus; aut longo latus
Mucrone cingens ensis; aut crista procul
Galeæ comantes : tela faciebat dolor.
Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis : hinc terras cruor
Infecit omnes fusus, et rubuit mare.
Tum scelera, demto fine, per cunctas domos
Iere : nullum caruit exemplo nefas.
A fratre frater, dextera nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Perimuntque fœtus impiæ matres suos.
Taceo novercas : mitius nil est feris.

543. *Factus præda majori minor.* Prout quisque viribus erat minor, majoris præda factus fuit, vel in potentioris imperium cessit.

544. *Pro jure vires esse.* Imitatur Lucanus, I, 175 : « ... mensuraque juris Vis erat. » — *Tum*, ne jungas cum *primum* ; et hoc refer ad *nuda*. Id est, « Tum, cœperunt bellare manu primum nuda. »

545. *Nuda*, inermi.

546. *Vertere.* Infinitivus est.

547. *Cornus*, arbor est conficiendis hastis aptissima.

548. *Mucrone... ensis.* Proprie *mucro* lamina est; *ensis* autem de tota armatura dicitur. — *Crista* Pinna, juba, cauda equina solebant cassides coronare, similitudine ducta a gallorum gallinaceorum (qui Martis alites) cristis, nec non cornibus, ut Pyrrhus Epirotarum rex in hostium terrorem : alii, a forma capitis canini, vulpini, lupini, felini, unde κυνέαι, ἀλωπεκέαι, λυκέαι, γαλέαι. Quæ tamen aliis dicuntur quod ex hisce pellibus confici solitæ galeæ. Farn.

551. *Et mille formas mortis.* Tibullus, I, III, 49 : « Nunc Jove sub domino cædes, nunc vulnera semper, Nunc mare, nunc leti mille repente viæ. » Delr.

552. *Rubuit*, præliis navalibus.

553. *Tum*, post novas belli artes inventas, etc. — *Demto fine*, sine fine.

558. *Mitius nil est feris.* Hoc verbo plerique interpretum credunt totius humani generis notari crudelitatem, quam tantam tamque abominabilem esse dicit Tragicus, ut jam mitius nihil videatur quam feræ; quumque homines scelerati omnes sint, duces tamen malorum

Sed dux malorum femina. Hæc scelerum artifex
Obsedit animos; cujus incestæ stupris
Fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt,
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ : sola conjux Ægei
Medea reddit feminas dirum genus.
NUTR. Cur omnium fit culpa paucarum scelus?

esse feminas, scelerumque pessimas inventrices. Explicant alii : *nil*, nihilo, neqnaquam *mitius feris est*, novercarum sc. genus (nt panlo inf. *feminas dirum genus*); quem certe sensnm exprimi voluit Scaliger. Vid. Animsdv. Seneca, teste Baden. ante oculos hahuit illud Euripidis, ex Alcestide, 310 : Ἐχθρὰ γὰρ ἡ 'πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα, i. e. *nil mitior vipera.*

559. *Sed dux malorum femina.* Sententiam hanc reperiss apud omnes, vel antiqnissimos, poetas, Orpheum videlicet, Homerum, Menandrum, Diphilum, Philemonem et Euripidem. Quam quidem multo minus æquo acciperent nostrates Galli, serio præsertim in argumento, nisi mitigavisset carminis elegantia, aut apte præparavisset scribentis calliditas. Itaque melius Nostri quod decet retinuerunt; ut fecerunt nihilominus apnd Veteres Hesiodus, Simonidesque; et præsertim scriptor, nescio quis, vetulus, de quo fertnr sequens epigramma : « Crede ratem ventis : animum ne crede puellis. Namque est feminea tutior unda fide. Femina nulla bona est, vel si boua contigit ulli, Nescio quo fato res mala facta bona est. » Acumen epigrammatis temperatum, si quid panlo acerhius inest sententiæ. — *Hæc*, scil. femina.

560. *Cujus.* Hæc est, cujus, etc.

561. *Bella tot gentes gerunt.* Notum decennale bellnm, et Ilinm propter Helenam eversum. Duris, lib. II historiæ, prodidit propter Thenno a quodam Phocensi raptam, decenninm solidnm Thebanos cnm Phocensibus lento duello collisos, et tandem Phocensium urbem excisam. Belli quod Cambyses Ægyptiis intulit, Nicetis Apriæ filia causa fuit, auctore Ctesia, etc. Cf. Athen. XIII, 4, et Parthenii Erotica. DELR.

562. *Premunt*, ruinis, leto.

564. *Medea.* Quæ patrem Œtam prodidit, fratrem Absyrtum discerpsit, Peliam a suis filiabus jugulari fecit, Creontem cum filia Glauca, (ut alii, Creusa) medicatis iguibus assumpsit, liberos suos Mormorum ac Pheretrem in odinm Jasonis coram patre occidit; fugiens autem Athenas Ægeo nupta, Medum peperit, in cujus gratiam Theseo insidiata est. FARN. — *Reddit fem. dirum genus.* H. e. quod de Clytæmnestra dixerat Homer. Odyss. XI, 432 : Ἥ τε κατ' αἶσχος ἔχευε καὶ ἐσσομένῃσιν ὀπίσσω θηλυτέρῃσι γυναιξί, καὶ ἥ κ' εὐεργὸς ἔῃσιν. BADEN.

HIPP. Detestor omnes, horreo, fugio, exsecror.
Sit ratio, sit natura: sit dirus furor,
Odisse placuit. Ignibus junges aquas;
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta Syrtis; ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem;
Et ora damis blanda præbebunt lupi;
Quam victus animum feminæ mitem geram.
NUTR. Sæpe obstinatis induit frenos amor,
Et odia mutat. Regna materna aspice:
Illæ feroces sentiunt Veneris jugum.
Testaris istud unicus gentis puer.
HIPP. Solamen unum matris amissæ fero,
Odisse quod jam feminas omnes licet.
NUTR. Ut dura cautes undique intractabilis
Resistit undis, et lacessentes aquas
Longe remittit, verba sic spernit mea.
Sed Phædra præceps graditur, impatiens moræ.

566. *Detestor... horreo, fugio*, etc. Anxesis pathetica.

568. *Junges.* Supple *ante;* ut fit in partibus sententiarum quæ sequuntur.

569. *Et amica*, etc. Ordo est: ante Syrtis incerta (infida), promittet ratibus vada (fluctus), amica, hospita, fausta.

570. *Ab extremo sinu.* Nimirum ab occidente.

571. *Hesperia Tethys.* Mare Hispanum. Uxor Oceani dicitur pro, *mari.*

573. *Feminæ mitem.* Feminæ tractabilem; et *feminæ*, dativus est.

575. *Regna materna aspice.* Amazonas nempe, quæ, utut connubia asperuentur, quotannis tamen ad sobolem propagandam viros admittunt. FARN.

576. *Illæ.* Amazones.

577. *Unicus gentis puer.* Non solus hic fuerat natus Amazone, sed solus ex filiis Amazonum credebatur superstes: saltem ex sententia illorum, qui eas, quum concubitum finitimorum iniissent, si qui mares nascerentur, interfecisse tradunt, ut Justin. I, IV, 10 (ed. nost. pag. 106). *Unicus* autem interpretari præclarum et eximium, hic neque præclarum, neque eximium est.

579. *Jam*, amissa scilicet femina, quam amavi unicam.

582. *Remittit*, repellit.

583. *Impatiens moræ.* Me non exspectans.

Quo se dabit fortuna? quo verget furor?
Terræ repente corpus exanimum accidit,
Et ora morti similis obduxit color.
Attolle vultus, dimove vocis moras:
Tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet.

PHÆDRA, HIPPOLYTUS, NUTRIX, FAMULI.

PH. Quis me dolori reddit, atque æstus graves
Reponit animo? quam bene excideram mihi?
Cur dulce munus redditæ lucis fugis?
Aude, anime, tenta, perage mandatum tuum;
Intrepida constent verba: qui timide rogat,
Docet negare. Magna pars sceleris mei
Olim peracta est: serus est nobis pudor.
Amavimus nefanda: si cœpta exsequor,
Forsan jugali crimen abscondam face.
Honesta quædam scelera successus facit.

584. *Fortuna*, sors reginæ.

585. *Accidit*, cecidit.

586. *Morti similis color.* Id est, pallor.

587. *Attolle vultus.* Phædram nutrix alloquitur. — *Dimove vocis moras.* Linguam illi præpeditam significat: quod vehementissimi amoris signum. DELR.

588. *Tuus en*, etc. Allevat collapsam Hippolytus.

Act. II, sc. III. Phædra et nutrix juvenis pudicitiam omni arte oppugnant nec expugnant: ad fraudem itaque confugiunt et calumnias. — *Excideram bene mihi*, dictum videtur pro eo quod est, deliquium animi pati.

591. *Cur dulce munus*, etc. Se ipsam alloquitur Phædra; visoque nunc Hippolyto, vivere vult.

592. *Perage mand. tuum.* Quod nutrici mandasti, ipsa perage.

595. *Olim*, scil. quum concipere ausa sum hunc amorem.

596. *Si cœpta exsequor.* Si amori meo responderit Hippolytus.

597. *Crimen.* Amorem quem ipsa vocat nefandum — *Jugali abscondam face.* I. e. non redeunte ab inferis Theseo, Hippolyto nubam. Ante oculos erat Virg. Æn. IV, 170: « neque enim specie famave movetur, Nec jam furtivum Dido meditatur amorem: Conjugium vocat; hoc prætexit nomine culpam. »

En, incipe, anime. Commodes paulum, precor,
Secretus aures : si quis est, abeat, comes.
HIPP. En, locus ab omni liber arbitrio vacat.
PH. Sed ora cœptis transitum verbis negant.
Vis magna vocem emittit, at major tenet.
Vos testor omnes, cælites, hoc, quod volo,
Me nolle.
HIPP. Animusne cupiens aliquid effari nequit?
PH. Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.
HIPP. Committe curas auribus, mater, meis.
PH. Matris superbum est nomen, et nimium potens.
Nostros humilius nomen affectus decet.
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca :
Famulamque potius : omne servitium feram.
Non me, per altas ire si jubeas nives,
Pigeat gelatis ingredi Pindi jugis;
Non, si per ignes ire et infesta agmina,
Cuncter paratis ensibus pectus dare.
Mandata recipe sceptra; me famulam accipe.
Te imperia regere, me decet jussa exsequi.
Muliebre non est regna tutari urbium.

599. *Commodes*, etc. Incipit hic alloqui Hippolytum.

601. *En*. Jam discesserunt Hippolyti comites. — *Ab omni liber*, etc. Eumdem versum, leviter immutatum, Seneca repetit in Herc. OEt. 484 : « Eo locus ab omoi tutus arbitrio vacat. » — *Arbitrio*, i. e. cogoitione, iospectiooe.

602. *Ora* mea.

603. *Vis magna*, amor. — *Vis major*, pudor. — *Tenet*, retinet.

604. *Vos testor omnes*, etc. Hæc dicit seorsum.

609. *Nimium potens*. Nimiam gerenti tale nomen potentiam attribuit; quam ego, tui respecto, velim exuere.

610. *Nostros humilius*, etc. Hæ deliciæ, ait Badenios, fluxerunt ab Ovidio, cujos est illud Metam. IX, 465, de Byblide : « Jam dominum adpellat; jam nomina saogoinis odit; Byblida jam mavolt, quam se vocet ille sororem. »

616. *Cuncter*. Hæsitem. — *Dare*, ultro offerre.

617. *Mandata*, mihi a patre tuo, dum abest.

619. *Regna urbium*. Ea tempestate,

Tu, qui juventæ flore primævo viges,
Cives paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam, supplicem, ac servam tege.
Miserere viduæ. HIPP. Summus hoc omen Deus
Avertat : aderit sospes actutum parens.
PH. Regni tenacis dominus et tacitæ Stygis,
Nullam relictos fecit ad superos viam.
Thalami remittet ille raptorem sui ?
Nisi forte amori placidus et Pluton sedet.
HIPP. Illum quidem æqui cælites reducem dabunt.
Sed, dum tenebit vota in incerto Deus,
Pietate caros debita fratres colam,
Et te merebor esse ne viduam putes;

pro singulis fere potentibus Græciæ urbibus totidem regna erant.

621. *Paterno*, quod pater tuus dudum exercuit. — *Fortis*, ad urbium regna tutanda, quod muliebre non esse modo dixerat.

622. *Sinu receptam*. Ambigue dictum putat Farnabius. Ille, de causa et protectione : hæc, de amore intelligit. Idem ad *viduæ*, « et hoc ambigue : Phædra enim viduam se absente marito dicit : ille patris tamquam mortui omen deprecatur. » Hæc sunt distinguentia nimis forsan acute.

624. *Avertat*. Ominosum erat vocabulum *viduæ :* quia significare videbatur Theseum jam vixisse.

625. *Regni*, etc. Eodem sensu noster *Racine*, *Phèdre*, act. II, sc. v : « Et l'avare Achéron ne lâche point sa proie. » — *Tacitæ Styg.* Tacite fluentis, ut Herc. Fur. vs. 713; vel propter silentes umbras. FARN.

626. *Ad superos*. H. l. intellige, ad nos.

627. *Thalami*, etc. Conjugis suæ raptores dimittet Pluto? Sup. v. 94, et Herc. Fur. vs. 805.

628. *Nisi forte*, etc. Formula qua indicatur res omnino impossibilis. — *Amori placidus*. Placide ferens illum amorem quo Proserpinam prosequuti sunt Theseus Pirithousque. — *Sedet*. Verbum bene appositum, ad exprimendam æquitatem tranquillitatemque animi. — *Et Pluton*. Habet *et* vim augendi, pro, *etiam*. Scilic. « Ipse Pluto, deorum maxime terribilis. »

629. *Æqui*. Non potest aliter intelligi deorum æquitas, quam quod illi fidæ Thesei erga Pirithoum amicitiæ favebunt.

631. *Fratres*. De quibus, jam supra, vs. 434.

632. *Et te merebor*. Vide prim. Animadvers. Ordo autem est : Merebor, ne putes te esse viduam. H. e. meritis et pietate efficiam, ne sentias incommoda viduitatis. Quod idem seq. versu, explanatius ingе-

Ac tibi parentis ipse supplebo locum.
PH. O spes amantum credula! o fallax amor!
Satisne dixit? precibus admotis agam.
Miserere : tacitæ mentis exaudi preces.
Libet loqui, pigetque. HIPP. Quodnam istud malum est?
PH. Quod in novercam cadere vix credas malum.
HIPP. Ambigua voce verba perplexa jacis;
Effare aperte. PH. Pectus insanum vapor
Amorque torret : intimas sævus vorat
Penitus medullas, atque per venas meat
Visceribus ignis mersus et venis latens,
Ut agilis altas flamma percurrit trabes.
HIPP. Amore nempe Thesei casto furis.
PH. Hippolyte, sic est : Thesei vultus amo
Illos priores, quos tulit quondam puer;
Quum prima puras barba signaret genas,
Monstrique cæcam Gnossii vidit domum,

minat his verbis, « ac tibi parentis ipse supplebo locum. » SCHRODER. — Gronovius autem censet τὸ *merebor*, absolute dictum et explicat : Pietate et obsequio ita te demerebor, ut me censeas dignum, quem pro filio, non pro privigno ducas. Sic Hercul. OEt. 1504 : « Merui parentem : contuli cælo decus. »

633. *Ac tibi parentis*, etc. De pietate sentiebat Hippolytus : noverca dubium sermonem aliter accipiebat. Quod satis ostendit sequens, *Satisne dixit?* DELR.

635. *Satisne dixit?* Pie ille et simpliciter dixerat, *parentis supp. loc.* illa accipit, quasi amori suo cessisset. FARN. — *Precib. adm. ag.* Versum hunc et præcedentem secum dicit.

636. *Tacitæ mentis*, etc. Exquisite dictum. Vellet enim ab Hippolyto se intelligi, nec opus esse verba proferre quæ pudori suo officiunt, et personam mulieris dehonestant.

640. *Vapor amorque.* Ἓν διὰ δυοῖν, id est, incendium amoris; et *vapor* bene sumitur pro igne ipso.

642. *Vorat penitus medullas.* Virgil. Æneid. IV, 66 : « Est mollis flamma medullas. »

645. *Nempe.* Simpliciter ille hæc, vel simulanter. FARN.

648. *Puras genas.* Ut *pura* lanx cælatæ, argentum *purum* cælato, *purus* locus inædificato, sic genæ *puræ* barbatis opponuntur. DELR.

649. *Monstri.* Minotauri, supra vs. 121 — *Gnossii*, a Gnosso, Cretæ urbe. FARN.

Et longa curva fila collegit via.
Quis tum ille fulsit! presserant vittæ comam,
Et ora flavus tenera tingebat rubor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori:
Tuæve Phœbes vultus, aut Phœbi mei;
Tuusve potius: talis, en, talis fuit,
Quum placuit hosti: sic tulit celsum caput.
In te magis refulget incomptus decor,
Est genitor in te totus: et torvæ tamen
Pars aliqua matris miscet ex æquo decus.
In ore Graio Scythicus apparet rigor.
Si cum parente Creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra nevisset soror.
Te, te, soror, quacumque siderei poli
In parte fulges, invoco ad causam parem.
Domus sorores una corripuit duas;

650. *Collegit.* Manu retinuit. — *Longa fila.* Ab Ariadne data. — *Curva via*, per anfractus labyrinthi.

652. *Flavus pudor.* Accipiendum per hypallagen, pro, flavi Thesei pudor.

653. *Mollibus fortes*, etc. Nihil adeo placere potest, quam virile robur teneræ adhuc juventuti conjunctum.

654. *Tuæ.* Quam tu colis, Hippolyte. — *Mei*, avi mei, qui semper juvenis, pulcher, intonsus. Iuf. vs. 801. FARNAB. — *Vultus.* Supp. « erat Thesei. »

655. *Tuusve potius*, etc. Totum hoc Racinius retulit, Phædr. act. I, sc. III: « Oui, prince, je languis, je brûle pour Thésée, etc. » Ubi vide scenam integram.

656. *Quum placuit hosti.* Scilicet Ariadnæ, filiæ Minois, ex gente Cretensi, Atheniensibus infensa. Vult Commelinus, post Parrhasium quemdam, de Minoe potius dicta hæc, quem inimicitias adversus Athenienses deposuisse Thesei amore inductum, testis est Athenæus. Sed, nisi fallimur, Ariadnem intelligendam esse, vel versus 662 et seq. sunt indices.

657. *Incomptus.* Nativus, non fucatus.

658. *Est.* Vide Animadvers.

659. *Torvæ matris*, Amazonis.

661. *Parente*, tuo.

662. *Potius*, quam patri tuo.

663. *Quacumque siderei poli*, etc. Ariadne a Baccho in cælum fuerat relata.

664. *Invoco ad causam parem.* Obsecro mihi faveas eodem malo, quo tu olim, laboranti.

665. *Domus sorores*, etc. Ovid.

Te genitor, at me natus. En, supplex jacet
Allapsa genubus regiæ proles domus.
Respersa labe nulla, et intacta, innocens,
Tibi mutor uni : certa descendi ad preces.
Finem hic dolori faciet, aut vitæ dies.
Miserere amantis. HIPP. Magne regnator Deûm,
Tam lentus audis scelera? tam lentus vides?
Ecquando sæva fulmen emittes manu,
Si nunc serenum est? omnis impulsus ruat
Æther, et atris nubibus condat diem;
Ac versa retro sidera obliquos agant
Retorta cursus : tuque sidereum caput
Radiate, tantumne nefas stirpis tuæ
Speculere? lucem merge, et in tenebras fuge.
Cur dextra, Divûm rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulca mundus ardescit face?
In me tona; me fige; me velox cremet

Epist. IV, 63 : « placuit domus una duabus; Me tua forma capit; capta parente soror. Theseides Theseusque duas rapuere sorores. »

666. *En, supplex*, etc. Convertitur nunc rursus ad Hippolytum.

667. *Allaps. genubus*. Supp. tuis. Eadem Phædr. apud Ovid. in Epist. Heroid. IV, 153 : « Victa precor, genibusque tuis regalia tendo Brachia. Quid deceat, non videt ullus amans. »

669. *Tibi uni*. Tui solius amore. — *Certa*. Non temere, sed consulto. Simillimum refert Badenius locum Plauti, Mil. glor. IV, VI, 24 : « Ac. Si pol me nolet ducere uxorem, genua amplectar, Atque obsecrabo : alio modo si non quibo impetrare, Consciscam letum : vivere sine illo scio me non posse. »

672. *Tam lentus*. Ad repetendas nefandi amoris pœnas.

674. *Si nunc serenum est?* Potest τὸ *serenum est*, absolute dici, h. e. si regnat nunc serenitas in cælo; vel referri *serenum* ad fulmen, si nunc non fulminas.

676. *Obliquos*. Non jam rectos, ordinem assuetum excedentes.

677. *Sidereum caput Radiate*. Hellenismus est, pro, « cujus sidereum caput radiis coruscat. »

679. *Speculere*. Ut adhibetur subjunctivus, intelligendum : « Potesne speculari. » — *Lucem*, tuam. — *In tenebras fuge*. Ne videas scelus neptis tuæ Phædræ.

680. *Cur dextra*, etc. Ovid. Met. II, 279 : « quid, o tua fulmina cessant, summe Deum? »

682. *In me*. Si non in illam.

Transactus ignis : sum nocens; merui mori.
Placui novercæ : dignus en stupris ego
Sceleréque tanto visus? ego solus tibi
Materia facilis? hoc meus meruit rigor?
O scelere vincens omne femineum genus!
O majus ausa matre monstrifera malum,
Genitrice pejor! illa se tantum stupro
Contaminavit, et tamen tacitum diu
Crimen biformi partus exhibuit nota,
Scelusque matris arguit vultu truci
Ambiguus infans : ille te venter tulit.
O ter quaterque prospero fato dati,
Quos hausit, et peremit, et leto dedit
Odium, dolusque! Genitor, invideo tibi.
Colchide noverca majus hoc, majus malum est.

684. *Placui novercæ*. Pertinet huc præconium Metilio a Seneca tributum in Consol. ad Marc. c. 24, § 2 : « Adolescens rarissimæ formæ, in tam magna mulierum turba viros corrumpentium, nullius spei se præbuit; et quum quarumdam usque ad tentandum pervenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset, quod placuerat. » BADEN. — *En*, vim indignationis habet.

686. *Rigor*. Austeritas mea et asperitas.

687. *O scelere vincens*, etc. Vide Animadvers.

688. *Matre monstrifera*. Pasiphae, quæ ex promiscuo concubitu Minois et Tauri peperit Minotaurum. FARNAB.

689. *Genitrice pejor! illa se tant. stupro*, etc. Vix ausimus confidere nos hic animum auctoris et totam hujus loci seriem liquido discernere; nec bene compertum habemus quæ sit variarum sententiæ partium connexio. Forsan sic omnia debent intelligi : « Tu es pejor matre, i. e. callidior ad dissimulandam pravitatem tuam. Scilicet, illa libidinem tantummodo stuprosam, monstrosam (et res Hippolyto videtur misericordia potius quam odio digna) conceperat; et tamen, Minotaurus in lucem editus illius detexit scelus. » Et sic alia innuit, quæ animo cum reputare recte fingas : « Tu autem nullo indicio argui potes, dum omnes falsa virtutis specie decipis. » — *Ille te venter tulit*. Hæc sunt quasi consequentia præcedentium : « quum talia sis, certissimum est ex tali femina te natam. »

694. *Dati*, editi.

696. *Odium, dolusque;* innuit, novercarum. — *Genitor*, vid. vs. sq.

697. *Colchide noverca majus hoc*. Tibi enim Medea Colchis, nupta patri tuo (ut sup. vs. 563), vitæ in-

PH. Et ipsa nostræ fata cognosco domus:
Fugienda petimus : sed meî non sum potens.
Te vel per ignes, per mare insanum sequar,
Rupesque, et amnes, unda quos torrens rapit.
Quacumque gressus tuleris, hac amens agar.
Iterum, superbe, genubus advolvor tuis.
HIPP. Procul impudicos corpore a casto amove
Tactus : quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
Stringatur ensis : merita supplicia exigat.
En, impudicum crine contorto caput
Læva reflexi : justior numquam focis
Datus tuis est sanguis, arcitenens Dea.
PH. Hippolyte, nunc me compotem voti facis.
Sanas furentem : majus hoc voto meo est,
Salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
HIPP. Abscede : vive : ne quid exores; et hic
Contactus ensis deserat castum latus.

sidiis mixto veneno struxit, mihi noverca mea amorem incestum. FARNAB.

698. *Et ipsa*. Ego quoque.

699. *Fugienda petimus*. Mater, taurum : soror, hostem : ego, privignum. FARN.

702. *Amens agar*. Hæc sunt quæ bene indicent non sui potentem : non me agam, sed *agar*.

704. *Impudicos*. Novercæ impudicæ.

705. *Quid hoc est? etiam*, etc. Omnia hæc gestu et actione sunt adjuvanda et potissimum explicanda.

707. *En*. Indicat quid fecerit, frigide admodum. Et totum illud prolixum est, et minus accommodatum indignationi quam spirat Hippolytus. Non est indignantis dicere quid faciat, verum facere. — *Impudicum caput læva reflexi*. Mos hic eorum, qui hominem jamjam interempturi sunt. Virg. Æneid. II, 552 : « Implicuitque comam læva, dextraque coruscum, etc. »

708. *Focis tuis*. Stabant enim ad aram Dianæ. Sup. vs. 405, 423.

709. *Arcitenens*. Ἰοχέαιρα.

711 sq. *Majus hoc toto*, etc. Locum sic intellige : « Mori manibus tuis salvo pudore, mihi optabilius etiam videtur, quam voto meo potiri, quam amorem tuum obtinere. »

713. *Ne quid exores*. Ut nihil sit quod a me preces tuæ impetrent. — *Hic*, meus.

714. *Contactus*. Incestæ mulieris contactu pollutus.

Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris : o silvæ! o feræ!
NUTR. Deprensa culpa est. Anime, quid segnis stupes?
Regeramus ipsi crimen, atque ultro impiam
Venerem arguamus : scelere velandum est scelus.
Tutissimum est inferre, quum timeas, gradum.
Ausæ priores simus, an passæ nefas,
Secreta quum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste, Athenæ; fida famulorum manus,
Fer opem; nefandi raptor Hippolytus stupri
Instat, premitque; mortis intentat metum.

715. *Quis eluet me Tanais?* Explicat fuse Delrius quomodo veteres solerent undis sese abluere, ut exspuerent, ejicerent quidquid immunditiæ esse posset vel casus. — *Aut quæ barbaris*, etc. Ordo est : « Aut quæ Mæotis, incumbens barbaris undis mari Pontico. » — *Barbaris undis*, ablativo sumendum est; et illæ undæ dicuntur *incumbere*, quæ deorsum influunt, ut Palus influit in Pontum. Hoc autem, *quis* Tanais, *quæ* Mæotia, poetice dictum, pro ipse Tanais, ipsa Mæotis; et hæc profert exempla Hippolytus, quia bene conveniunt cum rigore suo fere Scythico.

717. *Pater*, Neptunus.

718. *O silvæ! o feræ!* Ad vos propero. Atque hoc dicto excedit.

719. *Anime.* Se ipsam alloquitur nutrix : « Excogita, o anime, aliquam technam, qua præveniamus eum, ad patrem, si quando huc reversus fuerit, culpam alumnæ meæ delaturum. » Non male forsan, *anime*, intelligeres dictum ad Phædram, et vocem esse amicitiæ. Sic intellexit gallicus Interpres, et sic aptius explicatur τὸ « quid segnis stupes? »

720. *Regeramus ipsi.* Rejiciamus super illum. — *Ultro*, priores, ante illum.

721. *Impiam Venerem arguamus.* Arguamus illum impii incestique amoris concepti. — *Scelere velandum est scelus.* Acumen quale M. Catonis apud Gellium, XIII, 24 : « Tum nefarium facinus pejore facinore operire postulas. »

723 sq. *Ausæ priores*, etc. Ordo est : « Quis testis sciet an simus ausæ, etc. »

725. *Adeste, Athenæ.* O Athenienses : invocatque, quasi in auxilium, cives et famulos nutrix, lena, proditrix. FARN.

726. *Nef. raptor... stupri.* Conatus rapere stuprum nefandum : et bene dicitur *rapere stuprum*, pro, per vim inferre.

727. *Premitque.* Scil. Phædram.

Ferro pudicam terret. En, præceps abît,
Ensemque trepida liquit attonitus fuga.
Pignus tenemus sceleris. Hanc mœstam prius
Recreate : crinis tractus, et laceræ comæ,
Ut sunt, remaneant, facinoris tanti notæ.
Referte in urbem. Recipe jam sensus, hera.
Quid te ipsa lacerans omnium aspectum fugis?
Mens impudicam facere, non casus, solet.

CHORUS.

Fugit insanæ similis procellæ,
Ocior nubes glomerante Coro,
Ocior cursum rapiente flamma,
Stella quum ventis agitata longos
Porrigit ignes.
Conferat tecum decus omne priscum
Fama, miratrix senioris ævi;
Pulchrior tanto tua forma lucet,

729. *Attonitus.* Expavefactus clamoribus nostris.

731. *Recreate.* Ad vitam revocate: vox huic loco convenientissima. — *Crinis tractus.* Sup. vs. 707.

733. *Referte*, reportate reginam, jacentem præ pudore et metu.

Act. II, sc. IV. Precatur chorus ut bene cedat Hippolyto forma, quæ plerisque fuit exitio. Thesei reditum prospicit.

736. *Fugit.* Hippolytus. — *Insanæ*, violentæ, rapidæ. Vox autem ea nullum hic malum habet sensum.

738. *Cursum rapiente flamma.* Flamma, quæ cursu citatissimo fugit.

739. *Ventis agitata.* Arbitrabantur Veteres ventum esse qui stellas e parte cæli in aliam traducit: Virg. Georg. I, 365, ex Arato : « Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis Præcipites cælo labi, noctisque per umbram Flammarum longos a tergo albescere tractus. » Delr.

740. *Longos porrigit ignes.* Continuat ignes per longum tractum.

741. *Decus omne priscum.* I. e. omnes qui priscis temporibus decora facie inclaruerunt.

742. *Senioris*, prisci, veteris.

743. *Pulchrior tanto*, etc. Ovid. Ep. XVIII, 71 : « Quantum, quum fulges radiis argentea puris, Concedunt flammis sidera cuncta tuis; Tanto formosis formosior omnibus illa est. » Farn.

Clarior quanto micat orbe pleno,
Quum suos ignes coeunte cornu
Junxit, et curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phœbe;
Nec tenent stellæ faciem minores.
Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.
Et tu thyrsigera Liber ab India,
Intonsa juvenis perpetuum coma,
Tigres pampinea cuspide territans,
Ac mitra cohibens cornigerum caput,
Non vinces rigidas Hippolyti comas.
Nec vultus nimium suspicias tuos.

744. *Clarior quanto micat*, etc. Ordo est, « Quanto Phœbe micat clarior orbe pleno, quum, etc. »

745. *Quum suos ignes coeunte cornu Junxit.* Admittit poeta Lunæ cornua, sensim crescentia, tandem quasi coire; et orbem esse plenum, quum junguntur ignes.

747. *Rubicunda.* Fulgida.

748. *Tenent faciem.* Intellige, vel sustinent faciem illius, vel retinent hanc suam faciem, aspectum bune coruscum.

749. *Qualis est primas*, etc. Senecæ certamen est cum Virgilio, Æn. VIII, 589: « Qualis, ubi Oceani perfusus Lucifer unda, Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes, Extulit os sacrum cælo, tenebrasque resolvit. »

750. *Modo latus undis.* Plerique Veterum crediderunt stellas et sidera humecto quodam alimento nutriri, sicque splendorem et pulcbritudinem illis augeri.

751. *Hesperus.* Idem Lucifer et Hesperus.

753. *Ab India.* Elliptice dictum, et supplendum: inclytus ab India; vel quiddam simile.

754. *Perpetuum*, adverbialiter dictum.

755. *Pampinea.* Vitium frondibus involuta.

756. *Cornigerum.* An a truculentia ebriorum? An quod cornua Veteribus in usum poculorum? An quod oves primus junxit Bacchus? An a robore? An ob galeam capitis arietini forma? An denique a cincinnis seu crobylis crinium, utrinque in cornuum formam acumiuatis atque retortis?

757. *Comas rigidas*, licet sint nimium incomplæ.

758. *Nec vultus nimium*, etc.

Omnes per populos fabula distulit,
Phædræ quem Bromio prætulerit soror.
Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic prata novo vere decentia
Æstatis calidæ despoliat vapor,
Sævit solstitio quum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis;
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rosæ.
Ut fulgor, teneris qui radiat genis,
Momento rapitur! nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Res est forma fugax: quis sapiens bono
Confidat fragili? dum licet, utere.
Tempus te tacitum subruet, horaque
Semper præterita deterior subit.
Quid deserta petis? tutior aviis
Non est forma locis: te nemore abdito,
Quum Titan medium constituit diem,
Cinget turba licens, Naides improbæ,

Ipsum Bacchum alloquitur: « Nec tu nimis gloriere pulchritudine tua, Bacche: norunt enim omnes, quem Ariadne, quam te maluerit maritum, si retinere potuisset: ipsum nempe Thesea, qui in Dia insula eam deseruit. GRONOV.

760. *Phædræ soror.* Ariadne.

764. *Non sic.* Primam hanc sententiæ partem junge cum, *ut fulgor rapitur*, etc. vs. 770. — *Novo vere decentia.* Reditu veris decorata.

766. *Sævit solstitio.* Ardet per solstitium, propter solstitium.

767. *Præcipitat.* Nominativus est *vapor æstatis*, vs. 765.

769. *Gratæ capiti.* Quæ capitibus gratiam addunt.—Si autem *capiti* non retuleris ad *gratæ*, verum, ad *deficiunt*, poterit intelligi, *capiti deficiunt*, pro, capiti suo sustinendo non sunt pares; capite recumbunt flexo.

772. *Spolium.* Externum aliquod ornamentum.

776. *Præterita.* Ablativo sumitur.

778. *Locis*, in locis.

780. *Licens*, lasciva, proterva.

Formosos solitæ claudere fontibus:
Et somnis facient insidias tuis
Lascivæ nemorum Deæ,
Montivagique Panes.
Aut te stellifero despiciens polo
Sidus, post veteres Arcadas editum,
Currus non poterit flectere candidos.
Et nuper rubuit; nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus. Tu fueras labor,
Et tu causa moræ: te Dea noctium
Dum spectat, celeres sustinuit vias.
Vexent hanc faciem frigora parcius;

781. *Formosos*, etc. Ut Hylam, et Narcissum; quos fingunt poetæ deorsum in undas a Nymphis tractos.

782. *Et somnis*, etc. Et te dormientem rapient.

783. *Montivagique Panes*. Vide Animadvers.

784. *Sidus*. Luna. — *Post veteres Arcadas editum*. Προσέληνοι dicuntur Arcades, sive quod idem semper incoluerint solum, αὐτόχθονες, uti Athenienses; vel quod Lunæ cursum Endymion Arcas primus invenerit. Unde et fabulæ locus. Farn. — Aristophanis Scholiastes refert Arcades ante Lunam natos fuisse. Ideo a Lycophronte, προσέληνοι dicuntur: Apollon. Argon. IV, Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται· et Senec. Hercul. OEt. vs. 1883 sq. Delr.

787. *Non poterit flectere*. Omittet regere: tua nempe forma capta, ut quondam Endymionis. Supra vs. 310 sq. Farnab.

788. *Nullaque*, etc. Et hoc est, quod prodigium magis etiam mirabile facit.

790. *Lumine turbido*, obscuritate Lunæ.

791. *Tractam Thessalicis*, etc. Solemne verbum *trahere*, in re magica, ut græcum ἕλκειν. Existimabant autem Veteres Lunam, magico carmine sollicitatam, rubore suffundi, vel ob Magarum impudentiam et scelera, vel laborantem vi carminis. — *Carminibus*, nempe incantationibus.

792. *Tinnitus dedimus*. Pelvium enim tinnitu et tubarum clangore Lunæ, eclipsim patienti, auxiliari se credebat vulgi superstitio. Farn.

794. *Sustin.* compressit, inhibuit.

795. *Hanc*, tuam.

Hæc solem facies rarius appetat,
Lucebit Pario marmore clarius.
Quam grata est facies torva viriliter,
Et pondus veteris triste supercili!
Phœbo colla licet splendida compares:
Illum cæsaries, nescia colligi
Perfundens humeros, ornat et integit:
Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege jacens. Tu licet asperos
Pugnacesque Deos viribus arceas,
Et vasti spatio vincere corporis;
Æquas Herculeos jam juvenis toros,
Martis belligeri pectore latior;
Si dorso libeat cornipedis vehi,
Frenis, Castorea mobilior manu,
Spartanum poteris flectere Cyllaron.
Amentum digitis tende prioribus,

797. *Pario marmore*, scil. ex insula Paro, Cycladum una.

799. *Pondus*, gravitas et majestas. — *Veteris supercili*. Supercilii cujus austeritas veteres tantum seniores, non autem juvenes, decet.

800. *Licet compares*. Potes merito comparare.

801. *Nescia colligi*. Non tam indicatur inornata et incompta cæsaries, quam ventis permissa; et opponuntur hæ voces τῷ *hirta* et *brevior*.

804. *Tu licet*, etc. Ordo est: Licet tu viribus et spatio vasti corporis arceas deos asperos et pugnaces vincere. De verbo *licet*, vid. supra vs. 800. — *Arceas vincere*, est, prohibeas victoria, et ipse eam occupes, aut ambiguam facias. Ovid. Met. XV, 72: « primusque animalia mensis Arcuit imponi. » (Nos tamen hic *arguit*. Ed.) Sil. Ital. XIII, 341: « solem infervescere fronti Arcet. » Stat. Silv. II, 1, 35: « nec ego lugere severus Arceo. » Noster, Troad. 279, « Ruere et æquari solo etiam arcuissem. »

809. *Dorso cornip. vehi*. Equitare.

811. *Cyllaron*. Equum Castori a Junone datum, quem ipsa acceperat a Neptuno. Hunc Pollucis fuisse refert Virgilius, Georg. III, 90; sed fratrem pro fratre poni, notat Servius. Farnab.

812 sq. *Tende, dirige*. Id est, si libeat tibi tendere, dirigere. — *Amentum*. Sex. Pompeius, Amenta, inquit, quibus, ut mitti possint, vinciuntur jacula sive solearum lora. Ex græco, quod est ἅμματα, sic appellata, vel quia aptantes ea ad mentum trahunt. Delr.

Et totis jaculum dirige viribus;
Tam longe, dociles spicula figere,
Non mittent gracilem Cretes arundinem.
Aut si tela modo spargere Parthico
In cælum placeat; nulla sine alite
Descendent, tepido viscere condita :
Prædam de mediis nubibus afferent.
Raris forma viris (secula prospice)
Impunita fuit : te melior Deus
Tutum prætereat, formaque nobilis
Deformis senii limina transeat.
Quid sinat inausum feminæ præceps furor?
Nefanda juveni crimina insonti parat.
En scelera! quærit crine lacerato fidem.
Decus omne turbat capitis, humectat genas.
Instruitur omnis fraude feminea dolus.
Sed iste quisnam est, regium in vultu decus
Gerens, et alto vertice attollens caput?

816. *Modo Parthico.* More Parthorum, qui alitibus præcipue bellum inferunt.

817. *Nulla*, tela.

818. *Tepido viscere*, alicujus alitis.

819. *Prædam afferent.* Stat. Theb. X, 747, citante Badenio : « Nunc jaculum excusso rotat in sublime lacerto, Nullaque tectorum subit ad fastigia, quæ non *Deferat hasta virum*, perfusaque cæde recurrat. » et id quidem, impune, ut dixit vs. 821. Vid. cæter. de hoc loco Animadversiones.

820. *Raris forma viris*, etc. Formosis ut plurimum nocuit sua forma, τὸ γὰρ πολὺ κάλλος καὶ ψόγων πολλῶν γέμει. Farn.

822. *Tutum prætereat.* Intactum omittat.

823. *Deformis senii limina transeat.* Trans limina senii porrigatur,

824. *Sinat inausum.* Relinquat intentatum.—*Feminæ.* Phædræ; nec absolute dictum est.

825. *Crimina parat.* Accusationem intentat.

826. *En scelera!* Plautus, Rud. IV, 4, 134, « Ecce Gripi scelera! » Terent. Andr. vs. 787 : « Audistin' obsecro? Hem, Scelera! Hanc jam oportet in cruciatum hinc abripi. » —*Quærit fidem.* Fidem facere tentat.

827. *Instruitur omnis*, etc. Ordo est : Omnis dolus instruitur fraude feminea. Et intellige, Quidquid doli est, ibi fraudem femineam semper invenias.

Ut ora juveni paria Pirithoo gerit!
Ni languido pallore canderent genæ,
Staretque recta squallor incultus coma.
En, ipse Theseus redditus terris adest.

831. *Ut ora juveni paria Pirithoo gerit!* Vid. primum Animadversiones, in loco fere desperato. — *Juv. par. Pirith.* Est forsan ut par illud heroum, Pirithous Theseusque, ambo ætate pares, regii sanguinis ambo, similem prope vultum retulerint; et ideo Chorus, primo aspectu fuerit deceptus, Pirithoum esse credens, quem Thesea mox agnovit, ut exclamat, vs. 834: « En, ipse Theseus. »

833. *Staretque recta*, etc. Et nisi coma squalens incultaque staret recta, non recidens, ut quondam, in annulos.

ACTUS TERTIUS.

THESEUS, NUTRIX.

THES. TANDEM profugi noctis æternæ plagam,
Vastoque manes carcere umbrantem polum.
Ut vix cupitum sufferunt oculi diem!
Jam quarta Eleusin dona Triptolemi secat,
Paremque toties Libra composuit diem,
Ambiguus ut me sortis ignotæ labor
Detinuit inter mortis et vitæ mala.
Pars una vitæ mansit exstincto mihi,
Sensus. Malorum finis Alcides fuit.

Act. III, sc. I. Reversus ab inferis Theseus domestici luctus causam a nutrice obvia sciscitatur; illa se hoc tautum scire respondet, Phædram necis consilium iniisse.

835. *Profugi*. A verbo *profugere*.

836. *Vastoque manes*, etc. Ordo est, « et polum umbrantem manes vasto carcere. » Intell. autem *polum umbr*. vastam terræ opacitatem desuper impendentem in regna Plutonis. — *Umbrantem*, non est quod debeas h. l. ut vult Farnab. accipere, pro, nigrantem.

838. *Jam quarta Eleusin*. Construe: « Jam Eleusin secat quarta dona Triptolemi. » *Eleusin* autem, quod proferunt MSS. (vid. Animvers.) idem omnino quod *Eleusis*, nominativo sumitur. Intelligendum ergo: « Eleusis, sive Eleusin, urbs illa Attica, quarto jam messem collegit. » Urbis autem illius rex Celeus filium babuit Triptolemum, quem Ceres agri colendi rationem docuit, ut poetæ volunt.

839. *Toties*, i. e. quater. — *Parem Libra*, etc. I. e. Libra, signum æquinoctiale, quater æquavit diem nocti; hoc est, quatuor jam annos apud inferos fui. FARN.

840. *Ut*, ex quo. — *Sortis ignotæ*, quippe, nec vivis bene nec mortuis poterat adscribi.

843. *Sensus*. In vincula conjecto sibi apud inferos nihil superfuisse Theseus queritur præter sensum, ut se mortuum cognosceret, et esse in malis ac pœnis; cæterum et viribus corporis debilitatis, neque in spem aliquam erecto animo, tanquam mortuum se jacuisse.

Qui, quum revulso Tartaro abstraheret canem,
Me quoque supernas pariter ad sedes tulit.
Sed fessa virtus robore antiquo caret,
Trepidantque gressus. Heu, labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera,
Pariterque mortem fugere, et Alciden sequi!
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
Expromat aliquis. Luctus, et lacrimæ, et dolor,
In limine ipso mœsta lamentatio,
Hospitia digna prorsus inferno hospite.
NUTR. Tenet obstinatum Phædra consilium necis,
Fletusque nostros spernit, ac morti imminet.
THES. Quæ causa leti? reduce cur moritur viro?
NUTR. Hæc ipsa letum causa maturum attulit.
THES. Perplexa magnum verba nescio quid tegunt.
Effare aperte, quis gravet mentem dolor.
NUTR. Haud pandit ulli: mœsta secretum occulit,
Statuitque secum ferre, quo moritur, malum.
Jam perge, quæso, perge: properato est opus.
THES. Reserate clusos regii postes laris.

844. *Qui quum revulso Tart.* etc. Herc. Fur. vs. 805. — *Revulso*, effracto. Nam id primum erat; Cerberi abstractio, secunda. BADEN.

846. *Trepidant*, titubant.

849. *Alc. sequi*, magnis passibus euntem. Stat. Theb. V, 441 sq. « Audet iter, magnique sequens vestigia mutat Herculis, et tarda quamvis se mole ferentem, Vix cursu tener æquat Hylas. »

850. *Quis fremitus.* Exaudit Phædræ ejulatus.

851. *Expromat aliquis.* Supple, « quis fremitus pepulerit aures; » id est, causam fremitus. — *Expromat*, explicet.

853. *Hospitia*, etc. Emendatum alii volunt, *auspicia*; vid. Animadvers. Apta cæterum comparatio: « Qualis hospes, tale hospitium. »

854. *Tenet obstinatum*, etc. Videtur aliquid deesse. Intellig. porro nutricem repente Theseo adesse, et omnia doloris amentiæque proferre indicia. Vid. Animadvers.

857. *Hæc*, etc. Ipse tuus reditus; ne scil. tibi reverso detegat factum.

859. *Mentem*, illius, Phædræ.

861. *Secum*, in sepulcro.

862. *Perge*, festina ad eam accedere.

863. *Reserate.* Imperat Theseus, ut est regis, adventum suum solemni

THESEUS, PHÆDRA, FAMULI, NUTRIX TACITA*.

THES. O socia thalami, siccine adventum viri,
Et expetiti conjugis vultum excipis?
Quin ense viduas dexteram? atque animum mihi
Restituis? et te quidquid e vita fugat
Expromis? PH. Eheu, per tui sceptrum imperii,
Magnanime Theseu, perque natorum indolem,
Tuosque reditus, perque jam cineres meos,
Permitte mortem. THES. Causa quæ cogit mori?
PH. Si causa leti dicitur, fructus perit.
THES. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.
PH. Aures pudica conjugis solas timet.

apparatu nuntiandum celebrandumque jubentis.

* *Nutrix tacita.* Personam hanc in scena addendam monet recte Badenius, ex voce Thesei, vs. 882: « Verbere ac vinclis anus, etc. »

Act. III, sc. II. Primum simulat Phædra mori se malle, quam vim sibi illatam revelare Theseo; cui deinde, quum nutrici cruciatum is minitatur, ostendit gladium, quem Hippolytus abjectum reliquerat.

865. *Expetiti*, expetendi certe.

866. *Quin*, cur non. Vertit autem gallicus interpr. quasi esset, *quid.* — *Ense viduas dexteram.* Deponis ensem. Scil. sup. vs. 730, dixerat nutrix : « pignus tenemus sceleris. »

867. *Animum mihi restituis.* Animum meum præ anxietate labantem sustines.

868. *Expromis*, enarras. Eodem sensu, quo sup. 851.

869. sq. *Per tui sceptrum imperii.* Suam, hoc argumento, reginæ, quemadmodum τοῖς *per natorum indolem*, matris, τοῖς per *tuos reditus*, uxoris, τοῖς demum per *cineres meos*, personæ propriæ, dignitatem vult causari.

870. *Jam cineres meos.* Me morti destinatam. Notandum autem illud *jam*, non referendum esse ad *permitte*, sed ad totius sententiæ summam; id est, per illos qui *jam* soli de me restabunt cineres.

872. *Fructus*, quem meditor eventurum e morte mea. Scilicet, ut ait Farnabius, mori se velle fingit, ne Hippolytum, tanquam dedecoris sui reum, apud patrem agat: neve quis sciat.

873. *Istud*, quod tu dices.

874. *Pudica*, generaliter dictum, scil. uxor quælibet, amans pudicitiæ. — *Aures conjugis solas timet.* Ante *solas* placeat supplere, *vel*, *etiam*, ut sensus sit, « Quum dicis

THES. Effare : fido pectore arcana occulam.
PH. Alium silere quod voles, primus sile.
THES. Leti facultas nulla continget tibi.
PH. Mori volenti deesse mors nunquam potest.
THES. Quod sit luendum morte delictum, indica.
PH. Quod vivo. THES. Lacrimæ nonne te nostræ movent?
PH. Mors optima est perire lacrimandum suis.
THES. Silere pergit : verbere ac vinclis anus
Altrixque prodet, quidquid hæc fari abnuit.
Vincite ferro : verberum vis extrahat
Secreta mentis. PH. Ipsa jam fabor, mane.
THES. Quidnam ora mœsta avertis, et lacrimas genis
Subito coortas veste prætenta obtegis?
PH. Te, te, creator cælitum, testem invoco,
Et te, coruscum lucis ætheriæ jubar,

te solum auditurum esse, respondeo, uxorem pudicam timere aures conjugis, vel solas, vel si nullus adfuerit arbiter. » Gron. putat *solas* diei, quoniam mulier pudica aut raro aut unquam cum alieno viro sermonem sociat; vel intelligendum illud *solas*, tamquam, *maxime*, *ante omnes alias*. Arridet melius prior interpretatio.

876. *Primus sile*, generaliter dictum, « oportet quivis sileat primus quod volet, etc. »

878. *Mori volenti.* Vide Stat. Theb. lib. V, vs. 623. FARN.

879. *Delictum*, supp. tuum.

880. *Quod vivo*, h. e. delictum meum, vita adhuc frui.

881. *Mors optima est*, etc. Hoc enim charitatis argumentum : sicci autem oculi in funere odium arguunt. Eodem sensu nostras *Gilbert*, in funereo et quasi cycneo carmine, quod prope moriens exhalavit : « Qu'ils meurent pleins de jours : *que leur mort soit pleurée ;* Qu'un ami leur ferme les yeux. »

882. *Pergit*, nempe Phædra; quam hoc vs. et sq. non jam compellat Theseus. — *Anus altrixque.* Duo nomina indicant unam personam; nec rara sunt exempla, quibus per *et* ea distinguuntur, quorum unum includit alterum. — Vide ad totum h. l. Animadv. et præcipue Bothei tentamen in *anus*, cui frustra substitutum velit *opus*.

884. *Vincite.* Comprimite, vinclis onerate; a *vincire*, *vincio.*

885. *Ipsa*, ego, nec nutricis supplicium passa. — *Mane*, exspecta paululum, furorem hunc seda.

887. *Genis subito coortas.* Quibus subito palpebræ madefiunt.

888. *Testem invoco*, me precibus tentatam restitisse. Inf. vs. 891.

Ex cujus ortu nostra dependet domus;
Tentata precibus restiti : ferro ac minis
Non cessit animus ; vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluet noster cruor.
THES. Quis, ede, nostri decoris eversor fuit?
PH. Quem rere minime. THES. Quis sit, audire expeto.
PH. Hic dicet ensis, quem tumultu territus
Liquit stuprator, civium accursum timens.
THES. Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrum intuor?
Regale patriis asperum signis ebur;
Capulo refulget gentis Actææ decus.

890. *Ex cujus ortu*, etc. Scilicet matris meæ, ex Crete nympha, genitor. FARN.

891. *Precibus*, refer ad *tentata*, potius quam ad *restiti*. — *Ferro*, Hippolyti, quem vult haberi stupratorem.

892. *Non cessit animus : vim tamen corpus tul.* Sententiam similem citat Badenius Valer. Maximi, super Orgiagontis reguli uxore, VI, 1, ext. 2 : « Hujus feminæ quid aliud quisquam, quam corpus in potestatem hostium venisse dicat? Nam neque animus vinci, nec pudicitia capi potuit. »

893. *Labem eluet cruor.* Aptissima verborum convenientia.

894. *Nostri*, et tui, et ideo mei.

895. *Rere*, *reris*, a *reor*.

896. *Tumultu*, civium ad voces nostras accurrentium; ut jam finxit nutrix, vs. 729.

897. *Quod facinus cerno?* Exhorrescit ad visum gladii, tanquam facinus ipsum cerneret. Et vivide dictum illud. — *Heu me.* Formula exclamandi, in qua suppleas, vel, *miserum arbitror*, vel, quiddam tale; et nihil usitatius.

899. *Regale patriis asperum signis ebur.* Hæc accusativo sumenda censemus, ut regantur a verbo, *intuor*, vs. præcedentis, et sibi ipse Theseus respondeat. — *Ebur*, dictum pro ipsa vagina. — *Regale*, addictum stirpi regiæ e qua Theseus erat oriundus. — *Asperum*, cælatum. — *Signis patriis*, ornamentis quibusdam peculiaribus illi familiæ.

900. *Actææ*. Atheniensis. — *Gentis decus.* Significat auream cicadam ensis capulo insculptam vel infixam : hæc enim Atheniensium regum nota; et hoc insigni ac symbolo se αὐτόχθονας esse volebant Athenienses ostendere, vertice vel fronte aureas cicadas gestantes. Quisquis ille est, in Ciri, 126, de Niso Pandionis Atheniensium regis filio : « Ergo omnis caro residebat cura capillo; Aurea sollenni comptum quoque fibula ritu, Mopsopiæ tereti nectebat dente cicadæ. » (Virg. nost. vol. V, p. 110.) FARN. et DELR. — De his cæterum vid. Anim.

Sed ipse quonam evasit? PH. Hi trepidum fuga
Videre famuli concitum celeri pede.

THESEUS.

Pro, sancta pietas, pro, gubernator poli,
Et qui secundum fluctibus regnum moves,
Unde ista venit generis infandi lues?
Hunc Graia tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchusve Phasis? redit ad auctores genus;
Stirpemque primam degener sanguis refert.
Est iste prorsus gentis armiferæ furor,
Odisse Veneris fœdera, et castum diu
Vulgare populis corpus. O tetrum genus,
Nullaque victum lege melioris soli!

901. *Ipse*, stuprator. — *Hi*, mei. — *Trepidum fuga*, trepidantem et fugientem.

902. *Videre*, scil. nutrice monstrante, vs. 728. — *Concitum*, rapido cursu ablatum.

Act. III, sc. III. Agnito ense deceptus pater et iratus, filio immerito exitium imprecatur.

903. *Gubernator poli*. Jupiter.

904. *Qui secundum*, etc. Ordo est, qui moves fluctibus imperium secundum, quasi diceret: qui secundæ sortis imperio fluctus moves et agitas. Et alludit ad id quod Neptunus secundam mundi provinciam obtinuerat, ut jam adnotavimus, Herc. Fur. vs. 599, vol. I, pag. 72.

905. *Ista lues*. Hippolytus. — *Infandi generis*. Abominanda stirpe oriundus; et alludit ad maternam originem, ut infra 908 sq.

906. *Taurus Scythes*. Vocabatur Taurus longa montium series in Asia; qui, quum plures in partes essent divisi, suum quisque nomen obtinuerant. Supr. vs. 168.

907. *Colchusve Phasis*. Phasis maximus Colchorum fluvius, qui originem ducit ex Armenia, influit autem in Euxinum. Vide Pomponium Melam, lib. I, cap. 15, 19; lib. III, cap. 7, 8. — *Ad auctores*. Ad Antiopen scilicet, seu Hippolytam.

908. *Stirpem primam*, matris. — *Degener*, a me, a patre. — *Refert*, repræsentat.

909. *Gentis armiferæ*. Amazonum. Sup. v. 575.

910. *Veneris fœdera*. Connubia.

911. *Vulgare*. Promiscue venientibus permittere.

912. *Nullaque*, etc. I. e. quod, licet committatur meliori solo, non mitescit, feritatem non amittit.

Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.
Ubi vultus ille, et ficta majestas viri,
Atque habitus horrens, prisca et antiqua appetens,
Morumque senium triste, et affatus graves?
O vita fallax! abditos sensus geris,
Animisque pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum: vera fallaces probant,
Simulantque molles dura. Silvarum incola
Ille efferatus, castus, intactus, rudis,
Mihi te reservas? a meo primum toro
Et scelere tanto placuit ordiri virum?
Jam jam superno numini grates ago,
Quod icta nostra cecidit Antiope manu;
Quod non ad antra Stygia descendens tibi
Matrem reliqui. Profugus ignotas procul

913. *Veneris nefas.* Illicitos amores, incestos matrum concubitus.

914. *Inscius*, nullo indicante; adeo innata est pudoris hujus observantia!

915. *Majestas.* Gravitas, tristitia.

916. *Horrens*, incomptus, et qui movet horrorem.

917. *Morum senium.* Ingeniose vocat *morum senectutem*, austeritatem hanc morum quæ senes duntaxat decet. — *Affatus graves.* Severior sermonum consuetudo.

918. *O vita fallax!* Generaliter dictum. O vita hominum, o conditio, quæ fallit oculos! — *Geris.* De genere humano loquitur, non de Hippolyto. Forsan autem bene per *vitam*, intelligatur *vivendi genus.*

920. *Nefandum.* Vox illa designare potissimum solet hunc, qui jura divina vel neglexit, vel violavit.

921. *Fallaces.* Mendaces homines. — *Vera probant.* Veritatis se fautores declarant.

922. *Molles.* Delicati, effeminati homines. — *Dura*, austerum vitæ imitantur genus.

923. *Ille*, tu ille.

924. *Mihi te reservas.* Dedecori meo audaciam tuam destinas.

925. *Ordiri virum.* Virilitatis tuæ primum specimen edere. A Seneca mutuatum esse Claudianum, XXII, vs. 74, adnotat Baden. « Hinc fuit, ut primos in conjuge disceret ignes; Ordirique virum, non luxuriante juventa, Sed cum lege tori, casto cum fœdere vellet. »

927. *Icta.* Sup. vs. 226: « Immitis etiam conjugi castæ fuit. »

928. *Descendens*, quum descendi, sequutus Pirithoum.

929. *Quod non tibi matrem reli-*

Percurre gentes : te licet terra ultimo
Summota mundo dirimat Oceani plagis,
Orbemque nostris pedibus obversum colas;
Licet in recessu penitus extremo abditus
Horrifera celsi regna transieris poli;
Hiemesque supra positus et canas nives,
Gelidi frementes liqueris Boreæ minas
Post te furentes; sceleribus pœnas dabis.
Profugum per omnes pertinax latebras premam.
Longinqua, clausa, abstrusa, diversa, invia
Emetiemur : nullus obstabit locus.
Scis, unde redeam : tela quo mitti haud queunt,
Huc vota mittam : genitor æquoreus dedit,
Ut vota prono trina concipiam Deo,
Et invocata munus hoc sanxit Styge.

qui. Seu, quia ipsi quoque matri vim voluisses inferre; seu quia pejora etiam te mater docuisset; seu quia incepi jam a te, per matris orbitatem, meritum sumere supplicium.

930. *Licet*, quamvis.

931. *Summota mundo.* Virg. Æn. VII, 226 : « Si quem tellus extrema refuso Submovet Oceano. » — *Dirimat*, separet a reliquo orbe, a nobis. — *Oceani plagis*, interjectis Oceani spatiis.

932. *Orbemque nostris pedibus obversum colas.* Strabo, Pomp. Mela, Plinius, Macrobius, Manilius, et melior pars doctorum apud Antiquos, pro certo habuerunt, exsistere antipodas; quod misisse in dubium videntur Div. August. Lact. Lucret. Res autem nequaquam hodie ambigitur. Animadvertendum est hic de loco, in quo degunt antipodes, non de ipsis antipodibus agi.

934. *Celsi poli.* Poli Arctici, qui nobis semper sublimis. FARN.

935. *Hiemes supra et nives.* Ulterius, quam unde ad nos veniunt hiemes, etc. FARN. — *Post te furentes*; quia ultra positus. Vid. Animadv.

937. *Sceleribus pœn. dab. Profugum*, etc. Similiter prorsus Dido in Æneam invehitur, Æn. IV, 386 : « Omnibus umbra locis adero; dabis, improbe, pœnas. »

939. *Diversa.* A sedibus hominum distracta.

940. *Emetiemur.* Ego percurram.

941. *Unde.* Ab inferis scilicet.

942. *Vota m.* etc. Putabant Veteres diris et votis hominem interfici posse. Œdipus Tyr. Sophoclis, vs. 279 sq. votis suis alteri mortem properatam suspicatur. Et apud Petron. Satiric. CXXIII, 47 : « absentem votis interficit hostem. » DELA. — *Genitor æquoreus.* Neptunus.

943. *Prono*, favente, exaudiente.

En, perage donum triste, regnator freti.
Non cernat ultra lucidum Hippolytus diem,
Adeatque Manes juvenis iratos patri.
Fer abominandam nunc opem nato, parens.
Nunquam supremum numinis munus tui
Consumeremus, magna ni premerent mala.
Inter profunda Tartara, et Ditem horridum,
Et imminentes regis inferni minas,
Voto peperci: redde nunc pactam fidem,
Genitor. Moraris? cur adhuc undæ silent?
Nunc atra ventis nubila impellentibus
Subtexe noctem; sidera et cælum eripe;
Effunde pontum; vulgus æquoreum cie,
Fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca.

945. *Triste.* Ut esse debet semper, patre filii necem exoptante; sic inf. *abominandam opem* dicit.

946. *Ultra*, amplius.

947. *Iratos patri.* Alludit ad audaciam qua eum limina Tartari irrupit, uxoriosque Plutonis furores movit. Inde autem in filium talis viri, tanto major erit ira numinum inferorum.

948. *Parens.* Neptune. Votum.

949. *Nunquam*, non; ut solemne est poetis.—*Supr. munus.* Nam primum fecerat votum in latrones, dum Athenas proficisceretur a Trœzene ubi natus est: secundum, ut e labyrintho redire posset. Cic. de Off. lib. I, c. 10, § 32, ait: « Nam si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset; Theseus filio Hippolyto non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato, in maximos luctus incidit. » Farn. et Delr.

951. *Inter profunda Tartara*, etc. Totum hoc pæne ad verbum retulit nostras *Racine* in sua Phædra; at supervacuum est notissima omnibus citare carmina.

953. *Voto peperci.* Non consumpsi votum hoc tertium.

955. *Nunc atra*, etc. Ordo est: « Subtexe noctem ventis impellentibus atra nubila. » *Subtexere noctem* est, quasi contexere velum caliginis, tenebrarum.

957. *Vulgus æquoreum.* Monstra marina. — *Cie*, excita.

958. *Tumidus*, per hypallagen: debuit enim vox illa referri ad *Oceano*. — *Ipso*, tanquam fluctuosorum et æstuosorum marium regnatore.

CHORUS.

O magna parens Natura Deûm,
Tuque igniferi rector Olympi,
Qui sparsa cito sidera mundo
Cursusque vagos rapis astrorum,
Celerique polos cardine versas,
Cur tibi tanta est cura, perennes
Agitare vias ætheris alti ?
Ut nunc canæ frigora brumæ
Nudent silvas ; nunc arbustis
Redeant umbræ ; nunc æstivi
Colla Leonis Cererem magno
Fervore coquant ; viresque suas
Temperet annus ? et cur idem,
Qui tanta regis, sub quo vasti
Pondera mundi librata, suos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus abes ; non sollicitus

Act. III, sc. IV. Queritor ehorus, qnum cæli exterarumque rerum eursus certo regantur eonsilio, non tamen res humanas juste ac recte cedere ; bonis male, malis bene. Hunc ehorum ferme totum imitatum fuisse notat Delrius Boetium, de Consol. Philos. lib. I, metro 5, cujus initium : « o stelliferi conditor orbis. » — *Deûm.* Vid. Animadv.

961. *Cito s. mundo.* Per convexa cæli citissime se moventia. Sic enim intelligi debet *mundus*.

962. *Rapis*, rapide agis.

965. *Agitare vias.* Dirigere cursos.

966. *Ut*, ita ut. — *Nunc*, hieme. — *Canæ brumæ.* Genitivus est.

967. *Nunc arb.* etc. Vere novo.

968. *Nunc æstivi*, etc. Æstate.

969. *Cererem.* Fruges.

970. *Viresque suas Temperet annus.* Vult Farnabius indicari hoc loco autumnum, qui, qnum calorem frigore temperat, fructus maturat. Magis autem generaliter dicta hæc putamus de sapientissimo totius anni temperamento ; nec usque ad hæc porrectam fuisse variarum tempestatum descriptionem.

971. *Idem*, tu idem.

975. *Securus*, non curans, negligens. — *Abes.* Scil. alio curam providentiamque tuam convertens ; et adoptat bene Gronovius : « Ut *ad-*

Prodesse bonis, nocuisse malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera cæca, pejora fovens.
Vincit sanctos dira libido.
Fraus sublimi regnat in aula.
Tradere turpi fasces populus
Gaudet; eosdem colit, atque odit.
Tristis virtus perversa tulit
Præmia recti : castos sequitur
Mala paupertas; vitioque potens
Regnat adulter.
O vane pudor, falsumque decus!

esse est juvare, auxilio præsentem esse, sic *abesse*, et *longe esse* dicitur, qui utcumque præsens vel propinquus, nibil tamen juvat. »

977. *Ordine nullo.* Senec. Epist. XVI, 4 : « Casus res humanas sine ordine impellit et jactat. » De tota hac sententiarum serie vide quid infra adnotaverimus, vs. 988.

979. *Cæca.* Refer ad *manu* vers. præcedentis. — *Pejora*, pejores homines, pejores morum habitus.

980. *Vincit sanctos d. libido.* Violenti et libidinosi opprimunt innocentes et castos. Farn.

981. *Sublimi in aula.* Circa reges; et versu sequenti tangit populum.

982. *Turpi.* Hominibus indignis.

984. *Tristis virtus*, etc. Sensus est, boni, adflicti ac mœrentes (nam pro his dicit *tristem virtutem*), malam mercedem, malam gratiam (hæc *perversa præmia*) rectorum propositorum et operum reportant. *Tulit*, pro *fert*, ut supra *juvit*, pro *juvat*, adipiscitur, accipit. Gron.

986. *Vitio potens.* In ipso vitio potentiam nactus.

987. *Regnat adulter.* Hæc oblique tangunt Phædram, sive temere, seu ex industria poetæ.

988. *O vane pudor*, etc. Aposiopesin esse ait Farnab. ad hunc versum ex interventu nuntii. At nihil hic siletur, nihil præcisum est. Sentit idem quod Brutus moribundus, quum exclamaret : Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθα. Hoc enim vult : O pudor, tu nil nisi nomen es, res vana, sine veritate et specie : nec quæ ex te oritur gloria, solida est et propria, sed inanis et fucata; non juvans neque servans possessorem suum, qui plerumque cum illa perit, aut miser est. O quam vanus es pudor, et quam falsum tuum decus! Suas quidem his versibus, a 977 ad 988, partes defendit chorus, convenienter præcepto Horatiano; acerbe, ne dicamus inique, deos orat, « ut redeat miseris, abeat fortuna superbis. » Nihil autem magis

Sed quid citato nuntius portat gradu,
Rigatque mœstis lugubrem vultum genis?

impium, bonitati divinæ et humanæ dignitati magis contrarium dici potest quam quod congerit hic Ethnicus, Epicureusque poeta. Vividiori doloris sensu percellunt animum hujus generis sententiæ, sæpius apud Veteres sparsæ, quibusque fidem adhibebat mera puraque venturæ vitæ inscitia. Manebat recentiores ætates illa felicitas, ut christianæ religionis face illustratum, abominanda respueret dogmata humanum genus; et ubique, vel sub tristissima malorum adversitatumque specie, sentiret adesse Deum merita cuique rependentem, *resque humanas* non minus quam *sidera* providenti beniguissimoque numine dirigentem.

989. *Quid.* Quam rem. Et sequenti versu, *quid* subaudiendum est, at alio sensu, scilic. *cur.* Quo arguenda, ni fallimur, poetæ negligentia.

990. *Rigatque*, etc. Ordo est: et rigat vultum lugubrem genis mœstis; et intellige sensu absolutiori, « et perfundit lacrymis vultum suum, quem lugubrem faciunt genæ mœstæ. » Locus nimis contortus, ni fallimur. — Volunt quidam hic *genis*, oculos, palpebras intelligi.

ACTUS QUARTUS*.

NUNTIUS, THESEUS.

NUNT. O sors acerba et dura famulatus gravis,
Cur me ad nefandos nuntium casus vocas?
THES. Ne metue clades fortiter fari asperas;
Non imparatum pectus ærumnis gero.
NUNT. Vocem dolori lingua luctificam negat.
THES. Proloquere, quæ sors aggravet quassam domum.

* Sumptus hic actus ex Euripide in Hippolyto Coronato, cum quo ntile sit conferre, et cum Philostr. l. II, de imagine Hippolyti. DELR.

Act. IV, sc. 1. Narrat Theseo nuntius, ut perierit Hippolytus discerptus ab equis suis, quos terruerat taurus marinus a Neptuno immissus.

991. *Gravis*, refer ad *famulatus*. — *O sors acerba*, scil. servitutis, quæ adigis servos ad tristia non raro ministeria. FARN.

992. *Ad nefandos nuntium casus*, etc. I. e. jubes nuntium esse mali quod omnes aversantur. Sophocl. Antigon. 282: Στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν. Plutarch. de Garrul. 14: Καίτοι γε, ὥσπερ οἱ τὰ πικρὰ καὶ δυσώδη φάρμακα πιόντες δυσχεραίνουσι καὶ τὰς κύλικας, οὕτως οἱ τὰ κακὰ προσαγγέλλοντες ὑπὸ τῶν ἀκουόντων δυσχεραίνονται καὶ μισοῦνται. Ovidius, Heroid. XII, vs. 146: « Diversi flebant servi, lacrymasque tegebant. Quis vellet tanti nuntius esse mali? » Quibus consonat *Shakespeare* in *King John*, act. I, sc. 1: « Fellow, be gone; I cannot brook thy sight; This news hath made thee a most ugly man. » Et *II Part of King Henry IV*, act. I, scen. 1: « Yet the first bringer of unwelcome news Hath but a losing office; and his tongue Sounds ever after as a sullen bell, Remember'd knolling a departing friend. » BAD.

994. *Non imparatum*, i. e. paratum. Simili sententia Darium post Arbellæ pugnam nuntio Tyrioti loquentem inducit Q. Curt. IV, 10, 26: « Vultus tuus nescio quod ingens malum præfert: sed cave miseri hominis auribus parcas; didici enim esse infelix: et sæpe calamitatis solatium est, nosse sortem suam. »

996. *Proloquere*. Dic breviter, dic ante omnia.

NUNT. Hippolytus, heu me, flebili leto occubat.
THES. Natum parens obiisse jam pridem scio.
Nunc raptor obiit: mortis effare ordinem.
NUNT. Ut profugus urbem liquit infesto gradu,
Celerem citatis passibus cursum explicans,
Celsos sonipedes ocius subigit jugo,
Et ora frenis domita substrictis ligat.
Tum multa secum effatus, et patrium solum
Abominatus, sæpe genitorem ciet,
Acerque habenis lora permissis quatit:
Quum subito vastum tumuit ex alto mare,
Crevitque in astra; nullus inspirat salo
Ventus; quieti nulla pars cæli strepit,
Placidumque pelagus propria tempestas agit.
Non tantus Auster Sicula disturbat freta,
Nec tam furens Ionius exsurgit sinus
Regnante Coro, saxa quum fluctu tremunt,

997. *Heu me.* Vid. sup. vs. 898. — *Flebili leto.* Vide Animadvers. — *Occubat.* Nunc etiam quum loquor. Et vividius dictum.

998. *Natum parens*, etc. *Nunc raptor*, etc. Totum hoc ingeniose explicat Farnabius: « Jamdudum periit mihi filius, ubi primum, officii et pietatis immemor, uxori patris stuprum inferre conatus est. Illo enim die nocens moritur, quo peccat: jam tandem raptorem periisse audio. »

1000. *Infesto gradu. Infestus gradus* est, quo fertur homo infestatus. Vid. Animadvers.

1001. *Cit. pass.* ut sc. pedes erat.

1004. *Tum multa secum effatus.* Apud Euripidem enim, vs. 1191, unde totus hic desumptus est actus, ait: Ζεῦ, μηκέτ' εἴην, εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ. Αἴσθοιτο δ' ἡμᾶς ὡς ἀτιμάζει, πατήρ, etc. FARN.

1005. *Genitorem ciet.* Genitoris nomen invocat.

1006. *Acer.* Non potest illa vox aliter intelligi h. l. quam per, acerba, tristia volvens; et ad animi statum referri. Quomodo enim *acer* corpore dici posset, qui habenas permittit?— *Lora quatit.* Ut fit, quum distenta sunt et laxa.

1007. *Subito.* Adverbium est.— *Tumuit.* Tumor ille maris fit circa monstrum.

1010. *Propria.* Ex ipso sinu maris, non ex aere debacchata.

1012. *Ionius sinus.* Non qui Ioniam alluit, sed quidquid aquarum interjacet Siciliam inter et Græciam. Conf. Virg. Æn. III, 210. Vid. Animadv.

Et cana summum spuma Leucaten ferit.
Consurgit ingens pontus in vastum aggerem,
Tumidumque monstro pelagus in terras ruit.
Nec ista ratibus tanta construitur lues:
Terris minatur: fluctus haud cursu levi
Provolvitur; nescio quid onerato sinu
Gravis unda portat: quæ novum tellus caput
Ostendit astris? Cyclas exoritur nova.
Latuere rupes, numen Epidaurii Dei,
Et scelere petræ nobiles Scironides,
Et quæ duobus terra comprimitur fretis.
Hæc dum stupentes querimur, en totum mare
Immugit: omnes undique scopuli adstrepunt.
Summum cacumen rorat, expulso sale
Spumat, vomitque vicibus alternis aquas.
Qualis per alta vehitur Oceani freta
Fluctus refundens ore physeter capax.

1014. *Leucaten.* Promontorium Acarnaniæ.

1016. *Tumidum monstro*, quod monstri mole fit tumidum.

1017. *Illa tanta lues.* Monstrum illud. — *Ratibus*, ad navium exitium.

1019. *Nescio quid.* Non sine stupore exspectabamus, si qua nova iusnla e mari exsurgens augeret numerum Cycladum. Farn.

1021. *Cyclas nova.* Ut scilicet falluntur primo aspectu oculi.

1022. *Latuere rupes, numen Epidaurii Dei.* Scil. «Epidaurus, ubi colitur Æsculapius, apparere desiit.» Per appositionem, rupes illæ dicuntur *numen Epidaurii Dei*, quæ sunt sacræ Æsculapio, in quibus Epidaurius deus colitur et numen habet. — *Latuere.* Interjecta scil. tam enormi mole.

1023. *Petræ Scironides.* Saxa quæ habitabat Sciron, famosior prædo, qui Atticam desolabat. — *Scelere nobiles.* Ex quibus enim deprehensos viatores in mare deturbabat.

1024. *Et quæ duobus*, etc. Scil. Isthmus Corinthiacus.

1026. *Scop. adstrepunt*, strepitum suum consociant.

1027. *Summum cacumen*, molis hujus, quam Cycladem novam esse credideramus. Est autem belluæ caput. — *Rorat*, aquas ejicit.

1028. *Vicibus alternis*, tum resorbendi fluctus, tum evomendi.

1030. *Physeter.* Genus est quoddam piscis, dictum a φυσάω, quia ningno tumultu spiritum et undas

Inhorruit concussus undarum globus,
Solvitque sese, et litori invexit malum
Majus timore; pontus in terras ruit,
Suumque monstrum sequitur; os quassat tremor.
THES. Quis habitus ille corporis vasti fuit?
NUNT. Cærulea taurus colla sublimis gerens,
Erexit altam fronte viridanti jubam.
Stant hispidæ aures; cornibus varius color;
Et quem feri dominator habuisset gregis,
Et quem sub undis natus; hinc flammam vomunt
Oculi, hinc relucent cærula insignes nota.
Opima cervix arduos tollit toros;

emittit. Bellua cæterum marina, prægrandis, ex balænarum genere, ore maximo, dentibus in coni figuram exsertis, columnæ modo se attollens, et ex alto quasi diluviem infundens, etc. Eructat, non ore, sed fistulis (*évens*) in vertice positis. Sic Delrius; at frustra: nam descriptio mere hæc poetica est, quæ ad nullum *cetaceorum* genus tuto referri possit.

1031. *Undarum globus.* Intellige, molem aquarum et monstrum a quo moles suscitabatur. Item enim est in Ovidio, Metam. XV, 507, ubi Hippolytus de se ipso: « Jamque Corinthiaci carpebam litora ponti, Quum mare surrexit, *cumulusque immanis aquarum* In montis speciem curvari, et crescere visus, Et dare mugitus, summoque cacumine findi. » — *Globus* autem bene dicitur aquarum moles, quia unda rapide torquetur, et globi similitudinem refert.

1033. *Maj. timore.* Majus quam quod maxime reformidandum fingere animo potuissemus.

1034. *Suum*, cui dedit originem. — *Os*, suppl. spectantis cujusque, vel mei, qui loquor; et *os* intellige, vultum, membra, totam personam.

1037. *Fronte... jubam.* In fronte quasi cristam eminentem erexit.

1038. *Cornibus varius color.* Sumpsit, opinor, ex natura, cujus non ita dissimilem lusum refert Julius Capitolinus in vita Clodii Albini: « Huic multa imperii signa, quum esset natus, facta dicuntur. Nam... bos albus *purpureis ad plenum colorem cornibus* natus est, quod mirandum fuit. » BADEN.

1039. *Et quem*, scilic. colorem. — *Feri dominator gregis*, terrestris armenti dux taurus.

1040. *Sub undis natus.* Dux gregis marini. — *Hinc flamm.* etc. *Hinc.* Particulæ hic sunt adauctivæ, quasi vox *tum*, aut alia quævis repeteretur.

1041. *Cærula insignes nota.* Iisdem oculis Tiberinus describitur Claudiano, I, 214: « Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu, *Cæruleis infecta notis*, reddentia patrem Oceanum. » BADEN.

Naresque hiulcis haustibus patulæ fremunt.
Musco tenaci pectus ac palear viret;
Longum rubenti spargitur fuco latus.
Tum pone tergus ultima in monstrum coit
Facies, et ingens bellua immensam trahit
Squamosa partem : talis extremo mari
Pistrix citatas sorbet ac reddit rates.
Tremuere terræ : fugit attonitum pecus
Passim per agros; nec suos pastor sequi
Meminit juvencos; omnis e saltu fera
Diffugit; omnis frigido exsanguis metu
Venator horret : solus immunis metu,
Hippolytus arctis continet frenis equos,
Pavidosque notæ vocis hortatu ciet.
Est alta ad Argos collibus ruptis via,
Vicina tangens spatia suppositi maris :
Hic se illa moles acuit, atque iras parat.
Ut cepit animos, seque prætentans satis

1044. *Musco*, alga viridi. — *Palear.* Pellis ex gutture boum dependens. Gall. *le fanon.*

1046. *Pone tergus.* In extrema parte corporis. *Pone* præpositio est quæ regit *tergus.* Et dicitur *tergus*, *tergoris*, sicut *tergum*, *tergi* — *Ultima facies*, i. e. posterior pars. — *Coit*, quia pro duplici crure, una fit cauda.

1047. *Immensam trahit squamosa partem.* I. e. longam corporis extremi partem, squamis contectam, per sinuosos gyros trahit. — *Extremo*, remoto. Loquitur de tractibus maris remotioribus.

1048. *Pistrix.* Monstrum marinum tantæ magnitudinis, ut submergat quassas naves. Vid. Anim.

1049. *Sorbet ac reddit.* Vid. Anim.

1050. *Tremuere terræ.* Vide Virbium hæc de se narrantem, Ovid. Metam. lib. XV, vs. 506 sqq. et celeberrimam nostratis Racinii descriptionem, *Phèdre*, act. V, sc. VI, cujus forte non erat hic locus.

1055. *Arctis continet frenis.* Qui nuper, vs. 1005, lora permittebat.

1056. *Ad Argos.* Ducens ad Argos. Nuntius, apud Euripidem, vs. 1195 : πρόσπολοι δ' ὑφ' ἅρματος Πέλας χαλινῶν εἱπόμεσθα δεσπότῃ, Τὴν εὐθὺς Ἄργους κἀπιδαυρίας ὁδόν.

1058. *Vicina tangens*, etc. Scilicet, edita erat hæc via, et simul litori erat finitima.

1059. *Illa moles.* Monstrum marinum sese excitat.

1060. *Se prætentans.* Antea virium suum tentamen faciens.

Prolusit iræ, præpeti cursu evolat,
Summam citato vix gradu tangens humum,
Et torva currus ante trepidantes stetit.
Contra feroci natus insurgens minax
Vultu, nec ora mutat, et magnum intonat:
« Haud frangit animum vanus hic terror meum:
« Nam mihi paternus vincere est tauros labor. »
Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuere currum : jamque deerrantes via,
Quacumque rabidos pavidus evexit furor,
Hac ire pergunt, seque per scopulos agunt.
At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit; haud aliter citos
Currus gubernat : ora nunc pressis trahit
Constricta frenis; terga nunc torto frequens
Verbere coercet : sequitur assiduus comes
Nunc æqua carpens spatia, nunc contra obvius

1061. *Summam humum.* Superficiem soli rapida radit, transilit.

1063. *Currus*, pro, equis currui adjunctis et trepidantibus.

1064. *Feroci*, impavido. — *Natus*, tuus, o Theseu.

1065. *Nec ora mutat, et magnum*, etc. Agnosce duplicem *et* in *nec:* et non ora mutat, et intonat.

1067. *Nam mihi paternus*, etc. Hereditario jure mihi debetur hic labor; nam et pater taurum Marathonicum superavit, Minotaurum interfecit. Farn.

1068. *Protinus.* Quum vix absolverat hæc verba, equi monstro territi frena detrectant, et abripiuntur.

1070. *Rabidos pavidus*, etc. Vide Animadversiones ad calcem.

1071. *Hac*, præpone τῷ *quacumque* vs. præcedentis.

1072. *At ille, qualis*, etc. Ait Euripides in Hippolyto: Καὶ δεσπότης μὲν ἱππικοῖς ἐν ἤθεσι Πολὺς ξυνοικῶν, ἥρπασ' ἡνίας χεροῖν. Ἕλκει δὲ, κώπην ὥστε ναυβάτης ἀνὴρ, Ἱμᾶσιν εἰς τοὔπισθεν ἀρτήσας δέμας. Sane totum hunc de morte Hippolyti locum ab Euripide accepit Seneca; et ex eodem fonte plurima hausit Racinius noster, utroque superior.

1075. *Trahit*, retro, ad se.

1076. *Torto verbere.* Verberibus, quæ intorquet.

1077. *Sequitur*, taurus currum.

1078. *Æqua carpens spatia.* Secundum currus, et quasi æquata fronte.

Oberrat, omni parte terrorem movens :
Non licuit ultra fugere : nam torvo obvius
Incurrit ore corniger ponti horridus.
Tum vero pavida sonipedes mente exciti
Imperia solvunt, seque luctantur jugo
Eripere, rectique in pedes jactant onus.
Præceps in ora fusus, implicuit cadens
Laqueo tenaci corpus ; et quanto magis
Pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
Sensere pecudes facinus, et curru levi,
Dominante nullo, qua timor jussit, ruunt.
Talis per auras, non suum agnoscens onus,
Solíque falso creditum indignans diem,
Phaethonta currus devio excussit polo.
Late cruentat arva, et illisum caput
Scopulis resultat : auferunt dumi comas :
Et ora durus pulchra populatur lapis :
Peritque multo vulnere infelix decor.
Moribunda celeres membra provolvunt rotæ.
Tandemque raptum truncus ambusta sude

1082. *Povida mente*, pavore. — *Exciti*, excitati.

1085. *Fusus*, deturbatus. Observavit plura ejusmodi Gronovius ad Livium. Cujus etiam phrasis, « effundi equo, » lib. X, 11 : « ab rapido cursu circumagendo equo effusus ; » lib. XXII : « equus repente corruit, consulemque lapsum super caput effudit. » Virg. præterea, Æn. lib. VII, 780 : « Et juvenem monstris pavidi effudere marinis. »

1086. *Laqueo*, loris equorum.

1087. *Pugnat*, nodos tendit divellere.

1088. *Facinus*, heri, scilicet ab ipsis deturbati.

1090. *Non suum agnoscens onus.* Ovidius, Met. II, 161 : « Sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent Solis equi, etc. »

1091. *Soli falso.* Phaethonti, qui falso, illegitimo jure, sol erat, solis partes occupabat.

1092. *Currus*, pro ipsis equis sumitur. — *Devio*, quo ipse Phaethon devius errabat.

1093. *Cruentat.* Hippolytus.

1095. *Populatur*, lacerat, diripit.

1096. *Infelix decor.* Qui scilicet principium fuit novercalis amoris, et adeo excidii.

1098 seq. *Tandemque raptum*, etc. His, ni fallimur, intelligendum est,

Medium per inguen stipite erecto tenet;
Paulumque domino currus affixo stetit.
Hæsere bijuges vulnere, et pariter moram
Dominumque rumpunt; inde semianimem secant
Virgulta : acutis asperi vepres rubis,
Omnisque truncus corporis partem tulit.
Errat per agros funebris, famuli, manus,
Per illa, qua distractus Hippolytus loca
Longum cruenta tramitem signat nota;
Mœstæque domini membra vestigant canes.
Necdum dolentum sedulus potuit labor
Explere corpus. Hoccine est formæ decus?
Qui modo paterni clarus imperii comes,
Et certus hæres, siderum fulsit modo,
Passim ad supremos ille colligitur rogos,
Et funeri confertur. THES. O nimium potens,

dum currus raperetur, in via occurrisse arboris truncum, qui quum ambustus fuisset (seu a lignatoribus, seu a venatoribus), et paulo supra solum erectus surgeret, tamquam palus fuit, quo affixus stetit Hippolytus, et simul currus jam retardatus. Vix autem intelligimus cur verterit gallicus interpr. « Son corps est rejeté sous le timon, et le pieu qui s'y trouve s'enfonce dans ses entrailles. Les coursiers s'arrêtent un moment, et bientôt, etc. »

1100. *Domino affixo.* Quum dominus hæreret affixus; ablativo, ut aiunt, absoluto positum. — *Stetit*, cursum continuit.

1101. *Vulnere*, propter moram quam attulit Hippolytus palo affixus et sic vulneratus.

1102. *Moram dominumque.* Ἓν διὰ δυοῖν, i. e. morantem dominum. — *Rumpunt*, dilacerant, in plures diffindunt partes.

1104. *Omnis truncus.* Hac voce confirmatur sensus vs. 1098.

1105. *Funebris manus.* Turba famulorum Hippolyti mœsta.

1106. *Qua*, adverbium est loci.

1109. *Necdum*, nunc quum ego loquor.

1110. *Explere corpus.* Colligere omnes omnino corporis partes.

1113. *Passim*, sparsis undecumque membris.

1114. *Funeri confertur.* Primum queritur nuntius quod tam fœde deformata fuerit illa pulchritudo : « Hoccine est formæ decus? » et deinde, quod immature perierit juvenis : « et funeri confertur. » — *Nimium potens.* Exclamat Theseus, *nimium*, quia tunc etiam, nocentem esse Hippolytum arbitratur.

Quanto parentes sanguinis vinclo tenes,
Natura! quam te colimus inviti quoque!
Occidere volui noxium; amissum fleo.
NUNT. Haud quisquam honeste flere, quod voluit, potest.
THES. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,
Si abominanda casus optata efficit.
NUNT. Et si odia servas, cur madent fletu genæ?
THES. Quod interemi, non quod amisi, fleo.

CHORUS.

Quanti casus humana rotant!
Minor in parvis fortuna furit,
Leviusque ferit leviora Deus.
Servat placidos obscura quies;
Præbetque senes casa securos.
Admota ætheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
Insani Boreæ minas,
Imbriferumque Corum.
Humida vallis raros patitur

1118. *Haud quisquam honeste*, etc. Neminem decet flere, quum id, quod ipse voluit, accidit.

1120. *Si abominanda*, etc. Explica, « si casu obtingant, quæ quis crudeliter optaverit. »

1122. *Quod*, vel quia, vel illud quod.— *Interemi*, *amisi*, natum.

Act. IV, sc. II. Chorus sublimis fortunæ instabilitatem et pericula, humilis securitatem canit, Hippolyti mortem deflet.

1123. *Humana*, conditionem, vitam hominum. — *Rotant.* Alludit ad Fortunæ, quæ vulgo fingitur, rotam. FARN.

1124. *Minor furit*, pro, *minus furit*. — *In parvis*, suppl. rebus.

1126. *Servat placidos obscura quies*. Servat et asserit tranquillitatem obscura et quieta vita.

1127. *Præbet*, ostendit.— *Senes*, quorum vitam producunt mores simplices et rustici. — *Casa*, sedes agrestis. — *Securos*, nihil reformidantes insidiarum.

1128. *Culmina.* Altarum rupium fastigia. Sic Horat. Od. II, 10, vs. 11: « summosque feriunt Fulmina montes. »

1132. *Humida.* Valles vocat *humidas*, in quibus colliguntur aquæ.

Fulminis ictus; tremuit telo
Jovis altisoni Caucasus ingens,
Phrygiumque nemus matris Cybeles.
Metuens cælo Jupiter alto
Vicina petit. Non capit unquam
Magnos motus humilis tecti
Plebeia domus.
Circa regna tonat.
Volat ambiguis
Mobilis alis hora; nec ulli
Præstat velox Fortuna fidem.
Qui clara videt sidera mundi,
Nitidumque diem nocte relicta,
Luget mœstos tristis reditus;
Ipsoque magis flebile Averno
Sedis patriæ videt hospitium.
Pallas Actææ veneranda genti,
Quod tuus cælum superosque Theseus
Spectat, et fugit Stygias paludes,
Casta nil debes patruo rapaci:
Constat inferno numerus tyranno.
Quæ vox ab altis flebilis tectis sonat?
Strictoque vecors Phædra quid ferro parat?

1133. *Tremuit*, tremere solet.

1135. *Phrygiumque nemus matris Cybeles.* Scil. Ida.

1136. *Metuens cælo alto.* Metuens ne oppugnentur altæ cæli arces.

1137. *Vicina*, et scil. faciliores ad cælum aditus oppugnaturis parantia.

1140. *Tonat.* Dictum hic *tonat*, per figuram. Vid. Animadv.

1141. *Ambiguis*, incertis.

1144. *Qui clara videt.* Theseus scilicet, cui ab inferis reverso luctuosus contigit reditus, ita ut incertum sit, an inferna sedes flebilius fuerit hospitium quam patria.

1149. *Act. genti.* Atheniensibus.

1150. *Tuus*, quia rex est Athenarum, quæ sub tuo præsidio.

1151. *Fugit.* Præterito positum.

1152. *Casta.* O Pallas veneranda, sup. vs. 1149.— *Patruo*, Plutoni.

1153. *Constat.* Semper idem est. — *Numerus*, mortuorum.

1155. *Stricto ferro.* Nudum gerens mucronem.

ACTUS QUINTUS.

THESEUS, PHÆDRA.

THES. Quis te dolore percitam instigat furor?
Quid ensis iste? quidve vociferatio,
Planctusque suprà corpus invisum volunt?
PH. Me, me, profundi sæve dominator freti,
Invade, et in me monstra cærulei maris
Emitte; quidquid intimo Tethys sinu
Extrema gestat, quidquid Oceanus vagis
Complexus undis ultimo fluctu tegit.
O dire Theseu semper, o nunquam tuis
Tuto reverse! natus et genitor nece
Reditus tuos luere : pervertis domum,
Amore semper conjugum aut odio nocens.

Act. V, sc. I. Phædra Hippolyti innocentiam, suas calumnias revelat; ipsaque sua se manu occidit.

1158. *Planctus supra corpus.* Planctus quos emittis, ad visum corporis. — *Invisum.* Vel, quod tu modo oderas; vel, quod mihi invisum est. Contra sensum, vertit gallicus interpres : « Pourquoi ces meurtrissures dont votre corps est couvert? »

1160. *Monstra*, quæ modo in Hippolytum emisisti.

1161. *Quidquid*, monstrosum, et supple, *emitte.* — *Tethys extrema.* Partes ponti remotissimæ.

1163. *Ultimo fluctu.* Eod. sensu quo supra vs. 1161, *extrema Tethys.*

1164. *Dire semper.* Qui semper dira mala tecum affers.

1165. *Natus et genitor.* Filius nunc, pater Ægæus olim : qui ex editissima turre navis tuæ vela nigra prospiciens, ac te periisse inde conjiciens (quia in mandatis dederat, ut victor aut incolumis albis redires velis), se in mare dejecit, cui suum inde nomen dedit. FARN.—*Luere*, luerunt, solverunt sua nece.

1166. *Pervertis.* Tumultu misces. — *Domum*, tuam.

1167. *Amore conjugum.* De se ipsa loquitur. — *Aut odio*, etc. Si-

Hippolyte, tales intuor vultus tuos?
Talesque feci? membra quis sævus Sinis,
Aut quis Procrustes sparsit? aut quis Cressius
Dædalea vasto claustra mugitu replens,
Taurus biformis, ore cornigero ferox,
Divulsit? heu me! quo tuus fugit decor,
Oculique, nostrum sidus? exanimis jaces?
Ades parumper, verbaque exaudi mea.
Nil turpe loquimur; hac manu pœnas tibi
Solvam, et nefando pectori ferrum inseram,
Animaque Phædram pariter ac scelere exuam;
Et te per undas, perque Tartareos lacus,
Per Styga, per amnes igneos amens sequar.
Placemus umbras: capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.
Non licuit animos jungere: at certe licet
Junxisse fata: morere, si casta es, viro;

gnificare vult Antiopen, quam Theseus interemit. Vide sup. vs. 227.

1168. *Tales*, laceros, fœdatos.

1169. *Feci*, falsa insimulando te. — *Sinis*. Latro Corinthius, qui pinnbus incurvatis alligatos homines discerpebat. Farn.

1170. *Quis Procrustes*, etc. Vide Thyest. vs. 1050, vol. pr. p. 326. — *Cressius*. Minotaurus, supra vs. 649; qui humana carne vescebatur. Farn. — Phædra ob id unum videtur tria monstra a Theseo devicta et occisa memorare, ut innuat eum his etiam monstris crudeliorem exstitisse.

1171. *Dædalea claustra*. Labyrinthum a Dædalo factum.

1173. *Heu me!* Vid. sup. vs. 898.

1174. *N. sidus*. Quos instar fausti geminique sideris suspiciebam.

1175. *Ades*. Redi ad vitam.

1176. *Nil turpe*. Ut nuper.

1178. *Phædram*. Vid. Animadv.

1180. *Amnes igneos*. Phlegethonta, Cocytum. — *Amens sequar*. Quod vult Dido per furorem neglecti amoris, et pœnas a Trojano heroe repetitura, Æneid. IV, 386 sq. e contrario Phædra exoptat, ut amati Hippolyti conspectu fruatur.

1181. *Placemus umbras*, suppl. Hippolyti. — *Capitis exuvias*. Crines. Moris enim fuit in funeribus amicorum, sic testari luctum, nec non funera honorare, defunctorumque faciem tegere coma abscissa et avulsa; in squalorem scil. spoliata natura superfluo hoc ornatu. Farn.

1184 sq. *Morere, si casta es*, etc. Luculenter explicat Farnab. « Si, non stuprata, ficti criminis reum

Si incesta, amori. Conjugis thalamos petam
Tanto impiatos facinore? hoc deerat nefas,
Ut vindicato sancta fruereris toro?
O mors amoris una sedamen mali,
O mors pudoris maximum læsi decus,
Confugimus ad te : pande placatos sinus.
Audite, Athenæ; tuque, funesta pater
Pejor noverca : falsa memoravi; et nefas,
Quod ipsa demens pectore insano hauseram,
Mentita finxi. Vana punisti pater;
Juvenisque castus crimine incesto jacet.
Pudicus, insons, recipe jam mores tuos:
Mucrone pectus impium justo patet,
Cruorque sancto solvit inferias viro.
Quid facere rapto debeas nato parens,
Disce ex noverca : condere Acherontis plagis.

Hippolytum egisti, morere, ut viro satisfacias; si non casta, sed incesta fuisti, morere ut sequaris amatorem. »

1186. *Tanto facinore.* Facinus enim est vel cogitavisse. — *Deerat*, pro, *deesset*; ut solemne poetis.

1187. *Sancta*, vel per antiphrasin dictum, ut adnotat Delrius; vel intelligendum, « sanctæ similis, credita sanctitatis amans. » Vix autem assentiremur Farnabio explicanti, illæsa. — *Vindicato toro.* I. e. toro, cujus maritus fuisset iniquæ tuæ criminationis vindex.

1188. *Amoris mali.* Am. impii, nefandi.

1189. *Pudoris decus.* Quæ pudorem restituis.

1192. *Pejor noverca.* Quia minus fœda est, quodam modo, novercæ quam patris erga juvenem inimicitia. — *Nefas mentita finxi.* Mendacio meo, finxi esse scelus illius.

1193. *Hauseram.* Conceperam.

1194. *Vana.* Ficta, nulla fide digna; et supple, delicta, scelera.

1195. *Crimine*, accusatione. — *Incesto*, mei incestæ.

1196. *Recipe jam mores tuos.* Id est, justam castitatis tuæ famam. Farnab.

1197. *Mucrone justo.* Per vulnus quod justus mucro aperuit. Hæc loquitur, jam ictu percussa.

1199. *Quid facere.* Et innuit, mortem sibi ipsi Thesea consciscere debere. — *Rapto nato.* Quum mortuus fuerit tuus natus.

1200. *Ex noverca.* Quæ dolores concepit vere maternos. — *Condere.* Jamjam descendes, vel descende.

THESEUS, CHORUS.

THES. Pallidi fauces Averni, vosque Tænarei specus,
Unda miseris grata Lethes, vosque torpentes lacus,
Impium rapite, atque mersum premite perpetuis malis.
Nunc adeste sæva ponti monstra, nunc vastum mare,
Ultimo quodcumque Proteus æquorum abscondit sinu;
Meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.
Tuque semper, genitor, iræ facilis assensor meæ;
Morte dignum facinus ausus, qui nova natum nece
Segregem sparsi per agros; quique, dum falsum nefas
Exsequor vindex severus, incidi in verum scelus.
Sidera et manes, et undas scelere complevi meo.
Amplius sors nulla restat; regna me norunt tria.

Act. V, sc. II. Theseus, non sine luctu, et invitante choro, filio justa persolvit, et novercæ negat.

1201. *Averni.* Pallidum ab effectu vocat. Nam lacus est Campaniæ, propter tetrum odorem creditum limen inferorum. Delr. — *Tænarei specus.* Vid. Herc. Fur. vs. 587 (vol. prim. p. 70).

1202. *Lethes.* Lethe, fluvius inferorum, cujus potus umbris præteritarum rerum oblivionem inducere putabatur. Ideo miseris grata. — *Lacus torpentes*, Cocyti. Herc. Fur. 686.

1203. *Impium*, scil. me. Vertit perperam gallicus interpr. « Hâtez-vous de saisir cette impie. »

1204. *Nunc*, quum per me periit meus Hippolytus.

1205. *Quodcumque Proteus*, etc. Vos, phocæ et cætera monstra, quæ pascit custoditque Proteus.

1206. *Ovantem.* Modo lætantem. — *Gurgites*, maris.

1207. *Iræ assensor meæ.* Sumendum est *iræ*, dandi casu.

1208. *Morte dign. facinus*, etc. Vide Animadv. — *Nova nece.* Quis nempe, ante illum, filius, absens, patris votis, in terra, maris monstro, propriis equis periit?

1209. *Segr.* Solum, separatum.

1210. *Incidi in verum scelus.* Admisi verum scelus.

1211. *Sidera*, quæ terris illucent, pro *terris ipsis* dicuntur. Ergo Theseus, *sidera*, *terram*, nunc polluit nefaria filii innocentis cæde; propter ejusdem temeritatem, pater se dejecerat *in mare*; et ad *manes* descenderat, comes Pirithoi adulteri. Nescimus an per *sidera* non revocetur potius Ariadne, quam dereliquerat, et cujus cæsaries, seu corona, siderum numero fuit adscripta.

In hoc redimus : patuit ad cælum via,
Bina ut viderem funera, et geminam necem.
Cælebs et orbus, funebres una face
Ut concremarem prolis ac thalami rogos?
Donator atræ lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus; ereptos mihi
Restitue manes. Impius frustra invoco
Mortem relictam : crudus, et leti artifex,
Exitia machinatus insolita, effera,
Nunc tibimet ipse justa supplicia irroga.
Pinus coacto vertice attingens humum
Cælo remissum findat in geminas trabes,
Mittarve præceps saxa per Scironia.
Graviora vidi, quæ pati clusos jubet
Phlegethon, nocentes igneo cingens vado.
Quæ pœna maneat memet et sedes, scio.

1213. *Ad cælum*, ad superas auras. — *Via*, ex inferis.

1214. *Bina funera, geminam necem.* Filii et uxoris. Hæc a vs. 1213 absolute dicuntur, absque interrogatione. Nihil, ut ait Botheus, interrogandum in rebus certis, quemadmodum nimirum certum erat rediisse Thesea in hoc regnum, puta ad superos; et cadavera adspicere filii atque uxoris. Per σαρκασμὸν hæc dicta.

1215. *Cælebs et orbus.* Filio et conjuge privatus. — *Una* et eadem *face*.

1217. *Donator.* Herc. Fur. 806 (vol. I, p. 100), et sup. vs. 843. — *Atræ*, funestæ, detestatæ.

1218. *Tuum munus.* Vitam quam tuo munere recepi.

1220. *Crudus*, ferus. Hæc ad se. — *Leti artifex.* Per ironiam amariorem se ipsum alloquitur: Qui tanta calles arte ad letum consciscendum.

1221. *Exitia insolita.* Vid sup. 1208 : *nova nece.*

1223. *Pinus.* Vid. sup. vs. 1169, ad *Sinis.* — *Attingens humum*, in terram inclinata.

1224. *Cælo remissum.* Te, per vim arboris sponte resurgentis, in auras sublatum. — *In gemin. trabes.* Quum scilicet membra ad ambas arboris extremæ partes alligata fuerint.

1225. *Scironia.* Supra vs. 1023.

1226. *Graviora vidi, quæ*, etc. Sed apud inferos graviora, et ideo justius in me cadentia, supplicia. — *Clusos*, clausos.

1227. *Phlegethon.* Thyest. vs. 73 (vol. I, p. 221).

1228. *Quæ pœna*, etc. Ordo est : « Scio quæ pœna et (quæ) sedes maneat memet. »

Umbræ nocentes cedite, et cervicibus
His, his repositum degravet fessas manus
Saxum, seni perennis Æolio labor;
Me ludat amnis ora vicina alluens;
Vultur relicto transvolet Tityo ferus,
Meumque pœnæ semper accrescat jecur;
Et tu mei requiesce Pirithoi pater.
Hæc incitatis membra turbinibus ferat
Nusquam resistens orbe revoluto rota.
Dehisce, tellus; recipe me, dirum chaos,
Recipe: hæc ad umbras justior nobis via est.
Natum sequor. Ne metue, qui manes regis:
Casti venimus: recipe me æterna domo
Non exiturum, Non movent Divos preces:
At si rogarem scelera, quam proni forent!

1230. *His, his*. Meis.

1231. *Saxum, seni*, etc. Sisypho filio Æoli. Hic Atticam latrociniis infestans, et a Theseo interfectus, apud inferos hac pœna damnatur, ut saxum ingens ad summi montis verticem volvat, quod repente dilabitur.

1232. *Ludat*, decipiat, semper aufugiens.—*Ora vicina*. Tantali rictus qui undas prope attingunt.

1233. *Transvolet*, ex Tityo ad me. — *Tityo*. Qui, quum Latonæ stuprum inferre conaretur, Apollinis telis confixus ad inferos demissus est, ubi humi per novem jugera exporrectus, jecur immortale, utpote cum Luna ad pœnas renascens, vulturi depascendum præbet. Farnab.

1234. *Pœnæ*. Ad pœnam, supplicium renovandum.

1235. *Mei*, amici. — *Pirithoi pater*. Ixion, cujus vide supplicium, Hercul. fur. vs. 750 (vol. I, pag. 93).

1236. *Hæc*, mea.

1237. *Nusquam*. In nullo rotationis suæ articulo.—*Resistens*, sistens.

1238. *Chaos*. Hercul. fur. 610; Thyest. 832 (vol. I, p. 73, 303).

1239. *Justior nobis*, mihi, quam Hippolyto, inquiunt. Immo, quam quum, Pirithoi comes, profectus sum, miles audacis proci. Gron.

1240. *Qui manes regis*. Qui exerces imperium in manes.

1241. *Casti*. Non, ut olim, rapturi Proserpinam cum Pirithoo.

1242. *Non exiturum*. Ut nuper cum Hercule. — *Non movent Divos preces*. Vellet terram dehiscere, vellet se a chao recipi; et quum tranquilla circum se sileat natura, indignatur et dolet.

1243. *Proni*, faciles; ut fuerunt in tertio voto contra filium, supra, vs. 947.

CHOR. Theseu, querelis tempus æternum manet.
Nunc justa nato solve, et absconde ocius
Dispersa fœde membra laniatu effero.
THES. Huc, huc reliquias vehite cari corporis,
Pondusque, et artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? crimen agnosco meum.
Ego te peremi : neu nocens tantum semel
Solusve fierem, facinus ausurus parens,
Patrem advocavi : munere en patrio fruor.
O triste fractis orbitas annis malum!
Complectere artus, quodque de nato est super,
Miserande mœsto pectore incumbens fove.
Disjecta genitor membra laceri corporis
In ordinem dispone, et errantes loco
Restitue partes : fortis hic dextræ locus;
Hic læva frenis docta moderandis manus
Ponenda; lævi lateris agnosco notas.
Quam magna lacrimis pars adhuc nostris abest?
Durate trepidæ lugubri officio manus,

1244. *Æternum manet*, sufficiet semper.

1245. *Justa*. Exsequias debitas.

1246. *Laniatu effero*. Refer ad *dispersa* : quæ dispersit laniatus efferus.

1247. *Huc*, ubi sum.

1248. *Pondus*. Neque enim formam jam habent.

1250. *Neu*, quasi reponeretur, *et ne*. — *Nocens semel Solusve*. Proprio unicoque crimine fœdatus.

1252. *Patrem*, meum, Neptunum. A quo scilicet compressa Æthra, quum ex Ægeo non conciperet, Theseum peperit. Plutarch. in Theseo. FARNAB.

1253. *O triste*, etc. Ordo est : « O orbitas, malum triste annis fractis », et *fractis* intellige, quos exhauserunt ætas et ærumnæ.

1254. *Complectere*. Se ipsum alloquitur. — *Est super*. Superest.

1257. *Loco restitue*. In suum locum repone.

1258. *Hic*, in hac corporis parte.

1260. *Notas*. Alludit forsan ad secretum quoddam filii sui signum, et ad inspersos in corpore egregio nævos.

1261. *Quam magna*, etc. Quam multi artus, quam multæ corporis particulæ absunt, quæ, si posthac inventæ fuerint, cum lacrymis mihi componendæ sint. FARN.

1262. *Durate trepidæ*. Manus

Fletusque largos sistite arentes genæ,
Dum membra nato genitor annumerat suo,
Corpusque fingit. Hoc quid est forma carens,
Et turpe multo vulnere abruptum undique?
Quæ pars tuî sit dubito, sed pars est tuî.
Hic, hic repone: non suo, at vacuo loco.
Hæcne illa facies igne sidereo nitens,
Inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
O dira fata! numinum o sævus favor!
Sic ad parentem natus ex voto redit!
En hæc suprema dona genitoris cape,
Sæpe efferendus: interim hæc ignes ferant.
Patefacite acerba cæde funestam domum;
Mopsopia claris tota lamentis sonet.

meæ, quamquam trepidetis, ne abstineatis ab officio lugubri.

1263. *Fletus sistite.* Ut possint oculi tristissimo vacare ministerio. — *Arentes*, marcidæ.

1265. *Fingit*, componit. Et hoc vere est, mortuum componere. Farn.—*Hoc quid est*, etc. Quid est fragmentum illud carnis lacerum et sanguineum?

1266. *Turpe*, fœdum.

1268. *Repone.* Alloquitur unum e famulis, vel ministris suis. — *At vacuo loco.* Deest enim pars, quæ proprium locum suppleat. Farn.

1270. *Inimica flectens lumina.* Quæ oculos etiam inimicos, novercales scilicet, flexit, exarmavit, et ad sui amorem transduxit.—*Huc;* nempe ad talem mutili cadaveris fœditatem.

1271. *O sævus favor!* Intelligit sua vota, diis exaudita malignis.

1272. *Sic*, jam crudeliter laniatus.

1273. *Hæc suprema dona genitoris.* Scil. hæc funeri tuo soluta exsequiarum justa. Et insuper, cum his verbis, Theseus aliquid ornatus sui imponit dilacerato cadaveri, ut solebant cara et pretiosa munera conjicere in rogos amicorum.

1274. *Sæpe efferendus.* « Quia scilicet aliæ rursus laceri dispersique corporis partes invenientur, quas iterum humo mandandas curabo. » Et confirmat hunc sensum τὸ *interim*, scil. « donec nova fragmenta ad me sint reportata. » — *Hæc ignes ferant.* Ordo est, « ignes ferant hæc, » et *ferant* explica, auferant, aboleant, comburant.

1275. *Patefacite.* Aperite, ad majorem exsequiarum pompam. — *Acerba cæde funestam domum.* Regiam, quam cædes funesta miscuit mœrore et acerbitate.

1276. *Mopsopia tota.* Totæ Athenæ, a Mopsopo rege sic dictæ, Sup. vs. 121.

Vos apparate regii flammam rogi;
At vos per agros corporis partes vagas
Anquirite; istam terra defossam premat,
Gravisque tellus impio capiti incubet.

1277 sq. *Vos... At vos.* Varios e ministris compellat. — *Regii*, ut decet natum rege.

1279. *Anquirite.* Proprie significat, diligenter, et omnibus excussis, quærere. — *Istam.* Phædram. Gallic. interpr. nescio cujus textus auctoritate : « que la terre affaissée pèse *sur ma tête* impie ! » — *Defossam*, non concrematam, non ritu solemni honoratam ; qua nulla ultio potuit esse terribilior. Vid. not. sq.

1280. *Gravisque tellus.* Cui male volebant, terram gravem precabantur Veteres, et tumulum onerosum, quo anima, quam sepulchro una cum corpore condi credebant, depressa, ad beatorum sedes tarde aut ægre devolaret, atque ægre ultro citroque ad sepulchra commearet in solemnibus funeris. Ut contra, cui bene volebant, « tenuem et sine pondere terram precabantur, levem cespitem aut cippum, ut molliter ossa cubarent. » FARNAB.



NOVÆ

DE VARIETATE LECTIONUM

IN

HIPPOLYTUM

ANIMADVERSIONES.

4. *Quæ saxaso loca Parnethi.* MSS. complur. 4695, 6377, etc. et post hos, Ægid. Maseriens. Henr. Petr. et Gruterus. — *Quæ saxa solo.* Pravam, nec minimo fultam adminiculo, lectionem ad veram redegerunt recent. editores, et optime, et absque dubio. Primum, ut ait Delrio, unica litera mutata, dein restituta penultima voci syllaba, unde inauditum prorsus apud omnes omnino geographos monstrum exsurgebat; dum *Parnes*, Atticæ mons nobilis. Vide ad notas. — *Saxoso loca P.* MS. 8020, Farnab. Thys. *saxosa loca.* — *Parnethi.* Non *Parnetho*; quod exhibet solus Delrio, ex suo ipsius codice.

5. *Thriasiis.* Omnes codd. corrupti; ipse etiam Florentinus, qui *tristis.* Maseriens. *Thiasis.* Verum nomen *Thriasiis* restituit Joann. Scoppa. — Petr. *Thiasii*, sc. campi.

11. *Quæ ror.* Ascens. H. Petri: Raph. « qua rorif. »

13. *Per graciles.* Convenit inter omnes hæc non ab auctore sic exiisse, ut vulgo leguntur. Gruterus totum versum suspectum facit, utpote novem scriptis exsulem. Et quidem abest MSS. 6377, 8026, 8031, etc. Lipsius, cum Raphelengio, « per glareas, » vocante Rapheleng. auream illam correctionem Lipsii, ut velit Ilissum per scrupos et saxa volvi: exclamante autem Bothio, « quis ferat hic Lipsium? » — Manus illustris, ait Gronovius, « par glacie, » adeo lenis, ut stare velut glaciatum putes. Recipit hanc lectionem Baden. confirmatam, suo judicio, ab Hom. Iliad. XXII, vs. 152, de fonte:

Ἡ δ᾽ ἑτέρη θέρεϊ προρέει, εἰκυῖα χαλάζῃ,
Ἢ χιόνι ψυχρῇ, ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ.

Florent. *glaciles*; in quo *graciles* recta agnovit Gronov. veram affirmans

scripturam (et nos recepimus). Agri sc. Attici non uberes putresque et optimæ glebæ, sed sicci, et macri et steriles. Vid. Plut. in Sylla; Liv. lib. XLIII; Thucyd. lib. I. Et tamen idem ille Gronovius retinet in textu *per glacies*, quod alienum esse plerique omnes intellexerunt.

14. *Uti Mæander.* Optime, pro lect. *ubi Mæand.* potest servari locus ita conceptus. Ilissus confertur cum Mæandro. Mult. codd. editionesque legunt *ubi*. Sed quid Mæandro fluvio cum Attica? nisi forte ad illud respicit quod refert Pausanias in Corinthiacis, Mæandrum in mare ad Miletum delapsum mare subire, et in Peloponneso emergere, atque illic Asopum fieri. Alii leg. *Melænus.* FARN. — *Saper æquales.* Duo codd. Rapheleng. duoque Pontani, « per inæquales, » quod tuetur Baden. admissa sc. hypallage, pro « inæqualiter per agros. » Nos admittimus lectionem Gronovii, Bothii et alior.

20. *Fœtæ.* MS. 8026, 8031, etc. itemque H. Petr. *feræ*; non constante anapæsto, ut ait Fabric.

22. *Durus Acharneus.* MSS. 6377, 8261, « Durus Acarnan. » Avant. *Arcanan.* Ascens. et Commel. *Acarnas*; sed, Acarnanes, ut ait Gronov. inter Ætoliam et Epirum siti, hinc remoti. Scribe « Durus Acharnens. » Ἀχάρναι enim, δῆμος τῆς Ἀττικῆς notissimus, unde Ἀχαρνεῖς. Vid. Thucydid. lib. II. Emendatio certissima, ut ait Baden. et citat Theocrit. VII, 71:

Αὐλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες· εἷς μὲν Ἀχαρνεύς.

Nonno, Dionys. XIII, vs. 194, in Atheniensium copiis, γέρων Ἀχαρνεύς.

23. *Parcas.* Badenius solus, e vera, ut ait, Danielis Heinsii correctione, *patrias*.

28. *Phlyeus.* MSS. omn. Ægid. Maser. Petr. Grut. Farn. Thys. al. *Philipis*, ignotum vocabulum. Scalig. *Pliluhalis.* Nos leet. Gron. Bip. Both. Bad. recepimus.

33. *Cretes.* Membranæ optimæ cum Vossianis *Cretès*, ait Gronovius: et tamen servat idem ille vulgatum *Cressæ*, quod minus elegans.

39. *Demissi.* Sic omnes, except. Ascens. et Bothius qui *dimissi*.

46. *Penna.* Al. *Pinna*, eod. sensu.

47. *Cludat.* Vult Heinsius scribi « vano ludat. » Henricus Petr. legit *claudat*.

58. *Araxen.* Solus Ægid. *Araxem.*

56-63. Hos versus digerit aliter Bothius, melius, ait, quam in vulgatis libris leguntur:

Secreta vacat... | Cujus... | Fera... | Et quæ... | Tua Gæt.
Tua Cretæas... | Nunc vel... | Leviore manu.

Sic fere pariter digesserant H. Petr. et al.

65. *Uri.* Sol. Ægid. *feri.*

69. *Pyren.* Idem *Pirenei.*

74. Usque ad fin. scenæ, alium versuum ordinem recipit Both.

Tulit in salt.. | Retia... | Nulli... | Fertur... | Tum rostra... | Rubicunda .. Rustica... | En diva... | Signum... | Vocor in... | Qua via, etc.

81. *En, diva favet.* Al. *Fave*, al. *Faves.* Satius visum est tertiam recipere personam.

88. *Pervium.* Bad. cum Florentino *Pervius.*

94. *Vadit.* Sic omnes MSS. et edd. soli Asc. et Henr. Petr. *vadat*; lectio forsan non spernenda.

97. *Pudorque.* Both. censet haud deterius fore *pudorve.*

102. *Ætneo.* Sol. Ægid. *Ætneus*, ex MSS. vetustiorib.

103. *Telæ.* Ægid. *tela*, sine ulla ratione.

106. *Choris.* Both. « Flor. *choros*, pro *choro*, arbitror cum Gronovio. Vel hoc reponendum fuerit, vel potius sequente versu *consciam facem*: nam quis ferat tot simul *s* literas finales : ... ar*as*, A. m. chor*is*, J. tacit*is* consci*as* sacr*is* fac*es*. N. a. cást*is* precib*us*, etc. Non tam inelegantem novimus Senecam. » Hæc est nota quæ sedulum prorsus arguit commentatorem.

109. *Adjudicatæ.* Car. Fern. *ad judicatam.* Ægid. *adjudicatam.* In quibusd. *adjudicare.* Melius autem, *adjudicatæ.* Non enim Minerva terræ adjudicata, sed terra Minervæ.

111. *Gæsa.* MS. *Tela.* Ægid. *Gessa.*

112. *Quid furens.* Ægid. « quidve furens. »

125-126. *Sui*, *Suasque.* Putidum polyptoton, ait Bothius; quare malit, « Mart. feri, Suasque. » Sæpissime confusa *ferus* et *suus* in codd.

130. *Pectore.* MSS. antiqui, et Ægid. *pectora*, mendum vix tamen adnotatione dignum.

133. *Pepulit.* Ægid. Gruter. Farnab. *repulit*.

138, sq. Ed. H. Petri interrumpit hic continuationem dialogi : PH. *Quemcumque*, etc. et repetit nutrix, in vs. 140, NUTR. *Obstare.* — Ordo nulli editorum receptus.

140. *Obstare primum est.* In loco multiplicibus modis distorto, variæ a variis proponuntur lectiones. A pluribus recipitur ea quam admittimus. Both. « honesta primum est velle : » sicque legendum ait, et propter frequentem literarum *H*, *N*, *e* et *i* commutationem, et propter vulgatæ lectioni nimis similia quæ paulo ante legimus, v. 132. Et hoc ipsum est cur vulgatam nos receperimus. Baden. « non ista primum est v. » id. « Primum est non velle ista, » hæc mala, quæ sic generaliter dici innuit. Rectius, ait idem, elegantiusque multo, et sic invenitur in Florentin.

142. *Aggravas.* Ægid. et Grut. 1604, *gravas.*

143. *Majus est monstro nefas.* Visum est Heinsio rescribere, « majus es monstro nefas. » Verum, ut ait Baden. aliud est fortiter loqui, aliud maledicere ; libertateque differt effrænatio.

147. *Teneri crede.* Henr. Petr. lib. *tamen tu er.* suggerere sic Ortelianum, Aldinum et Basileensem notat F. F. F. Raphel.

148. *Styga.* Ægid. et edd. prim. *Stygem*; solus, *profundo et ferre.* Farnab. « profundo; ferre. » Nimis soluta oratione, ni fallimur.

150-151. *Pater? Latere*, etc. Vulgo, « ... pater; Latere, etc. » Sed signo interrogandi distinguendum est, post *pater*, ot in verbis *quid ille* intelligatur *agit*, vel quiddam simile. Both. Vid. not.

156. *Corusca.* Henr. Petr. *coruscat.*

162. *Consciæ mentis p.* Al. « conscius ment. pavor. » Al. « consciæ noctis pavor. » Quam recipit lection. Bothius: adulteriorum ac stuprorum *conscium* fere *noctem* esse: insuper, statim sequi de animo. Num autem objici potest in scriptore, qualis est noster, luxuriante admodum, et eadem retractare parum curante?

167. *Vagus Geta.* Florentinus cum Vossiano: « vagi campis Getæ, » quod, e Bothio, vituperat Baden. tanquam durius et receptum ab interpolatore.

170. *Memor matris.* Sol. Ægid. *mem. matri.*

184. *Quod ratio poscit, vicit ac r. fur.* Vivide quidem, sed multo minus graviter et latine, ut nobis videtur, recipiunt ex Florent. Both. Bad. « Quid ratio possit? vicit ac r. f. » — Pro *vicit*, al. *vincit.*

185. *Potensque.* Both. *Potiens*, et addit, « sic Ascens. quæ lectio quanto potior est vulgata! » Sed hoc quoque loco, nimius est ille in corrigendis et emendandis Senecæ repetitionibus. Per nos liceat Senecam esse Senecam, et insuavem esse tam propinquam repetitionem.

186. *Regnat.* Quæ vox quum modo præcesserit, eam agitant Both. Badeniusque, et recipiunt *pollet*, cum Florentino.

187. *Ipsumque.* Vossianus et post eum Bothius, cum Florentino, *Læsumque*; quod correctorem redolere cum Badenio confitebimur.

191. *Tam parvo.* Ultraj. mire *Tam prono.*

194. *Terræ.* MSS. nonn. et ex edd. Ægid. Gruter. *terris.*

195. *Turpiter vitiô fav.* Sic MS. 4695, et post eum, Avantius, H. Petr. Seb. Gryph. Fabr. Comm. Raphel. Farnab. Thys. — MSS. 8030, 8033, 8034, Isoard. Savigl. Gron. Bip. Both. « Turpis et vitio faveus. » — Plures MSS. 6377, 8024, 8026, 8028, 8029, 8032, 8036, 8037, 8055, 8261, 8462: edd. Car. Fern. Philol. Ascens. Gruter. « Turpi servitio fav. » — Scriv. Maser. « turpe serv. fav. » Denique Baden. « turpis et vitiô furens, » ex Raphel. et Pontan. In tali varietate lectionum difficillimum fuit eligere, quum pro unaquaque dimicent vel codd. vel edd. vel argumenta. Ut ut sit, ea quam recepimus, plurimarum est editionum, et omnium aptissima loco, ut visum est; lect. enim *servitio* male conveniret cum *liberior* vs. sq. et quod est de *furens*, pro *favens*, solus fere admisit Baden. eadem caussatus ut sic legat, quæ nos, ut rejiciamus.

196. *Quoque.* MS. 8036, *ut quoque.*

198. *Scilicet.* MSS. 8026 *scelere*, 8028 *scele*; 8025, 8033, *celerem*; 8029, 8261, *cælos et t.* Præstat vulgata.

201. *Regnum.* MS. 8028, *Regum.* — *In superis.* MSS. 4695, 8036,

« in superos. » MSS. 8261, « in superis; » et sic fere omnes; nostræ editiones, præter Gronov. Both. et Baden. quæ solæ omnino, « e superis. »

202. *Adscivit.* Mogunt. *accivit.* Ultraject. *astruit*, quod fuerit *adstruxit.* Both.

205. *Fluitque.* MSS. 8030, *confluxit.* — *Insolita.* MS. 8028, *Insueta.* — *Appetens.* Sic exhib. omnes MSS. quos habemus, et pleræque edd.— Sed Gron. Bip. Both. Bad. *appetit*, post quod distinguunt.

206. *Hunc.* Sic recepimus ex pluribus MSS. et edit. contra Gron. Bip. Both. Bad. auctoritatem : verius, ni fallimur, et oratione minus ineleganter soluta.

208. *Aut vilis cibus.* MSS. omnes, præter Flur. qui habet, « aut ullus cibus, » et edd. ante Both. et Baden. « vilis cibus » nemine non mendum agnoscente. Legendum conjicit Gron. « aut humilis, » vel « vilis torus. » Jacob. Gronov. repuni posse existimat *sitis.* Legendum putat Both. secundum Jacob. Gron. in schedis Dietz. quas penes se habet : « aut vilis scyphus : » et adstruit exempla, et mendi repetit originem, « vilis ciphus, vilis cipns, vilis cibus : » minus feliciter, nisi erramus. Baden. asserit Withofium, ut minima mutatione, ita verissime scripsisse, « aut vilis sinus, » hoc est, *vestis.* — Neutram fatemur lectionem ita nobis arrisisse, ut admitteremus, et melius visum est receptas servare voces : unde otiosum aliquid, non autem omnino contortum exsistit : dicemusque, ut dicebat ingenue Gruterus : « Cogitent acutiores. » Exoriatur aliquis qui ulceri, ut ait Baden. ipse, manum, feliciter et omnium applausu, admoveat.

210. *Eligens.* Multi ex scriptis *exigens.* Nihil opus est.

213. *Et se coercent modica.* Car. Fernand. et Isoard. « et se coheret modico : » ex quibusdam MSS. 8024, 8029. Multo potior est lectio recepta.

216. *Quid deceat*, etc. Sunt qui versum unum concedendum putant Phædræ, ut, quum enumerasset nutrix quam nulla lege viverent divites potentesque, suggerat : ergo, quid mirum me quoque abripi a via rectæ rationis, quæ regina? Acute quidem; sed an non nimis acute? an non obstat vox *deceat?* Ita puto. J. Gaut.

218. *Fero.* Sol. MSS. 8029, et sol. editor. Bothius, *puto.* Sed purum glossema.

222. *Ne crede. Ditis clauserit r. licet.* Non est quod MSS. fides possit invocari, quum de interpungendo agitur. Aliter apud alios, Grun. Bip. Both. Baden. « ne crede Diti : clauserit regn. licet. » Nihil autem magis decretorium videtur quam quod ait Schroderus : « Quum nulla Ditis mentio præcesserit, non video quomodo hic Diti non credendum esse moneat nutrix. At quum persuasionem istam Phædræ, de non redituris ex Orco ad supera loca mortalibus, communi omnium opinione ac lege naturæ firmatam, animo reginæ exuere ipsa conatur, subjicit : *ne crede*, quasi diceret, *ne crede*, non unquam amplius « convexa tacturum

supera, qui mersus semel, adiit silentem nocte perpetua domum.» Deinde κατ' ἀντεπίδειξιν addit: «Ditis cluserit regnum licet.» Præterea, si vellet non credendum esse Diti, quia falsurus sit, et contra morem atque ingenium Thesea dimissurus (id quod lepidum est Gronovii commentum), inconstantiæ Plutonis potius quam benignitati deorum adscribendus foret ipsius reditus: nam sermo est benignitatem innuentis, *credere alicui*. Denique absonum nobis videtur et minus sententiæ ipsius contextui conveniens, nominativum deesse verbo *cluserit*, quum suus sit verbo sequenti *observet*.

224. *Solus*. Ingeniosius hic Heinsius, quem citat Baden. «non *solus* invenit profecto, sed comitatus Herculem. Quid si reponimus:

Soli negatas invenit Theseus vias.

Sol enim ab inferis exclusus. Hinc is ipse apud Ovidium, de Styge, Metam. II, 46:

Dis juranda palus, oculis incognita nostris.

Forte etiam *iverit*, vel *inruet vias*.» Nihil mutandum. *Solus* dicitur poetice, pro, unus e paucissimis, et bene confert ad extollendam Thesei fortitudinem. Altera ex parte, quamvis duo MSS. Palat. et Schol. item edd. vett. dent *inveniet*, lectionem hanc metrum arguit. Elegantius pro futuro sic præsens tempus ponitur *invenit*. Vid. not.

230. *Feminæ nomen*. Delrio: «singulares, inquit, sunt Lugdunenses, qui: *femineum nomen*. Nosse velim unde id acceperint: alioquin non placet.» Acceperunt autem ab Ascensio, et similem lectionem conjecit Heinsius, temerata ex Bad. lege metri.

231. *Gen. Amazonium*. Ex omnib. MSS. tres solum, 8026, 8034, 8262, et ex edd. solus Isoard. *Amazonum*.

236. NUTR. *Resistet ille, seque mult.* etc. Hæc velit Lipsius Phædram dicere, sed affirmantem, non rogantem; et versui 238, personam nutricis dederit. Minus feliciter tenebellas, si quæ hic essent, discussit is quem vocat h. l. doctorum Solem F. F. F. Raphelengius. Qui enim sustineri posset Phædram amori, quem inspirare se cupit, nomen addentem «Veneris non castæ,» et se ipsam deturpantem?

239. *Precibus haud vinci potest*. Grut. cum Heinsio, ex Scholiast. vet. nec abludentibus Pall. duob. in quibus *aut*, tentabat: «precibus at vinci potest.» Sed amori sollicito atque anxio Phædræ rogatio magis quam affirmatio convenit. BAD.

249. *Pars sanit.* etc. Et hoc quidem loco comparet iambus iste in MSS. omnibus: meo animo non male: quamvis sint qui conjectura duce collocent inter versum 257 et 258, una cum duobus aliis qui leguntur supra 140, «obstare primum, etc.» J. GRUT.

248. *Teque ipsam adjuva*. Both. declarat male hic legere vulgatas: *ipsam*. «*Ipsa* sibi opem ferre jubetur Phædra, non ipsi sibi. Illud magno dignum animo, quali esse vult eam nutrix; hoc additum tantum abest

ut sententiam juvet, ut eam oneret deturpetque. » Non dedignanda fortasse lectio, nisi obstarent omnes omnino codd. et edd.

254. *Prævertam.* MS. 6377, *Præveniam*, et sic Car. Fernand.

255. *Mentis.* Id. MS. et ead. editio, *mortis.* Non absurda receptu, ut liquet, utraque lectio.

258. *Quær. fat. genus. Laqueone*, etc. Heinsius malebat virgulam quam punctum, post *genus.* Sed nihil mutandum, ex locis quæ convenienter ad h. l. profert Badenius, apud eumdem Senec. ŒEdip. v. 231:

> ... Mors placet. Mortis via
> Quæratur.

Euripid. Helen. 305:

> Θανεῖν κράτιστον· πῶς θάνοιμ' ἂν οὖν καλῶς;

261. *Pró, castitatis vindicem armemus manum.* Interjectio *pró*, quum multis videretur aliena, placuit alio modo versum refingere. Emendabat Lipsius, « pro castitate. » Scaliger. « Procacitatis vindic. etc. » Grut. nutrici hæc tribuit, velletque legi:

> NUT. Proh castitatis vindicem! arm. man. etc.

Gronov. non repugnat Florentini cod. lectioni, « Proin castitatis... » Both. et post eum Baden. « Pro castitatis vindice arm. man. » ut *pro* significet *tanquam*, qui frequens est hujus præpositionis usus. Et multus est Bothius in probanda hujus lectionis veritate: occurrere in Tacit. Annal. XIV, 48, « pro testimonio, » eodem sensu quo, « ut testis. » Sed aliter est de, « pro testimonio, pro vindice, » dicto absolute; aliter est de eisdem verbis complemento adauctis; quod nobis minus latine dictum videtur. Tum ingeniosissime enarrat Bothius, quo pacto, quaque corruptionum serie, perscriptum fuerit inter lineas autographi *in;* dein Florentinus librarius appinxerit rectius sibi visum *in*, quod deinde in unum verbum cum *pro* conflatum fuerit. Simplicior multo lectio quam recipimus, pro qua militant omnes MSS. exc. 8261, qui « pro cast. vindice; » et codd. except. Both. et Bad. Quidam demum versum hunc, post 264, collocatum volunt.

262. *Sinat.* Codd. et edd. quid. *sinet.*

264. PH. *Haud*, etc. Hic quoque versus crux, quæ dicitur, interpretum. De quo Scaliger, « quare non viderunt versum πονηροῦ κόμματος? neque ad sententiam facit, neque a bono poeta est. Exsulet igitur. » Et revera, abest a MSS. 8026, 8037, 8055, 8260, abest ab ed. Henr. Petr. Raph. non ausi fuimus tamen tollere. Qui autem unum, ne dicam verum, sensum enucleem, vix dispicio. Ait Gronovius, sibi valde probandum, si quis haberet liber vetus: « PH. Ad vitam honesta facile rev. potest. Prohib. ration. nul. mor. valet, ubi q. m. const. et deb. mori. Proin castitatis vindicem arm. manum. » Sed profitetur se ipse temera-

rium. Proponit, sed tantum in notis, Bothius textum quem diu hæsitavimus an acciperemus :

> At facile cuiquam vita revocari potest ;
> Prohibere ratio nulla periturum potest,
> Ubi qui mori constituit, et debet mori.

Et *cuiquam*, intelligendum probat, ut Græci intelligunt τὸν τυχόντα, hominem vulgarem, mobilem atque inconstantem, quam quidem vocis *cuiquam* significationem accipimus, vid. in notis. Non autem lect. vulgat. mutamus, nisi quod, ut fit in multis, versum hunc Phædræ adscribimus, et sæpe apud Nostrum eadem persona fere similia repetit. — *Ad vitam.* Bad. *ad auram.* Quo cogente?

266. *Quis.* Sic plurr. codd. et edd. Ultraj. Fernand. etc. Al. *qui.*

267. *Annis unicum.* Solus omnino 8029, « annis senectutis unicum, » quod glossema sapit, sine dubio.

270. *Et pejor. bon.* Both. *at pej.* quod vult elici ex Ultraj. dante *ac pej. bon.* et quod declarat vulgato præstare. Nonne paulo argutius? — *Pejus m.* Philolog. 1513, *pejora m.* forsan ex MSS. 8260.

272. *Labor est.* MS. 8261, *est labor.* — *Aggredi*, idem *aggrediendi.*

274. *Non miti generata ponto.* Id. MSS. 8261, « non muti gravata ponto. » Quæ vix ausim lectori proponere.

276. *Impotens.* Ascens. et quid. alii seu edd. seu MSS. *impetens;* sed nihil opus. Vide notas.

277. *Ac renidens.* Quid. *et renidens;* levissimo quidem discrimine. Aliæ ant. edd. Car. Fernand. Isoard. etc. ex MSS. y. c. 4695, 8026, etc. *acre nitens.;* quæ lectio parum videtur idonea.

278. *Moderatur.* Quidam item et MSS. et edd. *jaculatur.*

279-282. *Labitur*, etc. Prius distichon Bothio videtur eliminandum, « ut cujus sententia minus sibi constet, proprie et μεταφορικῶς dicta miscens, quum posterius in una, eaque nova, imagine totum occupetur, et quam apte ad superiora referas. Uncinis igitur inclusit primam, se judice, poetæ manum, cui adscripta altera est, ut solent imperfectioribus emendata. » Nos et hic pariter non longe distaremus ab agnoscenda hic διττογραφίᾳ, sed solum in versu 279, qui singulariter cum 281 convenit, et virgulam tantum post *venas*, vs. 1280, poneremus : « ig. furt. pop. venas, non hab. etc. » Sed non ea sunt quæ exsequi audeamus, ne uncinis quidem.

282. *Latam front.* Both. solus, et errore, ut patet, typograph. *latum fr.*

285. *Videt.* Quid. codd. et edd. et præcipue Bipont. qui perraro a Gron. distat, legunt *vidit.*

286. *Ad occasus seros.* Ex undeviginti MSS. quos habeo, quindecim exhibent hanc lect. et duodecim edd. contra sex alios, Gruter. Scriver. Gron. Bip. Both. Baden. qui cum MSS. 8029, 8030, 8034, 8261, dant « Hesperias metas. » Iis autem qui legunt *Hesperias metas*, non diffitentibus permutatione pedum opus esse, ut sic legatur, cur a vett. edd. recederemus?

288. *Si qua majoris gl.* Tres tantum MSS. 8028, 8033, 8034, et editorum, Scriver. Gron. Bip. Both. Badeo. « si qua Parrhasiæ gl. ursæ. » Majori sane aurium voluptate; sed nos numero cedimus, vulgatamque recipimus lectionem, quum præsertim oullæ vix talis tueodæ mutationis ratiooes proponaotur.

298. An indicare opus legi apod Fernand. *calomo* pro *calamo*?

300. *Ducit* MSS. 6377; *fecit* 8029.

302. *Dulcior vocem.* MSS. 6377, et pauci MSS. oon edd. *Dulc. voce.*

305. *Nova regna.* Sequiores, e quibus oct. Gruteri *mala regna*, cum Scholiaste illo, qui *mala*, propter tempestates. Flor. Lips. Mog. inter lineas et primæ edd. (etiam Feroond.) *nova regna*, quod etsi aliis arridet, mihi tameo coactios videtur, inqoit Gruterus: ueque enim tunc Jupiter mari dominabatur, quum id tauri forma tranabat, aut, si dominabatur, plus quam precario. At oihil Gronovio, ut ejusdem verbis utamor, obsequeotios, mollius, suavius videtur. « Primom Jupiter, ubicumque est, regnat; et sive frater, sive quis alius Deorum hospitem expertus est, domioum in regna recepit. Deio annon regnabat, cui steruebantur et procumbebant undæ, adspirabant venti, Neptuous trideotem et fractum gorgitem Ægoo submittebant, Nereides et Tritooes venerabundi adsultantes comitantesqoe Hymeoæum canebant, deuique serviebant omoia domito, ut sit, profoodo? »

310. *Fratri.* Solus Ægid. Maser. *fratris.*

317. *Pharetram.* Sic vulgati. Aliæ edd. et quid. edd. *Pharetras*, quod esset figurate loqoentis. Uous atque alter MSS. ejus loco habent oræ additom *sagittas.*

319. *Smaragdos.* Both. *smaragd.*

320. *Distincto auro.* Heiosius legendum conjecit, *distenta auro* : « distendi periscelidss Omphales fuisse necesse, utpote noo capientes Herculis crura inmensa illa. » Quorsum advocat illud ab Ovidio dictum, Fast. II, v. 223, in eadem fabula :

> Fregerat armillas non illa ad brachia factas;
> Scindebant magni vincula parva pedes.

Hoc tamen socco quam cothorno dignius videtur. Utcumque sit, oibil mutandom est. Baden.

324. Both. *Filia* pro *Fila*, errore typographico.

325. *Persis.* In quibusdd. seo MSS. seo edd. male *Perses.* — *Ditique ferox Lydia regno.* Sic MSS. 8032, 8260. Vulgo, « Ditisque ferax Lydia regni. » Mendose. Codici olim Grotiano adscriptum erat, « ditisque ferax Lydia arenæ. » Ex illo facile erui, « ditique ferox Lydia reguo. » Both. Vid. not.

332. *Quaque æth. caud. mundo.* Florent. ut olim Lipsianus, « quaque per ipsum caodida muodum. » Ioterpolarunt ii, quibus *mundum* ἁπλῶς pro cælo dici, novum erat. J. Lips.

334. *Hæc regna.* Sic plures et edd. et MSS. Baden. ex Valckenaer. et post edd. princip. ac Lugd. 1491, *hic reg.* Both. *hac.*

336. *Grex Nereidum.* Burmano. ad t. II, Anthol. Lat. pag. 703, forte, inquit, emendandum : « cærulus undis rex Nereid. » ut Neptunus intelligatur; nam sequi mox, *grege pro toto.* Sed pejus repetitione malum est epitheton ignavum et iners, quale foret *cærulus*, si pro *grex* legeretur *rex.* Baden.

339-340. *Ven. instincti q. mag. g. Gr. p. t. b. juvenci.* Raphelengianus, tres Delrii, unus Gruteri, melior Vossianus, denique Florentinus, « venere instinctus suscipit audax Grege pro toto bella juvencus. » At hoc Grutero spurium est, eritque, inquit, una omnibus, quibus auris non omnino agrestis. Non placet magis Bothio.

343. *Et mugitu dant concept.* etc. Fernand. « et mugitus dant, concepti, etc. »

344. *Virgatas.* MSS. 8036, *variatas.*

346. *Vulnificos.* Philol. *vulnificus.*

347. *Toto est spumeus ore.* Sol. Bothius, ne collidantur duplices consonæ, *toto spumeus ore est.*

352. *Lucæque boves.* MSS. 6377, 8026, 8029, et alii *Lucique bov.*

357. *Quid plura canam?* Hæc verba absunt Florentino, ut monet Jac. Gron. in schedis Dietz. Cæterum Ultraj. ut vulgus librorum, ista dividit in hunc modum:

Murmure sævo. Amat insani
Bellua........... boves.
Vindi........... .. sibi.
Nihil.............. perit,
Quum........... cedunt
Ignibus.......... canam?
Vicit........... novercas.

Primus, puto, Scriverius, hiatu in his verbis *sævo, amat* offensus, in receptum hunc ordinem digessit. Both.

358, 359. Chor. *Altr. prof.* etc. Hic versus et seq. desunt in MSS. 469, et in ed. Raph. vs. 359, deest sol. in MS. 8028, 8033, 8035. In al. 8029, 8034, vs. 359, postponitur versus 404. Vs. 359, deest pariter in Ægid. Philolog. Ascens. Petr. Gryph. Scriver. Farnab. Thys. — Præterea versum 358, in volgatis pessime attributum Phædræ, Gruterus, Scaliger, et post hos probatissimi Choro dederunt. Quod est de distinctione actuum, nullas Seneca reliquit notas, ut tragici Græci.

364. *Lapsæ genæ.* MSS. quid. et edd. *lassæ.* Gruterus queat ferre *laxæ.* Sed *lapsæ* vox videtur genuina, et pluribus recepta est. Cf. ad. not.

365. *Nil idem.* Both. ex Ultraj. *nihil idem.*

366. *Incertus.* Heinsius malebat *incertos.*

369. *Nunc se quieti.* Male apud quosdam, *nec se q.*

374. *Cereris.* Cod. MS. unus et una ed. indicante Bothio, *cedis*, cum Scholio *mortis*.

375. *Defecta.* Fernand. *deserta*. Ald. *defecta*.

376. *Non ora tingens*, etc. MSS. 8036, « non ora tingit; » non forsan dedignanda lectio.

379. *Ferebant.* Variant MSS. et edd. inter hanc lect. et *tenebant*. Nostram ex impressis quibusq. affert Gruter. confirmat Florent.

383. *Percussæ.* MSS. 4695, 6377, 8024, 8025, 8028, 8029, 8033, 8034, 8037, 8055, 8262; et ex edd. Car. Fern. Isoard. Philol. Ascens. Avant. Gryph. Fabric. Grut. Raph. Scriv. Farnab. *Perfusæ*. Nobiscum militant, MSS. 8032, 8035, 8036, 8260, 8261; et edd. Petr. Commel. Heins. Thysius, Gron. Bip. Both. Bad. Quis audeat, in tali dissensione, se vera exsequutum profiteri? Cf. cæt. ad not.

384. *Regiæ fastigia.* MSS. 8036, addit *domus*; merum glossema.

385. *Auratæ.* Car. Fernand. *oneratæ*. Voluit, opinatur Both. *ornatæ*; sed eo non opus.

387. *Illitas.* MSS. 4695, *inclitas*.

389. *Ultimi.* Sic MS. et antiquitus eusi; posteriores, *ultimis*, minus recte.

392. *Deducat.* A quibusdam legitur *Diducat*.

398. *Talis severi mater*, etc. Heinsius versum hunc existimat spurium, ac proinde tollendum. Sed retinendus est, ex Badenio, quippe monstrans, quæ sit intelligenda *Tanaitis aut Mæotis*, vs. 401.

399. *Qualis.* Grot. et Gron. proponunt *Talis*, *relictis*, etc. Optime sibi respondent *qualis*, *talis*.

401. *Tanaitis.* Jacob. Gronov. in Schedis Dietz. « Fort. *Bisaltis*, vel *Tauritis*; » Bisaltiam esse partem Thraciæ.

404. *Sepone questus*, etc. « Post hunc versum libri vulgares et gregales MSS. inculcant illum : *Regina sævis ecquis est flammis modus?* Sed quem hoc loco Magni Ducis liber optimus agnoscit nullum : posuit autem superius, v. 359, uti debuit. Post vs. *Sepone questus*, sequitur nullo alio interposito : *Agreste numen* : et finitur hæc scena : ac majusculis literis præponuntur personæ : NUTRIX. HIPPOLYTUS. Neque aliter in alio Florentin. et nostro membranaceo. » GRON.—Singulariter omnino noster MS. 8035 : « et quis magnus est dolor in flammis senis. »

408. *Ominum.* Primæ editiones, *omnium*, quod emendavit Canterus, Var. Lect. II, 22. BAD.

411. *Face.* Florent. *vice*; et apponit Gronov. loc. ex Medea, « nitidusque certas mundus evolvet vices. » Sed pluralis est numerus; singularisque minus hic placeat.

412. *En ades.* Pro *en*, Florentinus habet *an*, quod librarii vitium est. Heinsii *eia ades*, et temerarium videtur, et agitatius quam pro persona vetulæ. BADEN.

415. Hunc versum superiori anteponit Ultraj. qui male: *Difficiles au-*

res. Fern. et Caiet. « Det faciles aures. » Fortasse fuit, « faciles det aures, » quod vulgato non deterius. Both.

416. *Innecte.* Alii leg. *Inverte.* Mogunt. Herbipol. et tres Veneti. Sed *innecte*, quod in tanto MSS. consensu, miror cur Basileenses, ni fallor, primi mutarint. Vult Hippolyti animum in amoris retia pertrahi. Aptum vocabulum venatrici ac venatori. Delrius.

418. *Sic te lucidi vultus ferant.* Both. censet legi posse « s. t. lucidi currus ferant; » et parum abfuit quin audacter in textum inferremus quæ audacter et ingeniosissime refinxit. Audias scilicet ipsum : « vulgo omnes : sic te lucidi *vultus* ferant, quod quid sibi velit, scio cum ignarissimis : nam quis audiat interpretantes : sic lucida fulgeas, precor, etc. novi et hæc similia, *dare classibus austros*, sed ut vultus *ferre* dicamus, non *ferri*, id quidem plus quam ὑπαλλακτικόν. Quomodo qui locutus sit, dum quis proferat auctorem idoneum, interim legam : sic te lucidi *currus* ferant. Currus Dianæ lucidos, candidos, nitidos, quis non dixit? Cf. vel nostrum, supra 311, 788. At, inquiat quispiam, hoc ipso loco, quem laudas, legitur de Diana :

Et nuper rubuit, nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.

Respondeo, *lucidos* deæ *vultus* recte ibi dici, unde huc primum, ut fit, transcripti inter lineas, mox in ipsum ordinem recepti esse videantur. »

423. *Faves.* Fern. Caiet. Ascens. *favet*, ut plerique omnes codd. Grut. et Delrii. Nihilominus ineptum esse declarat Bothius.

428. *Audere.* Fern. *audire.* Ascens. *adire.*

439. Rejiciebat hunc versum Scaliger, quod absurdum putaret *pœnam* pro labore improbo ac misero dici. — *Domas.* Bene sic in Voss. pro *gravibus gravas*, quod exhibent quidd. inepte. Ascensius : « tui. Quid te ipse pœnis gravibus infestus domas? » et similiter legendum, conjicit Nic. Heinsius : « ...tui. Quo te ipse p. g. i. d. » Sed recte se habet vulgata lectio.

440. *Ille cum venia est miser.* MSS. 6377, 8026, et alii, « hic quidem vivat miser, » et sic Ægid. Maser. Ascens. Avant. Petr. Gryph. Fabric. Commel. Grut. Raph. sed lect. quam recepimus tuentur et quidd. quoque MSS. et edd. et in primis recta ratio, estque gemmea, ut ait ipse Grut. prævulgata.

444. *Noctibus festis.* MSS. *montibus f.* al. *motibus.* Nihil est verius, quam scribendum esse *noctibus.* Vid. not.

449. *Nunc cursus rape.* Nullus fere codd. aut MSS. aut edd. non dat *nunc luxus r.* quid. *lusus.* Florent. sol. *cursus*; et sic nos post Baden. Id cæterum postulat ratio, quum sequatur, *Effunde habenas.* Vid. aut. exempl. in notis. Vult legi Both. *lusus*; quam veram esse lectionem contendit, ex eo, quod sæpissime *s* et *x* literæ inter se commutatæ deprehenduntur.

454. *Necas.* Proponit in notis Both. *enicas.*

457. *Evincet.* Melius quam *evincit*, quorumdd. et MSS. et edd. quum sit antea, *dabit.*

460. *Alit.* MS. Ultraj. citante Both. *agit.*

465. Ad hunc versum Both. « Et sæva bella Marte sanguineo gerant. Numeri pravi. An fuit : et sæva Marti bella sanguineo gerunt? *Marti*, auctore Marte, vel in ejus honorem, quia bellis præest et gaudet. »

470. *Exhaustum genus.* MSS. 6377 et alii, Ægid. Mss. pariter cum paucis edd. *humanum genus.* Quam ad vitandam ταυτολογίαν versus superioris, scripsimus, « exhaustum genus, » de libris antiquis, et cum pluribus edd.

490. *Aut regno imminens.* MSS. 6377, 8026, 8031, 8028, etc. « ac regno imminet. » Sic pariter Ægid. Maser. Philolog. Ascens. et alii. Melior est lect. quam e cæteris et MSS. et edd. recipimus; quia aptius hæc sententia superiori annectitur cum participio.

494. *Sito.* Jubet Badenius edi *sota*, ex Heinsii correctione; nulla autem codd. editionumve, quam sciamus, auctoritate fretus.

496. *Haud verbo fingit. Mille*, etc. Quidam distinguunt : « haud verba fingit mille. Non quærit, etc. » Sed male : *verba fingit* absolute dici solet, nec numero definiri.

498. *Suffigit.* Unus cod. *suffulcit*, ex interpolatione.

499. *Inundat.* MSS. 8034, *inundans.*

504. *Niveo Ilisso.* Rutgers. Var. Lect. VI, 17, malebat *vivo.* Emendavit *niveo Ismeno* Fabricius, cui *Ilisso* aut *Elisso* pugnare contra legem versus videbatur; quum tamen et Ilissus in Attica, in qua hæc geri finguntur, fluvius sit, haud Ismenus, et syllaba prima etiam produci possit, si derivetur a græco Εἰλισσός, quo Pausanias et alii utuntur. Codd. varii, *iliso*, *eliso*, *in rivo*, et alia præferunt. « Suspicabar aliquando, ait Grut. *vitreo*; sed suspicio erat febriculosa. »

506. *Metatur.* Sic primæ edd. Sic MSS. nostrorum pars major; non *metitur*, ut præferunt quid. editi, minori lepore.

507. *Pellucet.* Both. *Perlucet.*

508. *Heic.* Var. *hic.*

509. *Ramique v.* etc. Videtur, ait Both. esse ἓν διὰ δυοῖν, sed parum placet, ut haud invitus reposuerim : *Ornique ventis*, etc. « Ante illum, Heinsius, arboris nomen desiderans, conjecerat *platani*, vel *ornique*, vel,

Alnique ventis leve percussæ tremunt
Veteresque fagi.

Nos eod. fidem secuti; et, de hac figura dicendi, cf. ad notas.

510. *Juvit.* MSS. fere, *juvat.* Quidam *juvat hic.* Sed *juvit* valet ἀορίστως, ut idem sit ac *juvare solet.* De hac enallage temporum, vid. not.

513. *Defundit.* Fernand. *Deffundit.* Al. *Diffundit.* Rectior lect. nostr. nam ex editioribus fere locis aquam dejiciunt fontes.

519. *Bibant.* Cum Flor. Ultraj. Caiet. et Ascens. *bibunt.*

520. *Certior somnus.* MSS. 8026, 8031, 8055, « celer si somnus premit, » MS. 8028; *celerius somnus pr.* MS. 8029, 8024, *fessos si somnus premit.* Maser. Ascens. Seb. Gryph. Fabr. *si celer s.* 8034, Petr. Philolog.

certus somn. p. Ut nos Avant. Commel. Gruter. Raphel. Scriver. Farnab. Thys.

521. *Versantem.* Var. pariter h. l. et quid. *versantur*, sc. membra.

522. *Recessu.* Nostri etiam MSS. aliquot, ait Grut. juvant conjecturam *secessu;* sed eam impugnat ratio versuum.

532. *Cinxerant urbes latus.* MSS. ed. quid. *lacus;* et interpretantur, fossas, quibus urbes einctæ.

539. *Dederant.* Sic omn. MSS. et edd. Vult Both. *dederunt*, et lectionem fuse tuetur, in suis nott. ubi videsis.

549. *Aut crista procul*, etc. MSS. 4695, aut *cristæ caput*, 8026, *aut triste caput*, sic 8028, 8033. Ægid. Maser. *aut cristæ c.* Sic Philolog. Ascens. etc.

558. *Mitius nil est feris.* Petitus ita distinguit : « Taceo novercas (mitius nil est) feras. » Confitetur se Scaliger hæc non capere ; si diceret, « mitior mens est feris, » melius se capturum : aliquid tale poscere sententiam. Et revera, non nisi contorta nobis videtur hujus loci, ut est in variis interpp. explicatio. Vide tamen ad notas.

559. *Sed d. m. femina. Hæc sc. artif.* In quibusd. al. et MSS. et ed. *et* pro *hæc;* et legitur, « sed dux mal. femina, et scelerum *artif.* etc. »

560. *Incestæ.* Flor. teste Jac. Gronovio in Schedis Dietz. « cujus incesti stupris, » ex quo ille faciebat : « cujus incestis stupris. »

562. *Et versa.* MS. 8029, *Eversa.*

564. *Med. reddit.* Bonum hoc, ait Gruter. agnoscitque Scholiastes vetus, et alter Palat. Reliqui tamen, *reddet*, cui et suus vigor.

567. *Dirus furor.* MSS. quidd. et edd. *Durus furor.* Pontanus : « An non melius ad rem? *Dius furor. Dius* nimirum, quia Dii, Venus et Cupido, eum immittuut. »

573. *Feminæ.* Videri potest genitivus; quæ ambiguitas ut tollatur, haud nolim legi *feminis.* Sic supra 574 :

> ...... sola conjux Ægei
> Medea reddit feminas dirum genus.

Et mox, 578 sq.

> Solamen unum matris amissæ fero,
> Odisse quod jam feminas omnes licet. Both.

576. *Illæ feroces.* Ejiciendum, ait Gruter. illud *ferocis*, quod irrepsit cuid. editioni. Est enim Amazonum, non Veneris, epitheton.

577. *Unicus gentis.* Male quidd. et MSS. et edd. *Unic. genitus.*

585. *Terræ repente.* Sic Gruter. ex omnibus, ut ait, suis, quum antea legeretur, *Terra repente :* tanquam simplex verbum non ferret casum eumdem quem compositum. — *Accidit.* Al. MSS. et edd. *cadit.*

588. *Alumna.* Perperam Ultraj. et Fern. *alumnis.*

591. *Cur dulce munus redd.* etc. In MSS. omnibus se ipsam alloquitur Phædra; indecore autem, ait Bothius, et Hippolyto et nutrice ad gravem Phædræ quæstionem ubmutescentibus; et secutus est Lipsium, et

Ultraj. cod. qui sic plane habet; et præterea fusius ipse explicat eur ita personas eolloeet. Nobis autem placuit vulgat. lect. recipere, quia non ejus est naturæ talis interrogatio, eui non possit indecore non responderi, et brevior insuper eadem illa esset responsio.

598. *Honesta.* Pro *honesta* Florentius habet *non ista.* Sed est ex vitio scriptionis.

599. *En incipe.* MSS. *age*, *incipe*, etc.

601. *Arbitrio.* MS. liber non malus, *arbitro* Commel.

604. *Vos testor omnes*, etc. Fernand. et uno quidem versu: « Vos testor omnes, cælites, hoc me nolle, quod volo. » Sed nemo nescit inseri interdum dimidiatos versiculos sententia poscente, nec sine graviorum vatum exemplo. Vid. Thyest. vs. 100, *sequor;* Phœniss. vs. 318. Scaliger, sequentem se meliorum codd. vett. fidem sic ait legere. . . volo, « me nolle. Hipp. Cupiens aliquid effari nequit? » Sed quinam isti libri fuerint, non dicit. Gronovius eum aliis ad eam sententiam inclinat, ut interruptum ab Hippolyto censeat Phædræ sermonem, et ab interprete aliquo adjecta verba, *me nolle.* Verum ejusmodi reticentia quid taceat, nemo facile divinaverit.

619. *Regna urbium.* MSS. 6377, 8026, 8031, 8028, 8033, 8260, 8032, 8261, 8030, 8262, 8037, 8025, *regna patris;* et sic Fernand. Isoard. Ascens. Avant. Henr. Petr. Seb. Gryph. Fabric. Commel. Gruter. Heins. Scriv. Farnab. Thys. Nostram nos recepimus lect. ex MSS. 8034, 8055, 8036, post Rapheleng. Gronov. Bip. Baden. Bothius. Idem ille, proponit, velut egregiam, hanc *tutari virum*, adscriptam a viro docto in margine codicis Vossian. et paulisper hæsitavimus an recipienda esset in textum.

621. *Cives patern.* etc. Alibi meus erat Heinsii, quum sic reposuit:

Cives paternæ sortis imperio rege.

622. *Serv. tege.* Ita duo Pall. Ita vetus Scholiast. abjecto *rege*, quod in quibusd. antiq. scriptis aut exensis invenitur.

628. *Pluton.* Ambigitur apud Commel. Gruter. num sic legatur, an *Pluto.*

633. *Ac tibi parentis*, etc. Heinsius malebat *hac*, subaudita pietate; sed in tali lectione melius abesset *ipse.*

632. *Merebor.* MSS. 8026, 8028, 8031, 8033, et al. *tuebor.*

635. *Sat. n. dixit?* Delrius, *dixi.* Sic Florent. et Ultraj. MSS. noster 8024, *sat. n. dici.*

642. *Intimas vorat*, etc. Placuit hunc multis locum refingere. Princeps liber: « torret. Intimis ferit ferus visceribus ignis morsus. » Medius versus, *percitus medullas*, prorsus abest. Tò *ferit* autem punctis subnotatum, et in margine *vorat.* Sane non belle ista, « per venas meat, et venis latens, » in tanta vieinitate. Ideo Grotius adscripserat, *membris latens.* Quid si expuncto versu isto sequamur Florentinum, legamusque: « Intimis sævit ferus visceribus ignis mersus, et venis latens. » Bothius:

« Intimis sævus vorat Visceribus iguis mersus, et venas latens. » Heins. conjiciebat *fibris*. Baden. legit *nervis* pro *venis*, vs. 643, quod minus placet, et autepoueremus τὸ *membris* Grotii, quamquam, etsi invenusta videatur, repetitionem servavimus. Nihil autem inter se discrepant, et a lectione hic recepta, nostri omnes MSS.

652. *Et ora flavus tenera tingebat rubor.* Excutiamus ante omnes eos qui pro *rubor* legunt *rigor.* MSS. plures *rubor.* Sic quoque Baden. et Bip. quos sequimur. Al. Gron. Bothius, *pudor*, minus ad extremum habitum spectans quam vellemus hoc loco. Heinsius legi vult *flavo*, scilicet Theseo flavo.

658. *Est genitor in te totus.* Vulgo, « ...decor, et genitor in te totus, etc. » quasi huc pertineret τὸ *refulget*, quum in Hippolyto magis quam Theseo, quo tempore Cretam olim appulerit, refulgere Phædra dicat incomptum decorem. Separanda igitur hæc, ueque adolescentis laudi propriæ admiscendus pater. *Et*, pro *est*, et contra, sæpe scripserunt oscitantes librarii. Both. — Pro *totus*, MSS. quid. et antiq. ed. *torvus.*

667. *Respersa labe nulla*, etc. Vett. edd. in his Fern. et sequiores nonnullæ, ut Delrii: *Respersa nulla labe*, numeris quidem, ait Both. τραγικωτέροις, sed sono insuaviore. Pessime Asceus. « R. nulla labe, intacta et innocens. » Sequente versu Fern. quoque perperam : *mittor.*

671. *Magn. regn. D.* Fern. et Caj. *O magne*, etc. Et efficax sane interjectio, ut minime reclamarim, si quis reponat : *miserere amantem.* HIPP. *O magne*, etc. Erratum passim in extremis vocabulorum syllabis, præsertim iis, quæ per compendia scriberentur.

673. *Ecquando.* Fern. ed. princ. *et quando... emittes.* Idem, *mittes.*

678. *Radiate, tantumne*, etc. Alia, quam vulgo erat, interpunctione, reddidisse auctori decus suum putat Gruterus; scil signum interrogandi immisit, ut fieret, « Tu nefas stirpis tuæ speculare? » Id est, *specularis.* Sed totum decus reddit auctori Florentinus, quem nos sequimur.

679. *Speculere.* Al. *speculare.*

682. *In me tona.* Fern. Mogunt. *Tu me tona.* Ut Virgil. Æneid. IX, 542 : « ... tonat ore deos Erebumque. » — *Me fuge.* Unus, inquit Gruterus, *in me fuge*, quod alicui forsan allubescet. Et, ad hanc spem, indignari serio Bothius.

687. *O scel. vinc. omn. femineum gen.* Heinsius malebat *scelere* femineo. Both. postponit : « O scelere vinc. omn. monstriferum genus », quem vid. et versum 688, uncinis includendum existimavit, tamquam spurium.

691. *Biformi.* Sic lib. bene mult. cum Delrio, pro *biformis*, quod alibi exhibetur.

694. *Fato dati.* Al. *dante*; al. *date.*

696. *Odium dolusque.* Fernand. *odium dolorque.* Profecto, non deterius.

702. *Amens agar.* Sic Ultraject. quoque et ed. Cai.—Ascens. Ald. Legit Fernand. *sequar.*

703. *Procul imp.* Basini codex apud Pontanum : *Pro impudicos.*

711. *Sanus furentem.* In Vet. *Sana fur.* Sic 8026, 8031, etc. e nostris MSS.

719. PH. *Deprensu culp. est. Anime, quid segn. st.* Vult legi Bothius: « NUT. Deprensa culp. est, anime! NUT. Quid segn. st. » Minus, ut nobis videtur, opportune. Vid. cæter. eumdem in Annotat.

720. *Ipsi.* Quid. et MSS. et ed. *ipsæ.* — *Impiam Venerem.* Heinsius conjicit, *impia Venere*, adducitque ex Herc. OEt. vs. 898:

Si te ipsa damnas, scelere te, misera, arguis.

Sed et alterum bene dicitur. BADEN.

727. *Mortis intentat metum.* Al. *intentans.* Non dedignanda lectio, quia plus tenoris inesset toti sententiæ, ut est scil. paulo nimis forsan abrupta; et hoc tamen vivido loquentis affectui bene convenit.

728. *Abit.* Ultraj. et vett. edd. *abit.* Recent. corrupto metro, *abiit.* Nos Both. sequuti sumus.

730. *Pignus tenemus sc.* Vult Heinsius hæc dici a famulis, qui, ubi conclamanti feminæ adsunt, arrepto gladio, exclamant:

Pignus tenemus sceleris.

Pergere dein nutricem iterum, jubereque aliud ut prius agant, defectam animo reginam attollant ac solentur. Cui autem bono? Nonne probabile est nutricem, quo meliorem injiciat fiduciam, ostendere quem teneat *pignus sceleris*; et præterea vs. 866, eumdem adhuc retinet Phædra gladium.

733. *Referte in urbem.* Sic Fernand. Dat Florent. *perferte.* Sic Both. Bad. Quod attinet ad sensum, vid. Not.

734. *Omnium adspectum.* Quod dedit, *omnium adspectus*, Florentino acceptum refert Bothius.

740. *Porrigit ignes.* Var. in *corrigit, porrigit.* Heins. « Vide ne verius sit Senecam scripsisse, *concipit ignes.* » Nonne melior lectio nobis recepta, præsertim quum *longos ignes* dicat?

758. *N. vult*, etc. Quidam putant versum hunc præponendum superiori, *Non vinces*, etc. sequentem vero, « Omnes per populos, etc. » Locant inter versum, 776, 777. Transpositio autem hæc, quam moliebatur Delrius, merito reprebensa est a Grutero. — *Nec.* Sic vulgo, et Bipont. Gronov. *Neu* dant Flor. Voss. Both. Bad.

764. *Prata novo vere*, etc. Vett. edd. verbis transpositis: *N. s. vere novo prata d.*

767. *Et noctem.* MSS. Commel. et edd. Fern. *sed noct.* quum scilicet τῷ *et* litera *s* adhæserit ex præcedente *dies.* Scribitur autem fere *set*, non *sed*, in libris. BOTH. — *Noctem.* Flor. *noctes.* Gronov. haud nolebat *præcipitant*, et proponit Both. infra textum.

768. *Languescunt folio lilia pallido.* Recte Gruterus non recipiendam censuit Lipsiani codicis lectionem, *folio ut lilia*, quæ a glossatore male feriato profecta est. BOTH.

774. *Confidat.* MS. *confidit.*

775. *Tempus te tacitum*, etc. Ita Flor. et Voss. Cæteri fere MSS. et vett. edd. *sed.* Gruterus legendum conjiciebat *se*, quia tempus seipsum subruit. — *Subruet.* MS. *subruit.*

784. *Montivagique Panes.* Sic e MSS. nostris, 8024, 8025, 8029, 8032, 8035, 8036, 8037, 8055, 8260, 8261, 8262, et edd. Fernand. Ægid. Maser. Philolog. Ascens. Commel. Gruter. Scriver. Farnab. Thys. Contra quos, MSS. 8026, 8028, 8030, 8033, 8034, et Avant. Gryph. Fabr. Raphel. et ex recc. Baden. Fere hæc, « Panes quæ Dryades montivagos petunt. » Non autem novum est, ut probe intellexit Gruterus, interspargi alterius generis versus. Hic versus videtur a glossa.

790. *Lumine.* Flor. *numine.*

804. *Tu licet asperos*, etc. Hæc et duos sequentes versiculos non esse Senecæ declarat Scaliger. Quibus autem de causis quod non liqueat, nos dolemus. Absunt enim hæc in nullo nostr. MSS. in nulla nostrarum edd. Idem ille cæterum aliquando conjecerat : « te licet asperos Pugnacesque deos viribus acribus Et vasti spatio vincere corporis. »

805. *Arceas.* Flor. *audeas.* Vid. Not.

807. *Jam.* Et MSS. et edd. alii, *jam.*

817. *Sine alite.* Flor. *sine ave.*

819. *Tepido.* Farn. *trepido*, non male.

819. *Afferent.* Sic legimus cum Florentino. Suasit Gronov. *auferent*, quod recep. Both. Legitur vulg. *afferes.* Vid. not.

820. *Prospice.* Flor. *perspice*, quod æque bonum est.

823. *Deform. sen. limina transeat.* De hac lectione Jos. Scaliger : « Quid hæc velint, viderint acutiores. Ego plane hic Tiresias sum. Clarissimi viri ac nunquam sine laude nominandi Justi Lipsii liber habet, *Def. sen. monstret imaginem.* Optime. » Debuit sane vox adeo decretoria scrupulum nobis injicere, et diu hæsitavimus. Sed tandem, quia nescimus originem tam planæ dissimilitudinis (et tamen magni hanc scientiam penderemus), placuit retinere vulgatam. Scilicet ex duodeviginti quos habemus, duo tantum MSS. 4695, 8029 ; et ex novem et decem edd. quatuor solum, Gron. Bip. Both. Bad. exhib. *def. sen. monstret imaginem.* Et notat Both. hanc lectionem quæ est Lips. et Flor. recte explicari a Gron. Hippolyt. apud Ovid. Metamorph. XV, 540 :

> Tum mihi, ne præsens augerem muneris hujus
> Invidiam, densas objecit Cynthia nubes ;
> Utque forem tutus, *possemque impune videri*,
> *Addidit ætatem, nec cognoscenda reliquit*
> *Ora mihi*, etc.

Non minus autem plane videmus quomodo hæc cum lectione *monstr. imagin.* connecti possint. Quis sustineat dicere, per hæc, « forma nobilis monstret imaginem senii, » indicari quæ sequuntur : « Ista tua venustas mutatur olim in fœditatem deformis senii. » Vel : « Inter hoc tuæ venu-

statis tempus, reputa et prospiee venturam senii deformitatem » ? Nec latina lingua, nec sententiarum ordo hæc admitti sinerent. Vid. cæter. notas. — Qnod est de *lumina*, scripto apud Fern. Cai. pro *limina*, freqnentissimus est error, et flocci faciendus.

825. *Ins. parat.* Al. *ins. apparat.*

826. *En scelera!* Legit Delrius, *et scelere*, vel etiam *sceleri*, plorante versu. Antea erat, *in scelere*, quod reduxit, volentibus suis, Gruterus. Lipsianus a mann priore, *in scelera;* a secunda, *en secla.* Circumeunt verum, quod est in Florentino : « En scelera! quærit crine, etc. » Gron.

828. *Omnis fraude feminea dolus.* Flor. *omni fraude;* forte, « instruitur omni fraude femineus dolus. »

629. *Regium in vultu decus.* Quidam codd. et MSS. omittunt *in.* Sic et Both.

831. *Ut ora juveni paria Pirithoo.* Et hic qnoque locus est, quem non sine gemitu relinquere cogimur, quamvis sit plane corruptus. Audi Delrium : « Ait ex Orco pallidum venisse Theseum, et in hoc Pirithoo dissimilem. Atqui id utrique commune, si Pirithous remeasset. Nunc nec remeavit : occisum enim a Cerbero tradunt omnes, solumque Ægei filium ab Alcide reductum. Et cur, quæso, *Pirithoo similem* Theseum dicat? Cur Pirithoum, æqualem Thesei, ejus comparatione, juvenem appellet? » Concludit ille legendum, *Hippolyto;* nam omnia Hippolyto convenire. Sed nullus omnino codex hanc offert lectionem : et quis sustineat sic codicum fidem adulterare? Proponit Gruterus, servato Pirithoi, *comiti*, h. e. ipsi Theseo, militi audacis proci, vs. 94; sed istud *comiti* librorum scripturæ dissimillimum. Vellet legi Bothius *perituro*, « quod mihi, ait, genuinum videtur, et rationes petit e commentariis, ubi vide, parum aptas, me judice, nec parce detortas. » Bad. vult legi, *juveni Pirithoi;* et intelligi, juveni qui erat tiro Pirithoi, et adstruit exempla; sed nt diximns, ambo erant ætate pares. Nos locum ægre deserimus, et, utut poterimus, explicabimus. Vide Notas. Cæterum duo sol. MSS. 8026, 8260, duo sol. edd. Fern. et Maser. *Pirithoi.* Cæter. omn. *Pirithoo.*

842 sq. *Pars una*, etc. *Sensus : malorum f.* Vide quid possit distinctio. In re minima ingentes hic tumultus ediderunt *mersus malorum.* Delr. « exstincto mihi sensus malorum finis Alcides fuit. » Hac sententia, malorum sensum Alcides mihi ademit. Gruter. « mansit exstincto mihi sensus malorum » ; finis Alcides fuit. Scaliger : « mansit exstincto mihi sensus malorum finis. » Qua distinctione nihil verius nobis videtur.

844. *Revulso Tartaro.* Florent. sic, quod recepimus post Both. et Baden. Cæteri omnes et MSS. et edd. *revulsum.*

852. *In limine ipso.* Delrius ex omnibus suis profert : « et limine in ipso mœsta. » Lugd. « limineque in ipso vasta. » Basil. « et limine ipso vasta : » denique nonnulli, « in limine ipso mœsto. » Hoc postremum posthac nobis antiquissimum erit, quippe Florentino probatum. Gron.

853. *Hospitia.* Grot. et Gronov. sua solum auctoritate, emendant *auspicia*, quod sit, *omina*, et sequitur Both.

854. *Tenet obstinatum.* Nimis abruptum, ait Gronov. Videtur aliquid deesse.

859. *Gravet.* Fern. *gravat*, quod non minus efficax, ait Both. et δραματικόν.

868. *Eheu.* Both. *heu, heu;* quia, ut ait, priorem syllabam brevem habet *Eheu*, ut hodie vel tirones sciunt. Et tamen scimus quoque longam esse, Virg. Ecl. II, 58; Ecl. III, 100. — *Sceptrum.* Id. Both. post Fern. et Crin. *sceptra.*

867. *Et te quidquid e vita fugat.* MSS. nonnulli, « et te quod quidem vita fugat. »

874. *Aures pudica conj. solas t.* Quid. *Aures pudicas*, etc.

880. PH. *Quod vivo.* TH. *Lacr.* etc. MSS. nonnulli, seq. Commel. « PH. Quod vivo. Lacr. non te nost. movent? TH. Mors opt. etc. »

881. *Mors.* Melior videtur Heinsio *sors.* — *Lacrimandum suis.* Mire variant MSS. nec quisquam fovet scripturam vulgatam. Est in uno, « perire lacrimantibus suis; » in altero, « perire lacrimaudo suis; » in cæteris, « perire lacrimandum suis; » quod nobis recipere cum pluribus placuit.

832. *Anus.* Non dubitat Bothius, quin depravatum sit τὸ *anus* et reponendum *opus;* sic *o* et *a* literas interdum misceri; *onus* autem et *opus* similiaque sæpius confundi propter magnam *n* et *p* literarum similitudinem. Sed cui bono? et de hac locut. vid. Not.

883. *Altrixque.* Heinsius conjicit, *attrita*, quod socco quam cothurno dignius est.

892. *Vim tamen corpus tul.* Minus ita decore loqui Phædram putat Gruterus. Itaque malit, « vim tantum corpus tulit. » Sed vero spondeum vix reperiat illo loco versus.

893. *Eluet.* Idem Gruter. « MSS. *elavet:* non fere male; ab *elavere*, tertia conjugatione. »

899. *Patriis sig.* Pro *parvis* sic reposuimus, contra omnium codd. auctoritatem; sed propter felicissimam Heinsii correct. locum similem citat Bad. Ovidii, de Theseo per Ægeum agnito, Met. VII, 422:

> Quum pater in capulo gladii cognovit eburno
> Signa sui generis.

Similiter peccatum erat supra, vs. 23.

900. *Gentis Actææ.* Quidam, *Atthææ;* sed parum refert. Flor. *generis Actæi;* sequitur Both.

909. *Est iste prorsus.* Nos sic cum solo Both. contra vulgat. *est prorsus iste*, quod legi metrorum repugnat.

915. *Prisca et antiqua appetens.* Ne bis idem dicatur, Wakefield. Silv.

Crit. I, pag. 77, malit: *scripta et antiqua*, citans Euripid. Hipp. v. 954, ubi Theseus ad filium:

Βάκχευε, πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς.

Sed isti tautologiæ, si tautologia est, plures indulsere scriptores. Vide Ruhnken. ad Vell. I, xvi, 3. BADEN.

917. *Affatus graves.* Vulg. *affectu grave.* Sic et MSS. et edd. plures. Florent. *affectus graves*, pro quibus facile, nec ullo modo contorta scriptura, legimus cum Badenio, ex conject. Gronov. *affatus graves.* Idem Gronovius proponit *adspectus*, *effatus*: minus feliciter.

919. *Turpibus.* Monet Fabric. in quibusd. inepte legi, *turbidis.*

937. *Post te furentes.* Hic Both. « Nescio an satis latine dicatur, *sceleribus pœnas dare*, pro, *scelerum.* Augent suspicionem non belle composita *frementes* et *furentes*, ubi alterum horum sufficiebat. Malim itaque

Gelidi frementes liqueris Boreæ minas
Post te, furentem sceleribus: pœnas dabis.

Sic *ira furit*, Œd. 957, *bello*, Phœn. 484, etc. Verbo *furente* τὸ *s* in sequente syllaba se agglutinasse puto. »

941. *Scis unde redeam.* MSS. addunt interrogationis notam, *scis unde redeam?*

943. *Trina.* Jac. Gronov. indicat Florent. legere *terna*, ut Herc. Fur. 796; sic et Mogunt.

947. *Iratos patri.* Sic Florent. et plurimi. MSS. 6377, et alii; edd. Fernand. Ægid. Maser. et quid. al. *irato patre;* improbante Gronovio, qui lectionem Florent. recipit, et nos post illum.

952. *Regis inferni m.* Non rejecerim, ait Badenius, Heinsii *legis infernæ minas*, ut hæc ad Æacum ac cæteros judices infernos referantur.

958. *Fluct. q. ab ipso*, etc. Notat Gruterus MSS. unum (quem nos non habemus), legere *fl. q. ab omni;* quod *omni*, ait, aliquem titillare posset, nescio an et me. Sed hoc Bothio videtur e glossematibus irrepsisse. Scribendum censet, *ab imo Oc.* Wakefield ad Lucret. II, 919. — *Tumidus.* E nostr. omnib. codd. duo solum, 8031, 8037, et ex edd. duæ tantum, Ascens. et Seb. Gryph. *tumidos.*

959. *Deum.* Gronovius conjectabat *rerum.* Sed vulgatam defendunt plures, lectione scilicet Gronov. jugulari versum.

964. *Cur tibi tanta est.* Florent. teste Jac. Gronovio, *cur tanta tibi e.* sub ictu posita voce graviore tanta, quod efficacius. BOTH.

967 seq. Ex hoc versu, ad vs. 976 inclus. Both. discrepat a plurim. pro contextu et sect. versuum, quem vide.

971. *Et cur idem.* Cæter. omnes, *sed cur idem.* Placuit sequi potius Both. qui dicit: « Vulgo, *sed cur id.* etc. sententia refragante, siquidem in eo reprehenditur Olympi ille rector, quod idem astrorum cursus regat, hominesque prorsus negligat. Ergo simplex conjunctio requiritur,

8 3

neque *sed* istud aliunde ortum puto, quam ex continua scriptura, in qua τὸ *s* in *annus* quum forte geminatum esset, *aunusseteur* habitum est a librariis pro *annus sed cur*, idque eo facilius, quod *set*, non *sed* scribere solebant. »

975. *Securus abes*. MSS. 6377, 8026, 831, 8028, 8033, etc. *Sec. ades*; quod merito displicuit Lipsio: ille subjicit *audis*; contra legem versus. Rectius Florent. *abes*; de cujus vocis sensu vide Notas.

984. *Perversa tulit*. Hug. Grotius legebat, *perversa dolet*.

985. *Recti*. Al. volunt *rectis*.

990. *Rigatque mœstis lugubrem vultum genis*. MSS. edit. fere omnes, except. Scriver. Farnab. Gronov. Bip. Both. Baden « Restatque mœstus lugubrem vultum gerens. » Et hic Gronov. « Florentin. et Vossianus: *Rigatque mœstis lug. vult. genis*. Quam lectionem quum res clamet esse veriorem, et repererint in suis Delrius et Gruterus alteram (et hic posterior Morboniam ablegat), turbæ tamen adhuc et numero pravorum codicum datum, ut exsularet. Nos vero lubentes eam recepimus. »

992. *Nefandos casus*. Delrius et Gruterus favent τῷ *nefandi c.* quod Gruterus testatur invenisse se in novem suis. Florent. « Cur me ad nefandum nuntium casus, etc. » Neutrum tamen melius putet vulgata Gronov. Durum videtur loquendi genus, *vocari ad nuntium*, pro, vocari ad nuntiandum, vel ad nuntium perferendum.

994. *Gero*. Duo codices *fero*, quod esse correctoris pronuntiat Badenius.

995. *Luctificam*. Florent. et Mogunt. *luctifico*.

996. *Aggravet*. Fern. et Caiet. *aggravat*.

997. *Fl. leto*. Non abhorrent alii ab *flebili voto*. Sed quo minus id hic locum habeat, obstat tota fabula. Aderat nuntius Hippolyto, ideoque nihil ei constare poterat de voto paterno. Præterea dubito an dicatur latine, « occumbere flebili voto. » Grut.

1000. *Infesto gradu*. Heinsius malebat *infenso*, quod sit, *irato*. Sed de indignatione Hippolyti mox sequitur.

1002. *Celsos sonipedes*. Heinsio legendum videtur *celso sonip.*

1007. *Quum subito*. MSS. quid. Philolog. Ascens. etc. *tum subito*; minus apte, propter, *tum*, in vs. 1004. — *Tumuit*. MSS. 8026, 8031, 8034, 8260, 8032, 8261, 8030, 8037, *tonuit*; nulla autem editione nostra sic legente.

1012. *Nec tam furens Ionius exsurgit sinus*. Cæteri omnes omnino et MSS. et edd. « Nec t. furenti pontus exs. sinu. » Nos lectionem nostram, quæ Jac. Gronov. conjectura erat, sicut fecit Bothius, in textum recepimus, nimis audacter forsan: sed quam ingeniosis argumentis fidem faciat Both. velis judicare: primo, ex Gronovio memorat *Ionium* cum Leucate convenire. Tum, post speciale *Siculorum fretorum* illatum, non placere generale nomen ponti, et statim sequi, 1015, *Consurg. inq. pontus*. Denique animum labantem impulit, quod in MSS. *pontus*, *Ionius*, vix discrepent.

1014. *Leucaten.* Plures, *Leucatem.* Nos græcam appellationem ex Virg. Æneid. VIII, 677, post Florent. et Baden. recepimus.

1015. *Consurgit.* Al. *tum surgit*; al. *quum surgit.*

1016. *In terras.* Sic ex Florent. et Mogunt. cod. Both. et Baden. Vulg. *in terrum*, frequentiore litera mugiente.

1020. *Quæ novum tellus caput ost.* etc. Hic Gruterus: « Si licuisset esse licentioso, isthæc attribuissem Theseo; nunc sequutus Delrium, et MSS. aliquot nostros, animavi interrogatione. Haud tamen etiam mutavi *ostendit* in *ostendet*, contra libros, quod idem sensus eliceretur e priori. »

1022. *Latuere rupes, numen Epid. D.* Alii, « Latuere nube nomen, etc. » vel, « Latuere rupes nomine »; vel, » undæ numine Epid. D. » et pro variis lectt. varii certant codd. MSS. et edd. Nos recepimus vulgatiorem, de qua cf. ad Nott.

1027. *Rorat exp. sale. Spumat*, etc. Dan. Heinsius contendit Senecæ h. l. veram lectionem esse:

> Summum cacumen rorat expulso salo
> Spumas: vomitque vicibus alternis aquas.

Gronov. conjicit: « rorat expulso sale spumans. » Pro his lection. et ea quam accepimus varii pugnant codd. MSS. et edd.

1033. *In terras.* Cod. Moguntinus, *in terra*, i. e. in terram. Et hoc, *terram*, accipit Both. ut unum uni opponatur.

1036. *Cærulea.* Septem MSS. et Schol. Pall. item Ultraj. *Herculea.* Cujus lectionis meminerunt Bernard. et Ascens. Et hic quidem non male explicat, « tam alta ut Herculea. » Herc. Fur. 70. « Satis nove, inquit Gruterus, et tamen *cærulea* cur hic minus feram, est, quod paullo post sequatur: *cærula insign.* vs. 1041.

1038. *Cornibus var. col.* Dubitat Gronovius cur non legendum sit aliter, et cur sit hoc satis aptum, notatque alio vocare optimas membranas, in quibus, « orbibus varius color. » Et Both. declarat, pro sua parte, legendum, *oribus*, quam quomodo struat lectionem, vide apud eum. Nos vulgatam retinemus, contra quam nulli omnino pugnant ex MSS. nostris. Cf. cæter. ad Not.

1040. *Hinc flamm. vomunt Oc.* Gronovius et al. legunt, « hinc flamm vomit; oculi hinc relucent. » Nos lectionem Etrusci cum Both. Baden. recipimus.

1041. *Cærul. insignes nota.* Item al. *insignis*, quod referunt ad τὸ *cervix.* « Probandum autem, ait Bothius, ut *insignes* legamus, pro *insignis*, oculosque cæruleos dici existimemus potius quam cæruleam cervicem, non quod talis abhorreat a bellua marina, sed quia cærulei oculi ad rem faciunt. »

1045. *Fuco.* Sic nos cum Lipsio, Gronov. Both. Baden. etc. contra scripturam pejorum librorum. Sic et Florentinus. *Succo* fatuum pro-

nuntiat Gronov. et perpetuum, pro *fuco*, plebeiorum codicum mendum. *Sulco*, quod Grutero perplacuit, arcet verbum *spargitur*.

1049. *Pistrix*. Avantius, *Pristis*; sic H. Petr. Seb. Gryph. et al. — *Sorbet ac reddit*. Gronov. et nonnull. al. « sorbet aut reddit. » Quod non legendum, sed *ac*, propterea existimamus, quod hæc tantum non eodem simul fiunt tempore, ut vix distinguas. — *Ac reddit*. Both. Baden. *frangit*, quod nos paulisper commovit fecitque hæsitantes. Et dicit Both. non pistricis proprium esse, reddere quod sorbuit. Argute nimis; nec illud soli Charybdi convenit. Unus ex nost. MSS. scilicet 8034, *frangit*. Nos majorem sequimur numerum.

1053. *Diffugit*. Notat Poutau. alicubi legi *discessit*, et quidem multo minus vivide.

1057. *Ad Argos*. Nonnulli codd. *agros*, quod mendo librariorum obrepsit. Vide Not.

1060. *Præsentans*. Cruserian. *præcipitans*.

1061. *Prolusit*. Alii, *prælusit*; minus recte, ait Gruterus, propter præcedens *præsentans*, quod ei sonum facit inamœniorem. Et alioqui, prius illud servant MSS. fere omnes, excepto quod nonnulli, *proluxit*.

1063. *Et torva*. Sic ex MS. recentiore Palatino, Gronov. Both. Bad. et al. Lipsii liber *Torvaque*, contra metri legem. Et vult idem Lips. legi *Torvumque*, ut ad monstrum referatur.

1070. *Quacumque rabidos pavidus evex. fur*. Gronov. et al. « quacumq. pavidos rapidus e. f. » et certe, facillima tali lectioni utrimque ansa effertur. Sequuti sumus Bothium et Baden. quum præsertim in proximis legatur, 1069, equi *rapuere* currum.

1080. *Nam torvo obvius*. Solus editorum Bothius, ex Florent. *Nam toto obv*. et jam antea probaverat Jac. Gronov. in schedis Dietz. « Nam *torvo* (quod vulgati codd. habent), *ore* jam occurrerat antea. »

1085. *Præc. in ora fusus implic. cad*. Alii, « in lora præceps fusus. » Major pars codic. « Præc. in ora gnatus. » At optimus, « Præceps in ora fusus. » Quod verum esse adseverare audeo, ait Gronovius, et *gnatus* interposuerunt, qui metuebant ne de alio verba intelligerentur.

1096. *Multo vulnere*. Lectionem hanc ut sequeretur a se impetrare non potuit Bothius, et frigere eam ait, et damnat pluribus e causis; proponit ergo, *multo pulvere*; re, ut nobis videtur, non poscente.

1099. *Stipite erecto*. Variant admodum codices, *ejecto*, *injecta*, *exacto*, præferentes. Heinsius tentat *ingesto*. Nos vulgatam retinuimus, ut veram. Vide Not.

1103. *Virgulta. Acutis asp*. etc. Heinsius jungit, legens : « virgulta, et acutis, etc. »

1105. *Errat per agros*, etc. Fere omnes, *errant*. Placet multo magis singularis numerus, quem ex Grutero recepimus. Vide insup. Not.

1118. *Haud quisquam honeste flere*, etc. Alii, inversis vocibus, « haud fl. quisqu. honeste. » Sed tamen, si credendum Fabricio, lectio vulgata est ab Avantio, fuitque prius : « haud flere honeste quisque quod, etc »

Quisque, pro, *quisquam*. Et vero sic quoque Scholiastes. MSS. tamen octo adhærent scripturæ primæ. Gruter. — Bothius declarat hunc versum male dari nuntio, quem de precibus Thesei nihil audivisse tota ipsius narratio ostendit, et tribuit Choro. Sed satis fuit nuntio, ut talia pronuntiaret, audivisse Thesea dicentem, « occidere vol. noxium : amiss. fl. « Vulgat. itaque nos retinuimus.

1121. *Et si odia servas*, etc. Male hæc dividi adseverat id. Both. Vide nostras Notas.

1124. *Minorque*. Sic Florent. et cod. 6377, 8033, etc. Primus immutavit Fabricius, in *minus*, quod dat nostrorum MSS. 4695.

1125. *Leviusque*. MSS. 8028, *levisque*, errore manifesto.

1129. *Euros excip. Excip. Notos*. Sic plurimi MSS. et edd. Sed MS. 6377, dat, « Duros sedibus excip. Notos. » MSS. 8028, « Duros excip. Notos, etc. » Lipsius suppleri versum e libro jussit, et sic Mogunt.

1136. *Metuens cœlo Jupiter alto*. Heinsius optabat potius, « montium cælo vicina. » Sed renuit metrum. Baden.

1140. *Circa regna tonat*. Hæc uncinis apud Both. inclusa ne comparere quidem dicuntur in plerisque omnibus MSS. et edd. eaque vult id. Both. inutilitate convinci, ut vid. licet. Sed hæc pluribus reducenda videntur, Pontano præsertim; quia, ut ait, non tantum manuscripti, quos summa cum diligentia ad libros vulgatos comparavit olim Hieronymus Commelinus, sed et alii quoque idem proferunt. Grot. scribit :

Plebeia domus. Circa reges
Et regna tonat. Volat ambiguis, *etc.*

1142. *Mobilis alis hora*. Heinsius, quum nihil hic sibi videatur ad brevitatem temporis spectare, legit : « Mobilis alis hera. » Perquam ingeniose, sed absque necessitate, ni fallimur. Idem ille proponit etiam, *aura*. Vide Not.

1145. *Nocte relicta*. MSS. nonnulli, *morte* ; quod est glossema.

1149. *Actææ*. Sic MSS. vetustiores. Alii, recentiores, *Atthææ*.

1164. *O dire Thes*. Plur. codd. et MSS. *o dure Thes*. — *O nunquam tuis*. Sic omnes nost. MSS. quatuordecim, except. 8033, qui, *ad tuos*. Sic et plurimæ edd. except. Commel. Scriver. Gronov. Bipont. et Baden. Pugnant ergo novem contra quinque, et hos quidem recentiores. Debuimus ergo retinere *tuis*.

1169. *Sinis*. Quod variatur de *Scinis*, *Sinnis*, vide ad Not.

1178. *Animaque Phædram*. « Liber, ait Lipsius, *Animaque me Fredam pariter*. Erno, et scio scriptum fuisse, *Animaque Fædram pariter*. » Perquam ingeniose, nec sine dubio recipiendum.

1188. *Sedamen*. Al. quid. *solamen*. Invertit duorum versuum ordinem Avantius, et post eum Both. subtiliori ex ratione.

1194. *Vana punisti*. Florent. ut Delriani, *Vana punisti*. Sufficit paullo ante dictum, *falsa memoravi*.

1195. *Crimine incesto.* Vulgatæ lectt. *crim. incestæ;* prætulimus hanc quam sumpsit e Florent. Both.

1196. *Pudicus, insons, recipe j.* etc. Aliter alii distinguunt, et, *pudicus, insons*, jungunt cum præcedentibus. Melius visum est alloquentem uti epithetis, per quæ Hippolytum designet. Cæterum, totus hic locus parum nobis placet; et ultro arrideremus Bothio, dum dicit potuisse alioqui legi : « Castus crimine incestæ jacet, sontis pudicus. » Sed vetat librorum consensus unanimis.

1197. *Mucrone.* Quidam daudi casu accipiunt. Vide Not. — *Justo patet.* Ita nostræ membranæ, ait Gruterus, et præponderat illi *justo pete*, quod substituerunt alii, et quod veretur Lipsius, ut justius sit. Denique, Gronovius conjecerat : « Mucrone pectus impium justo patens, cruore sancto solvat inf. v. »

1200. *Disce ex noverca.* Florent. « Disce a noverca; » quod recepit Bothius. — *Condere Acher. pl.* Heinsius Thesei esse censet, Phædram morientem diris persequuti. Sed vereor ut tales diræ Senecam deceant. Baden.

1201. *Pallidi f.* Proponit Both. *squallidi*, nec recipit tamen in textum. Equidem confitebimur sæpius hanc vocem usurpari, ubi fit mentio de inferis, et inferorum incolis. Ovid. Metamorph. I, 374; Æneid. VI, 299; Noster, Herc. Fur. 701, 765; Agamemn. 759, et Herc. Œt. 1004.

1205. *Æquorum abscondit sin.* Vult legi Raphel. *æquoris condit;* Scaliger, *æquor abscondit*, uterque pro, *æquoris abscondat*, quod versus respuit, et quod reperitur in vetustioribus.

1106. *Rapite.* Malit Both. *capite*, quia *rapite* mox præcessit, et quia insuper legitur infra, 1238 : « *Recipe* me, o dirum Chaos. »

1208. *Morte dignum facinus ausus.* Sic nostr. omnes omnino MSS. et ex septem decemque editt. quatuor tantum, Fabric. Gronov. Bipont. Both. « Morte facili h. dignus haud sum, » (Both. « morte facile »), et dicunt se scribere cum Etrusco, quia nimis hoc leve, et pluris sibi litem Theseus æstimat. Non potuimus ita dissentire a MSS. et edd. cæteris. Withefius non dubitat scribere, « Morte quali dignus heu sum. » — *Nova natum nece.* Editur olim *vana*, sine mente. Baden.

1210. *In verum scelus.* Indignatur Gruterus esse qui pro egregio habeant, quod in suis codd. invenere hanc lectionem : vocem enim illam, *scelus*, hic ferri non debere, nisi auferatur omnis loci hujus elegantia. Florentinum tamen et nos, et multi alii, sic legendo sequimur.

1213. *In hoc redimus?* Commel. legit in suis, *in hoc tremidus*, et locum valde sibi suspectum declarat. Delrio placet Venet. et Herbip. lectio, *in cælum;* si tamen initio versus, *ad* pro *in*, scribatur. Cæterorum interrogationem, « in hoc redimus ? . . et gen. necem ? » nos eum Bothio tollimus; vide Notas.

1222. *Irroga.* Quidam, *irrogo*, ait Commelinus.

1224. *Remissum.* Edd. Paris. anni 1514, ex quibusd. MSS. *remissa*, quod obscuram facit orationem.

1225. *Mittarve.* Sic nos cum aliis bene multis et Florentin. non *mittarque*, a quibusdam receptum. Est enim aliud genus pœnæ, quam præcedens designat versus.

1231. *Seni Æolio.* Sic etiam Florent. pro *senis Æolii*, quorumdam, melius, quum aures lædat repetitus sonus.

1232. *Alluens.* Jactat Schroderus Trajectini codicis lectionem, *abluens*, quam jure damnant Burmann. et Both. Cæterum *abluens*, exstat etiam in Ald. et Lugd.

1237. *Nusquam resistens.* Multi codices *nunquam.* Sed vulgata lectio potior est, et vividior.

1241. *Casti venimus.* Vult Raphel. *Casti redimus.*

1248. *Pondusque.* Heinsius malebat *truncosque.* Vide Notas.

1258 seq. *Fortis hic dextræ locus; Hic læva*, etc. Sane rariores sic, sed et emendatiores, ut Etruscus et Vossianorum optimus, quo solo utimur. Itaque Pall. ad unum omnes, cum suo, « fortis hic humeri locus, Hic dextra, » nihil nos exorant. Gronov.

1265 seq. *Hoc quid est forma carens*, etc. Sic nos et plures alii, per interrogationem, cum Florent.

1266. *Abruptum.* Dubitat Delrius, num melius codd. antiqui *abruptum* habeant. Gruter. conjicit *ambesum*, quod sane videtur elegantius: tamen, *abruptum*, et Vossianus et princeps codicum. Walkfieldus ad Lucret. V, 505, scribit *obruptum.*

1268. *Hæcne.* Commel. notat MSS. quosdam legentes, *hæc me.* Vult Fabricius legi, *hæc*, omissa enclitica, solito antiquis more.

1273. *En.* Vett. codd. *et.* — *Suprema dona.* Sic Philol. Avant. Henr. Petr. Commelin. Raphel. Scriver. Farnab. Thys. Gronov. Bip. Both. Bad. ex MSS. 4695, 6377, 8026, 8034, 8055, 8260. Sed Fern. Isoard. Maser. Asceus. Gryph. Fabr. Grut. et decem reliqui nostri codices, *vota*, quod damnat Gronov. Vide Not.

1279. *Anquirite.* Ita ex auctoritate MS. reposuimus, quum male antea, *acquirite.* Comm.



OEDIPUS.

DRAMATIS PERSONAE.

OEDIPUS.
JOCASTA.
CREON.
TIRESIAS.
CHORUS THEBANORUM.
MANTO.
SENEX.
PHORBAS.
NUNTIUS.

ARGUMENTUM.

Regnante Thebis OEdipo, sævissima civitatem invasit pestilentia. Mittitur Creon, Jocastæ frater, Delphicum Apollinis oraculum consulturus, quæ sint adhibenda tantæ cladi remedia. Quum autem respondisset deus non prius finem pesti futuram, quam nex Laii exsilio interfectoris fuerit expiata, quærit OEdipus a Tiresia vate, ut per divinationem tandem exploret, quis Laium occiderit. Tiresias igitur, Manto filia cæcitatem suam adjuvante, postquam frustra extispicia aggressus est, ad magicas artes conversus, Laii manes evocat, qui OEdipum ipsum interfectorem declarant. Tum, re patefacta, ubi OEdipus manus patri suo intulisse et conjugio suæ matris frui se intelligit; quod quidem illi duplex scelus fata indixerant, concepta in seipsum rabie, sibi effodit oculos, et in exsilium fugit. Jocasta autem se confodit gladio. (Vide de unaquaque persona, quæ passim notavimus, prout cujusque nomen in dramate occurrit legentibus. Sic de Jocasta, vs. 81; de Creonte, vs. 203; de Tiresia, vs. 289, etc.)

L. ANNÆI SENECÆ

ŒDIPUS.*

ACTUS PRIMUS.

OEDIPUS, ET DEINDE JOCASTA.

OED. JAM nocte Titan dubius expulsa dedit,

* *OEdipus.* Multi tum inter Veteres, tum inter Recentiores, fabulas scripserunt eodem nomine et argumento signatas, quod maxime tragicum et movendis affectibus aptissimum pronuntiavere peritissimi talium rerum æstimatores. OEdipum tragœdiam composuerunt apud Græcos Æschylus, Sophocles, Euripides, Lycophron, Philocles Atheniensis, Xenocles (qui hac fabula, teste Æliano, vicit Euripidem), et Diogenes Cynicus; Suidas vero illam Diogeni OEnomao adscribit. Quæ est Sophoclis tragœdia, Οἰδίπους τύραννος, hanc ab omni parte perfectam et absolutam esse inter omnes prope convenit. Asconius tradit Julium Cæsarem latinam quamdam tragœdiam OEdipi nomine inscripsisse. Porro Noster hic multa ex Sophoclis OEdipo tyranno mutuatus est, nonnulla etiam fortassis ex Silanionis Jocasta : etenim in ea tragœdia Jocastæ mors, ut in Seneca, repræsentabatur, teste Plutarcho. Ex Recentioribus optimam ejusdem argumenti tragœdiam nondum viginti annos natus composuit nostras VOLTAIRE, omni laude dignam, nisi minus decentem in tanta rerum gravitate amorem invitus atque sciens induxisset, Jocastæ scilicet et Philoctetæ. Multa quoque in hoc Senecæ OEdipo eluceut, sed quæ sæpius, ut in cæteris ejusdem operibus, turgida et ampullata oratione corrumpuntur. Cæterum de ea tragœdia fusius loquitur D. Heinsius, in sua Dissert. de Tragœd.

Sc. 1. OEdipus de pestilentiæ sævitia conqueritur.

1. *Dubius*, est, qui vix apparet; et ita primam lucem suam emittit, ut dubium intuentibus videatur, an ortus sit. Nondum enim sol plane apparuit, ut probant verba infra posita, *prospiciet*, *ostendet*. Sic eodem omnino sensu, « fulgor dubius, » Herc. Fur. vers. 670, ubi vid. not. « lux dubia, » Hipp. v. 41 : « premiturque dubius nocte vicina dies, » Troad. vs. 1142.

Et nube mœstus squallida exoritur jubar,
Lumenque flamma triste luctifica gerens
Prospiciet avida peste solatas domos,
Stragemque, quam nox fecit, ostendet dies.
Quisquamne regno gaudet? o fallax bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!
Ut alta ventos semper excipiunt juga;
Rupemque saxis vasta dirimentem freta,
Quamvis quieti, verberant fluctus maris:
Imperia sic excelsa Fortunæ objacent.
Quam bene parentis sceptra Polybi fugeram,

2. *Mœstus jubar*. I. e. secundum jubar. Sic permutata ratione, Noster in Hercule OEteo, vs. 723-4: « Et forte nulla nube *respersus jubar* Laxabat ardens fervidum *Titan* diem. » — *Mœstus* dicitur, quia non solum propter orientem primum solem, dubium est jubar; sed etiam pallidum et quasi mœstum, prætenta nube.

3. *Gerens*, refer ad *Titan*, et construe: « et gerens lumen triste flamma luctifica. » *Luctifica*, vide quid de adjectivis ejusmodi notaverimus in Hippolyto, vs. 170.

4. *Avida*. Quæ in multos insatiabilis furit. Sic Senec. Quæst. Nat. lib. VI, cap. 1: « Hoc malum (scilicet terræ motus) latissime latet, inevitabile, *avidum*. » — *Solatas*. Desolatas, viduatas, destitutas incolis. Farn.

5. *Stragem*. Cadavera eorum quos hac nocte stravit pestis.

6. *O fallax bonum*. Loquitur de regno, de sceptro.

7. *Quantum malorum fronte quam blanda teg*. Duplex fit exclamatio: quantum malorum! et quam blanda fronte mala tegis! De regni falsa felicitate jam verba fecit Noster, Thyest. vs. 414, ubi retulimus unam nostratis *Corneille* imitationem. Vid. vol. I, p. 256.

8. *Ut alta ventos*, etc. Sententia alibi expressa a Nostro Agamemn. vs. 96; et supra Hippolyt. 1129; ubi vide. Adde insuper Herodot. lib. VII, cap. 10: « Ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα ὡς κεραυνοῖ ὁ θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει; ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ, καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτα ἀποσκήπτει τὰ βέλεα; φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. »

10. *Quieti*. Refer ad *maris*.

11. *Fortunæ objacent*. Fortunæ exposita, obnoxia sunt.

12. *Quam bene*, quam feliciter. — *Parentis Polybi*. Sic enim putabat. Scilicet OEdipus infans, Laii patris jussu feris expositus, inventus erat a pastore arbori appensus, pedibus transfixis, unde postea illi nomen *OEdipus* fuit (ex οἰδεῖν *tumere*, et ποῦς *pes*), et delatus ad Polybum, regem Corinthi. Quum au-

Curis solutus, exsul, intrepidus, vagans!
Cælum Deosque testor, in regnum incidi.
Infanda timeo, ne mea genitor manu
Perimatur: hoc me Delphicæ laurus monent,
Aliudque nobis majus indicunt scelus.
Est majus aliquod patre mactato nefas?
Pro, misera pietas! eloqui fatum pudet.
Thalamos parentis Phœbus et diros toros

tem hic nullos haberet liberos, adoptavit puerum et solii hæreditati destinavit. OEdipus igitur et habitus est ab omnibus Polybii filius, et hoc ipse ita credidit, ut, quum ab oraculo accepisset se patris cæde manus suas cruentaturum et ducturum matrem in conjugium, quo certius imminenti fato se subduceret, profugit statim Corintho. Videtur in hoc loco sic loqui OEdipus tanquam regni incommoda fugerit, non autem interficiendi patris et ducendæ matris periculum; sed infra, vs. 22, cur Corintho excesserit, aperte declarat.

13. *Curis solutus*, etc. Sic connectunt nonnulli: « Exsul quidem, sed solutus curis; vagans, sed intrepidus, » sine ulla necessitate.

14. *Incidi.* Fors, non voluntas mea, me regem fecit. Sic ait, qui Senecæ ob oculos fuit, Sophocles, OEdip. Col. vs. 273, in ejusdem OEdipodis persona: Νῦν δ' οὐδὲν εἰδὼς ἱκόμην ἵν' ἱκόμην. Cæterum verbo *incidere* contrarium est *venire*. Cicero, epist. ad Div. II, 7: « quod in id reipublicæ tempus non *incideris*, sed veneris: judicio enim tuo, non *casu* in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum. » Seneca de Provid. cap. v: « Non, ut putamus, *incidunt* cuncta, sed veniunt. » Baden.

15. *Infanda.* Hæc cum superioribus parum connexa videntur. — *Ne mea genitor manu*, etc. Vid. Argumentum fabulæ, pag. 126; et not. ad vers. 12.

16. *Delphicæ laurus*, sive lauri, i. e. Delphicum oraculum, quod consuluerat. *Laurus* autem pro oraculo usurpatur, quod laurus Apollini sacra haberetur.

18. *Est majus aliquod*, etc. Nonnulli hic diverbium faciunt, et Jocastam OEdipo interfantem inducunt; inutile prorsus et parum verisimile, quum OEdipus nihil in octoginta primis versibus loquatur, quod referatur ad Jocastam. Declamatio de peste, jam per se longior, multo pravior fiat, si intersit Jocasta. Jure censet Gronovius, « magnam partem hujus principii Senecam a persona OEdipi sola pronuntiari voluisse, antequam Jocasta in proscenium veniret. » Obloquitur sibi OEdipus, ut et infra, vs. 34 et 35.

19. *Pietas.* Pietatem miseram dicit, quia, sive nex patris, sive incesti matris thalami spectentur, habet quæ doleat horreatque.

20. *Thalam. par.* Vid. sup. v. 12.

Nato minatur, impia incestos face.
Hic me paternis expulit regnis timor.
Non ego penates profugus excessi meos.
Parum ipse fidens mihimet, in tuto tua,
Natura, posui jura : quum magna horreas,
Quæ posse fieri non putes, metuas tamen.
Cuncta expavesco, meque non credo mihi.
Jamjam aliquid in nos fata moliri parant.
Nam quid rear, quod ista Cadmeæ lues
Infesta genti, strage tam late edita
Mihi parcit uni? cui reservamur malo?
Inter ruinas urbis, et semper novis
Deflenda lacrimis funera, ac populi struem,
Incolumis adsto : scilicet Phœbi reus
Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubre? fecimus cælum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fovet

21. *Impia incestos face.* Minatur filio incestos cum matre hymenæos, quibus illucebit fax impia.

23. *Non ego penates*, etc. Non ego propter supplicii metum, aut alicujus jussu, profugus excessi Corintho, sed ipse mihimet parum fidens, et metuens ne duplex scelus patrarem, quod indixerat mihi oraculum, procul a matre et genitore exsulavi.

24. *In tuto*, etc. Hoc effeci, ne possem unquam naturæ jura violare.

25. *Quum magna horreas.* Dictum generaliter : quicumque magna horret, etiamsi ea fieri posse non putet, metuat tamen necesse est.

28. *Jamjam aliquid.* Jam fata aliquid mihi funestum et peste sævius parant, quum mihi soli, in cæterorum strage, parcant.

29. *Cadmeæ genti.* I. e. Thebanæ, a Cadmo conditore.

33. *Populi struem.* Civium concervata corpora.

34. *Incol. adsto.* Adsum testis et salvus. Similiter Statius, Theb. II, 678 : « mediis in cædibus adstat. » Vid. Animadvers. — *Scilicet Phœbi reus.* Se ipsum interpellat, quasi abrupta et concisa oratione : « sed quid quereris de peste? Phœbi oraculo in tanta scelera damnatus, an sperare poteras, etc. »

36. *Salubre*, felix, prosperum. Alludit hoc verbum ad corruptionem cæli, quod quidem viris severioris judicii minus probabitur. — *Fecimus*, etc. Ipse ego hanc pestem suscitavi, qua fit noxius aer.

37 sqq. Quæ sequitur pestis descriptio, quanquam nonnullis, et

Anhela flammis corda : non Zephyri leves
Spirant; sed igne frigit æstiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemeæi premens.
Deseruit amnes humor, atque herbas color;
Aretque Dirce : tenuis Ismenos fluit,
Et tingit inopi nuda vix unda vada.

in primis Delrio « valde elegans et elaborata » visa fuerit, habet tamen quæ jure possint reprehendi. 1° Parum utile fabulæ explicandæ videtur, si actus fere totus in peste describenda consumatur. Quædam sane de hac erant dicenda; sed, veluti in Sophocle, electe atque ut res postulabat. Multos auctores hoc loco imitatus Seneca, quæ ex illis desumpsit, quasi per saturam et nullo servato modo, hic aggessit. 2° Non erat OEdipi hæc proferre, quæ melius Choro dicenda fuissent commissa. Manifestius apparet hanc regis declamationem fieri ut discant spectatores quæ cognoscant oportet. Cæterum hanc descriptionem confer cum sequentibus: Sophocl. in OEdipo tyranno; Thucydid. lib. II; Lucret. lib. VI; Virgil. Georgic. lib. III; Manil. lib. I; Ovid. Metam. lib. VII; Lucan. lib. VI; Sil. Ital. lib. XIV; Herodian. lib. I; Ammian. Marc. lib. XIX; Homer. Iliad. A.

37. *Non aura*, etc. Describitur primum siccitas, quæ fit æstivo tempore. Hanc autem lucem æstivo viguisse tempore refert tragicus, quia quo siccior tempestas est, eo pestis est perniciosior : « Nimietatem frigoris aut caloris, vel humoris vel siccitatis, pestilentiam gignere philosophi et illustres medici tradiderunt... sed quanto ignis materies cæteris efficacior, tanto ad perimendum celerior siccitas. » Ammian. Marcellin. loc. sup. laud.

38. *Anhela flammis*. Æstuantia interiore igne.

39. *Æstiferi Canis*. Sirius vel Canicula, sidus ardentissimum. Plin. XVIII, 68 : « ... quod Canis ortum vocamus... accenditque Solem et magnam æstatis obtinet causam. » —*Frigit*. I. e. *torret*. Vid. Animadv.

40. *Leonis Nemeæi*. Signum zodiaci, ita dictum, quod in hoc astrum mutatus fingitur leo Nemees silvæ, juxta Cleonas urbem ab Hercule occisus. — *Terga premens*. Id est, quum primum ingreditur Leonis sidus et quasi *terga* illius *premit*. « Ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, sole primam partem Leonis ingrediente. » Plinius, lib. II, c. 47.

42. *Dirce*. Fons in Bœotia. Dircen Lycus rex Thebarum, Antiopa repudiata, duxit, quæ Antiopam a Jove in Satyrum converso gravidam in vincula conjecit, quibus illa mox exuta in Cithæronem confugit, ubi Amphiona et Zethum peperit, qui adulti Lycum interfecerunt et Dircen taurorum caudis alligatam per sentes raptarunt, quæ tandem in fontem conversa est. FARNAB. — *Ismenos*. Flumen in eadem regione.

43. *Vada*. Id est, arenam, decre-

Obscura cælo labitur Phœbi soror ;
Tristisque mundus nubilo pallet novo.
Nullum serenis noctibus sidus micat :
Sed gravis et ater incubat terris vapor;
Obtexit arces cælitum ac summas domos
Inferna facies. Denegat fructum Ceres
Adulta; et altis flava quum spicis tremat,
Arente culmo sterilis emoritur seges.
Nec ulla pars immunis exitio vacat :
Sed omnis ætas pariter et sexus ruit,
Juvenesque senibus jungit, et natis patres
Funesta pestis : una fax thalamos cremat :
Planctuque acerbo funera et questu carent.

scente flumine, facile pedibus transeundam.

45. *Mundus.* Id est, cælum, ut Herc. Fur. v. 18, et alibi non raro. Mundus vulgo pro universitate rerum usurpatur, et ideo pro cælesti hoc fornice jure accipitur, qui varios stellarum astrorumque orbes complectitur. Sic Seneca, Epist. xc : « Mundus in præceps agebatur. » — *Novo,* insolito, vel fœdo. Sil. X, 349 : « Ductori, precor, immittas nova somnia Pœnu. » Vid. Animadv.

46. *Serenis.* Etiam serenis noctibus, nulla micant sidera, quorum fulgor vapore gravi terris incubante intercipitur.

48. *Arces... domos.* Cælum, quod deorum est velut arx et sedes.

49. *Inferna facies.* Tenebræ horridæ et quales sunt inferorum.

50. *Adulta*, etc. Quamvis Ceres, i. e. seges, adoleverit, et jam flaventes celsique culmi pondere atque aura tremuli jactentur, tamen, nimio vapore sideris æstivi, arescunt et emoriuntur. Falso censuere nonnulli legendum *cremat*, non *tremat*. « Adulta leni fluctuat Zephiro seges. » Hercul. furens, v. 699.

52. *Pars.* Scil. hominum, ut probant sequentia, *Sed omnis ætas*, etc.

53. *Sexus ruit.* I. e. cadit, occumbit moriens. Quintil. XII, 15 : « Hic vulnus altissime penetrat, hic ipsa vitalia feriuntur, ubi *populus ruit*, ubi continuis funeribus omnis sexus atque ætas semel sternitur. »

54. *Juvenesque.* Lucret. VI, 1255 : « Exanimis pueris super exanimata parentum Corpora nonnunquam posses, retroque videre Matribus et patribus gnatos super edere vitam. »

55. *Thalamos.* Uxor et maritus eodem rogo cremantur.

56. *Planctuque acerbo funera et q. carent.* Ovid. Metam. VII, 611 : « Qui lacriment, desunt, etc. » Tibull. Eleg. II, 4 : « ... neque erit qui lugeat ullus, Nec qui det mœstas munus in exsequias. »

Quin ipsa tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos : quodque in extremis solet,
Periere lacrimæ : portat hunc æger parens
Supremum ad ignem : mater hunc amens gerit;
Properatque, ut alium repetat in eumdem rogum.
Quin luctu in ipso luctus exoritur novus,
Suæque circa funus exsequiæ cadunt.
Tum propria flammis corpora alienis cremant.
Diripitur ignis : nullus est miseris pudor.
Non ossa tumuli sancta discreti tegunt.
Arsisse satis est : pars quota in cineres abit?
Deest terra tumulis : jam rogos silvæ negant.

57. *Pervicax clades.* Mali indomita perseverantia.

58. *Quodque in extremis.* Magni dolores solent hoc efficere ut non lacrimari possimus, unde dictum est *ingentes dolores stupere.*

61. *Repetat.* Hæc sententia est : Parens a funere properat ad funus, et petit alium quem comburat. De lectione *regerat*, vid. Animadv.

63. *Suæque circa*, etc. Qui funus curabant sequebanturque, in ipso officio funebri efferendi moriuntur. Farn. — *Exsequiæ* ita dictæ ex iis qui *sequuntur* funebrem pompam.

64. *Tum propria flamm.* In hoc novo luctus gradu, quisque suorum corpora flammis imponit, in cremandos alios accensis. Ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον· οἱ δὲ καιομένου ἄλλου, ἄνωθεν ἐπιβάλλοντες, ὃν φέροιεν, ἀπῄεσαν. Thucyd. lib. II. Lucret. lib. VI, 1281 : « Multaque vis subita et paupertas horrida suasit. Namque suos consanguineos aliena rogorum Insuper exstructa ingenti clamore locabant Subdebantque faces, etc. »

65. *Diripitur ignis : nullus est*, etc. Ovid. Met. VII, 609 sq. « ...et jam reverentia nulla est; Deque rogis pugnant, alienisque ignibus ardent. »

66. *Non ossa*, etc. Mos erat apud Græcos ut, crematis corporibus, ossa cineresque recolligerent et in urna inclusa sepulcro mandarent. Sed tum erat ea morientium copia, ut non suo cujusque ossa tumulo conderentur, sed satis videretur corpora cremata fuisse. — *Discreti.* Distincti, separati. Suum erat cuique familiæ sepulcrum, in quo non inhumari infame habebatur.

67. *Pars quota.* Non solum non colligebantur cineres qui includerentur tumulo; sed ne spatium quidem dabatur, donec corpora resolverentur in cineres.

68. *Deest terra tumulis : jam rog. silvæ negant.* Ovid. Met. lib. VII, vs. 613 : « Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes. » Si forte mireris quod hoc dicat Seneca *deesse terram tumulis*, postquam di-

Non vota, non ars ulla correptos levant.
Cadunt medentes : morbus auxilium trahit.
Affusus aris supplices tendo manus,
Matura poscens fata, præcurram ut prior
Patriam ruentem ; neve post omnes cadam,
Fiamque regni funus extremum mei.
O sæva nimium numina ! o fatum grave!
Negatur uni nempe in hoc populo mihi
Mors tam parata ? sperne letali manu
Contacta regna : linque lacrimas, funera,
Tabifica cæli vitia, quæ tecum invehis

xit *non tumulis tegi ossa*, reputa in hujusce modi descriptionibus quædam generaliter referri, quæ tamen non ab omnibus, sed a nonnullis tantum acta sunt, ut per illa singularia exempla ostendatur, usque quo progressa sit mali vis et hominum desperatio. Satis certe intelliges Senecam, quod scripsit *non tumulis ossa tegi*, non ab universis accipiendum voluisse, si ad versus 129 et 130 paululum attenderis. Eadem prorsus, specie, non re contraria, in Ovidio reperias, qui postquam scripserit mortuorum corpora nullis ferri funeribus, addit : « neque enim capiebant funera portæ. »

69. *Non ars ulla*, etc. Virgil. Georg. III, 549 : « Quæsitæque nocent artes ; cessere magistri, etc. »

70. *Cadunt medentes*. Thucydid. l. c. Οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν... ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον... οὔτε ἄλλη ἀνθρωπεία τέχνη οὐδεμία. Ovid. Met. lib. VII, vs. 561-2 : « ...inque ipsos sæva medentes Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes. » — *Auxilium trahit*. Eos occidit qui ægris auxilio erant.

71. *Affusus*. Aris advolutus.

72. *Matura fata*. Poscens ut cito moriar. Non absurde etiam *matura fata* pro *opportuna morte* acciperentur, nisi alibi Seneca quid *maturo fato* velit intelligi, aperte significet. Vide Phœniss. vs. 304, et ibi notam ; Hipp. vs. 857.

74. *Funus extremum*. Ultimus cadam et ad sepulturam efferar.

76. *Negatur uni*, etc. Huc facit, quod nostras *Crébillon* ait in tragœdia, cui titulus, *Idoménée*, I, 2 : « Eh! frapper tout son peuple, est-ce épargner un roi ? »

77. *Mors tam parata*. Mors quam occupare tam facile videatur, quam adeo facilem et paratam cæteri experiuntur, uni mihi negatur. — *Sperne*. Seipsum alloquitur, ut superius vs. 34.

78. *Contacta regna*, etc. Linque regna quæ funeribus et lacrimis implevisti, eaque fugiendo malis libera, quæ tecum invehis funestus hospes : fuge ocius, etiamsi nullum aliud habiturus sis refugium quam in parentum regnum.

79. *Tabifica*. Cf. supra, vs. 36.

Infaustus hospes : profuge jamdudum ocius
Vel ad parentes. JOC. Quid juvat, conjux, mala
Gravare questu? regium hoc ipsum reor,
Adversa capere; quoque sit dubius magis
Status, et cadentis imperii moles labet,
Hoc stare certo pressius fortem gradu.
Haud est virile, terga Fortunæ dare.
OED. Abest pavoris crimen ac probrum procul,
Virtusque nostra nescit ignavos metus.
Si tela contra stricta, si vis horrida
Mavortis in me rueret; adversus feros
Audax gigantes obvias ferrem manus.
Nec Sphinga cæcis verba nectentem modis

81. *Vel ad parentes.* Ad Polybium uxoremque ejus Meropem, quos suos esse parentes existimabat quosque ultro deseruerat, ne eventu vaticinatio approbaretur. Vide not. ad vs. 12. — *Jocasta*, conjux Laii, OEdipi mater et eadem uxor. Audit veniens in proscenium quas ultimum querelas protulit OEdipus. Cf. not. ad vs. 18.

83. *Adversa capere.* Sustinere, ferre: Noster, Herc. fur. vs. 411 sq. « ... hoc ipsum placet, Animo ruinas quod capis magno tuas; Es rege conjux digna. »

84. *Status.* Quo gravior instat, vel incumbit regi fortuna.

85. *Hoc stare certo*, etc. Metaphora sumpta a milite cui inglorium est cedere loco quem primum in acie occupavit.

87. *Crimen ac probrum.* Non est quod in me pavurem reprehendas ac crimineris, cujus opprobrio semper mea caruit vita.

89. *Contra.* Subaudi *me*.

91. *Obvias ferrem manus.* Si mihi bellum atrox surgeret, etiamsi cum feris gigantibus esset pugnandum, eis occurrrerem impavidus. — *Gigantes.* Sic dicti sunt Titanes, quia a terra orti fuerant (γῆ, terra, γίνεσθαι, nasci). Deinde ad quemlibet virum corporis proceritate conspicuum nomen illud translatum est.

92. *Sphinga.* Quum OEdipus a Corintho in Bœotiam fugisset, invenit regionem trepidam metu. Scilicet monstrum crudele, Sphinx nomine, quæ Echidnæ et Typhonis filia dicebatur, canis corpore, vultu puella, pedibus leo, præterea humana voce et volucribus alis, rupem quamdam vicinam viæ obsidebat, et prætereuntibus ænigmaticum quoddam carmen proponebat, quod qui non solvebant, a Sphinge occidebantur. Quum vero OEdipus *cæcam*, inextricabilem cæteris verborum ambagem explicuisset, adeo ægre id monstrum tulisse fertur, ut se de saxo præceps immiserit, et eliserit ad terram, vel, ut alii volunt, in undas merserit.

Fugi : cruentos vatis infandæ tuli
Rictus, et albens ossibus sparsis solum.
Quumque e superba rupe, jam prædæ imminens,
Aptaret alas verbere, et caudam movens,
Sævi leonis more, conciperet minas,
Carmen poposci : sonuit horrendum : insuper
Crepuere malæ; saxaque impatiens moræ
Revulsit unguis, viscera exspectans mea.
Nodosa sortis verba, et implexos dolos,
Ac triste carmen alitis solvi feræ.
JOC. Quid sera mortis vota nunc demens facis?
Licuit perire : laudis hoc pretium tibi

93. *Tuli.* Videndo non exhorrui.

94. *Ossibus.* Eorum qui necati fuerant non soluto ænigmate.

95. *Superba.* I. e. alta et ardua. Sic Avien. Descript. Orb. vs. 1169 : « ... saxa jugis avulsa superbis. »

96. *Aptaret alas verbere.* Alas accingeret ad volatum eas movendo eisque verberando corpus. — Vide Animadv.

97. *Conciperet minas.* I. e. iras, quæ minis se proferunt. Lucan. I, 208 : « Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ. »

98. *Carmen.* Versibus contexebatur ænigma. — *Sonuit horrendum.* Horrenda voce mihi Sphinx ænigma proposuit.

99. *Crepuere.* Præ ira, ex sententia Farnabii qui explicat, *frendebat;* vel præ ingluvie, ut interpretatur Badenius.

100. *Revulsit unguis.* Impatiens moræ dum loquerer, Sphinx unguibus saxa revellebat, propter exspectationem et aviditatem prædæ vix sibi temperans.

101. *Sortis.* Hoc est, *ænigmatis*, a cujus solutione, vel mea, vel feræ mors penderet; mea, si nequirem solvere; illius, si possem.

102. *Triste carmen.* Scilicet, auctore Asclepiade : Ἔςι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τέτραπον, οὗ μία φωνὴ, Καὶ τρίπον· ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν Ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα καὶ κατὰ πόντον· Ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ, Ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ. Id est, « Est bipes, est quadrupes in terris (solaque vox huic), Atque tripes : mutat vocem solum omnia campis Inter quæ serpunt, quæ cælo et fluctibus errant. Ast ubi contendit pedibus jam pluribus, illi deficiunt vires et lentis robora nervis. » — *Solvi.* Scimus de homine ænigma intelligendum, qui infans, *quadrupes;* vir, *bipes;* tandem decrepitus, assumpto scipione, *tripes.* FARN.

104. *Licuit perire.* Tunc certe, quum ad Sphingem accessisti, si periturus eras, tibi licuit perire, et quidem fortiter. Nunc vero, postquam interfectæ Sphingis pretium

Sceptrum, et peremtæ Sphingis hæc merces datur.
OED. Ille, ille dirus callidi monstri cinis
In nos rebellat : illa nunc Thebas lues
Peremta perdit : una jam superest salus,
Si quam salutis Phœbus ostendit viam.

CHORUS.

Occidis Cadmi generosa proles
Urbe cum tota : viduas colonis
Respicis terras, miseranda Thebe.
Carpitur leto tuus ille, Bacche,

regnum tulisti, dementis est optare mortem.

105. *Hæc merces.* Nonnulli, inter quos Delrius, censuere hoc referendum ad Jocastam, et eam se ipsam ostendere : scilicet uno versu amplecti voluisse Senecam quod duplex habuit præmium OEdipus Sphingis interfectæ, sceptrum nempe, et Jocastam uxorem. Subtilius forsan nec satis ad ingenium tragici accommodatum, qui soleat eadem aliis verbis retractare. Intellige potius « laudis hoc pretium tibi sceptrum, » et, « peremptæ Sphingis hæc merces » idem prorsus ac unum significare.

107. *Rebellat.* Monstrum, quanquam mortuum, in nos funestum sævit. — *Lues.* Sphinx.

108. *Jam superest salus*, etc. Nullum jam superest in tanta calamitate auxilium, nisi quod ostenderit Phœbus, cujus sciscitatum oraculum missus est Creo. Vide not. ad vs. 203.

109. *Si quam*, etc. Phœbus enim, ut ait Farnabius, ipse Apollo, λοίμιος, ἰήϊος, ἀκέσιος; et revera sol aera rarefacit et purgat.

110 sqq. Quæ repetit hic Chorus de pestis malignitate, accommodatiora loco videntur quam in ore OEdipi; nisi quod Seneca interdum in quædam minutiora descendit quæ potius in quavis alia poetica descriptione quam in dramate locum obtineant. — *Cadmi generosa proles.* Sophocles, Οἰδίπ. τύραννν. vs. 1 : Ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή.

112. *Thebe.* Usitatior pluralis, *Thebæ.* Sed et nomen sumpsisse a veteri illa Thebe Ægyptia, unde Cadmum oriundum asserunt nonnulli, potius crediderim, quam a Theba, Promethei vel Asopi filia, ut volunt alii. FARN.

113 sqq. *Tuus ille, Bacche, miles*, etc. Bacchus ex Jove et Semele, Cadmi filia natus, exercitum ex viris et mulieribus Thebanis constantem ad subigendam Indiam deduxit. Thebanorum, qui Bacchum

Miles, extremos comes usque ad Indos,
Ausus Eois equitare campis,
Figere et mundo tua signa primo.
Cinnami silvis Arabes beatos
Vidit, et versas equitis sagittas,
Terga fallacis metuenda Parthi.
Litus intravit pelagi rubentis.
Promit hic ortus, aperitque lucem
Phœbus, et flamma propiore nudos
Inficit Indos.
Stirpis invictæ genus interimus.
Labimur sævo rapiente fato.
Ducitur semper nova pompa Morti.
Longus ad manes properatur ordo
Agminis mœsti, seriesque tristis
Hæret; et turbæ tumulos petenti
Non satis septem patuere portæ.

comitati sunt, facta et gloria fusius laudantur, quo sors posterorum flebilior videatur.

116. *Mundo primo.* Ea in regione qua primum sol orbi illucescit, id est, in Oriente.

117. *Arabes beatos.* Arabiam cinnami silvis fertilem et *felicem.*

119. *Terga.* Nemo nescit Parthos fugere solitos, et dum temere insequerentur hostes, sagittas a tergo emittere. Putat Gronovius hic græcismum esse: « fallacis (secundum) terga. » Schroderus interpretatur: « vidit versas equitis sagittas *et* terga metuenda fallacis Parthi. » Abest vero particula *et;* quare vult Cuninghamius, aut dissolutionis figuram hoc loco statuamus, aut legamus *versis* equitis *sagittis:* quod certe durius videtur.

123. *Inficit.* Nuda Indorum corpora nigrescunt solis orientis vicinitate. Propert. III, 11, 16: « Quos Aurora suis rubra colorat equis. »

124. *Stirpis invictæ genus.* Nos ex hac stirpe militum invicta qui Bacchum sequuti sunt, interimus. Vel pubes Martia, ab Harmonia, Martis filia, Cadmi uxore; vel Spartanis oriundi, quos socios in urbe condenda Cadmus sumpsit. Farn.

126. *Ducitur,* etc. Nova semper ducitur funebris pompa, quasi in honorem et triumphum mortis.

127. *Longus,* etc. Qui sepeliendi sunt et qui sepeliendos curant feruntur propere ad Manes, id est, ad tumulos, longo ordine, mœsto agmine: via autem continua elatorum et efferentium serie cooperitur.

130. *Septem portæ.* Corpora enim

Stat gravis strages, premiturque juncto
Funere funus.
Prima vis tardas tetigit bidentes;
Laniger pingues male carpsit herbas.
Colla tacturus steterat sacerdos;
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu

extra urbem efferebantur et sepeliebautur. Septem autem portarum apud Pausaniam in Bœot. hæc uomina: Electrides, Prœtides, Netides, Creueæ, Ogygiæ, Homoloides (unius deest nomen). Delr.— Similiter Ovid. Metam. lib. VII, vs. 607: « ... neque enim capiebant funera portæ. »

131. *Stat gravis strages.* Jacet gravis et immeusa stratorum corporum moles.

132. *Funere funus.* Corpus corpore premitur. Non eodem omnino sensu dixit Lueretius, lib. VI, vs. 1233: « Idque vel in primis cumulabat funere funns. » Sophocl. Οἰδίπ. τυράνν. vs. 183: ... ἄλλον δ᾽ ἂν Ἄλλῳ προσίδοις, Ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν, Κρεῖσσον ἀμαιμακέτου πυρὸς Ὄρμενον ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου Θεοῦ.

133. *Prima vis*, etc. Pecudes prius quam bomines occupat pestis, quoniam ad terram pronæ, pestileutes auras e terra exorientes propius aspirant. Homerus igitur in Iliade, lib. I: Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς. Ovid. Metam. lib. VII, vs. 536: « Strage canum prima volucrumque oviumque boumque, Inque feris subiti deprensa potentia morbi. » Claudian. lib. I contr. Rufin. vs. 301 sq. « Ac velut infecto morbus crudescere cælo Incipiens primos pecudum depascitur artus. » Silius Ital. lib. XIV, vs. 594: « Vim primi sensere canes: mox uubibus atris Fluxit deficiens penua labente volucris. Inde feræ silvis sterni; tum serpere labes Tartarea, atque haustis populari castra maniplis. » — *Tardas.* Quæ tardæ morbo efficiuntur.

134. *Male carpsit.* Vix præ fastidio quod ægris pecudibus movebat malum, herbas perstringebant dente. Putat Farnabius *male*, idem hic significare ae *in perniciem suam*, quasi innueret Seneca pestem ad pecudes pastu irrepere: falso, ut nobis videtur. Nam si Farnabii probetur sententia, male connexos versus 133 et 134, fatearis oportet, et non *pingues*, sed potius *letales* herbas dicere tragicum debuisse. Eodem prorsus quem sequimur sensu, adhibuit *male* Horatius, Sat. lib. II, vs. 86: « ... varia cupiens fastidia cœna Vincere taugentis male singula dente superbo. »

135. *Tacturus.* Percussurus. Ovidius, Met. VII, vs. 593: « ...dum vota sacerdos Concipit, et fundit purum inter cornua vinum, Haud exspectato ceciderunt vulnere tauri. » Cf. item Virg. Georg. III, 486 sq. « Sæpe in honore deûm medio stans hostia, etc. »

137. *Aureo*, etc. Diis superis

Labitur segnis : patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta cervix :
Nec cruor ferrum maculavit : atra
Turpis e plaga sanies profusa est.
Segnior cursu sonipes in ipso
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit armo.
Incubant pratis pecudes relictæ.
Taurus armento pereunte marcet.
Deficit pastor grege diminuto,

immolabantur victimæ coronatæ, vittatæ, cornibus auratis, et frontem aureis bracteis ornatæ. Farn. — Homer. Odyss. III : ... βοῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον, Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ, Τήν τοι ἐγὼ ῥέξω, χρυσὸν κέρασιν περιχεύας. Cicero, de Divinat. « Aurigeris divum placantes numina tauris. » Virg. Æn. XI, 627 : « Et statuam ante aras aurata fronte juvencum. »

138. *Patuit sub ictu.* Pronuntiat Gronovius hoc ita intelligendum quasi a fronte adderetur particula *si*, et inferius *non cruor*, non autem *nec cruor* scriberetur : videlicet ut hunc versum ad locum Virgilii, not. 135, cit. accommodet : « Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos. » Interpretationem minime probamus, quæ ita addit et mutat verba vulgatæ et sinceræ lectioni. Longe aliam sequemur, quæ nobis adeo expedita et in promptu esse videtur, ut sane miremur eam primis omnium, qui Senecam attrectavere, nobis in mentem venisse. Labitur taurus, segnis, non mortuus : nihilominus igitur in jacentis cervicem dejicitur securis, et sanies non cruor ex plaga effunditur ferrumque maculat.

139. *Ponderis vasti.* Ictus summa vi inflictus.

142. *In ipso Concidit gyro.* Dum exercetur, atque, uti mos est, in gyrum agitur. Lucan. lib. VI, vs. 84 sqq. « Belliger attonsis sonipes defessus in arvis Advectos quum plena ferant præsepia culmos, Ore novas pascens moribundus labitur herbas, Et tremulo medios abrumpit poplite gyros. »

143. *Prono.* Dominum ex improviso destituit et excutit, dum cadit ipse pronus in armum.

144. *Prodidit armo.* Hoc ita variavit Silius Italic. X, 255 : « Cernuus inflexo sonipes effuderat armo. » Baden.

145. *Incubant.* Jacent mortuæ aut moribundæ.

145. *Deficit.* Languet, malo tactus. Lucret. lib. VI, vs. 1250 sqq. « Præterea jam pastor, et armentarius omnis, Et robustus item curvi moderator aratri Languebant, penitusque casis contrusa jacebant Corpora, paupertate et morbo dedita morti. »

Tabidos inter moriens juvencos.
Non lupos cervi metuunt rapaces.
Cessat irati fremitus leonis.
Nulla villosis feritas in ursis.
Perdidit pestem latebrosa serpens;
Aret, et sicco moritur veneno.
Non silva sua decorata coma
Fundit opacis montibus umbras.
Non rura virent ubere glebæ.
Non plena suo vitis Iaccho
Brachia curvat.
Omnia nostrum sensere malum.
Rupere Erebi claustra profundi
Turba sororum face Tartarea:
Phlegethonque sua motam ripa

149. *Non lupos*, etc. Virg. Georg. lib. III, vs. 357 sqq. « Non lupus insidias explorat ovilia circum, Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum Cura domat: timidi damæ cervique fugaces Nunc interque canes et circum tecta vagantur. » Ovidius, Metam. lib. VII, vs. 545-6: « ... meminit nec fidere cursu Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi. »

152. *Pestem*. Venenum. — *Latebrosa*. Quæ latebris absconditur. Virgil. Georg. lib. III, vs. 545: « Interit et curvis frustra defensa latebris Vipera. »

153. *Aret*. Arescit virus.

156. *Ubere glebæ*. Ubertate soli. Virg. Æn. I, 531: « Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ. »

157. *Non plena*, etc. Vitis brachia seu ramuli, Bacchi, id est, uvarum, pondere non jam curvantur.

160. *Rupere*. Erupere ex inferis, quibus coercentur et clauduntur, Furiæ Tartaream gerentes facem. Virgil. Georgic. lib. III, vs. 551: « Sævit et in lucem Stygiis emissa tenebris Pallida Tisiphone. »

162. *Phlegethon*. Quæri possit cur Phlegethon a tragico esse dicatur qui misceat Styga Sidoniis aquis? Affert Farnabius hunc esse amnem igneum, atque ejus Senecam propter pestilentiæ ardorem meminisse. Delrius idem prope; addit autem hic Phlegethon dici pro deo fluvii genio. Quid autem est deo Phlegethontis genio cum Stygio amne, cur ille hunc in terras immittat? Nisi forte Phlegethon, pars inferorum, pro inferis ipsis sumatur; aut significet tantum *ardorem pestilentiæ*, quo inficiuntur aquæ. — *Sua motam ripa*. Styga quasi deductam e solito alveo.

Miscuit undis Styga Sidoniis.
Mors alta avidos oris hiatus
Pandit, et omnes explicat alas.
Quique capaci turbida cymba
Flumina servat durus senio
Navita crudo, vix assiduo
Brachia conto lassata refert,
Fessus turbam vectare novam.
Quin Tænarei vincula ferri
Rupisse canem fama, et nostris

163. *Styga*. Venenatis Stygiæ paludis undis aquas Sidonias pestis infecit, id est, eorruptionem attulit amnibus, fontibus, puteis Sidoniis (aut Thebanis, nam Cadmus, Thebarum conditor, e Sidone venerat). Sic Claudian. contra Ruf. lib. I, vs. 3n4: « Corruptos Stygiam pestem diffundit in amnes. » Et Sil. Italic. lib. XIV, vs. 586 : « Et patulam Cyanem lateque palustribus undis Stagnantem Stygio Cocyti oblevit odore. » Styx (στυγέω, odi), fons Arcadiæ, aquam habere vulgo credebatur nimio frigore letalem, adeo corrosivam, ut omne metalli genus perfringeret, solaque muli vel asini ungula posset contineri, testibus Plutarcho in Alexandro, Arriano, de Gestis Alexandr. lib. VII, Plin. lib. XXX, cap. 16, et Justino, lib. XII. Delph.—Hinc fabulati sunt poetæ Stygem esse paludem inferorum.

164. *Alta*. Supra nos volans, nobis imminens. Similiter Virg. de Tisiphone, Georg. III, 555 : « ... avidum surgens eaput altius effert. »

165. *Omnes alas*. Quam citissime alis potest, fertur, id est, Thebanos rapidissime enecat. Mors alata fingitur, ut quæ celeriter et inopinato veniat. Hoc citat Badeuius ita expressum Statio, Thebaid. VIII, 377 : « . . . Stygiisque emissa tenebris Mors fruitur cælo, bellatoremque volando Campum operit, nigroque viros invitat hiatu. »

168. *Navita*. Charon, portitor Orci. — *Cruda*. Viridi robustoque: Virgil. Æn. VI, 304 : « ... cruda deo viridisque senectus. »

169. *Refert*. Vix ad navigandum brachia ex novo accingit, assiduo movendi contum labore lassata.

172. *Tænarei ferri*. Fama est Cerberum rupisse ferream catenam qua ad Tænarum ligabatur. Tænarum promontorium est Laconiæ, ubi ad inferos descensus patere credebatur, ut et in Averno Italiæ: « . . . . . Tænareas fauces, alta ostia Ditis. » Cerberi autem fabulæ occasionem ferunt dedisse serpentem quemdam in Tænaro, quem, quod morsu e vestigio enecaret, ᾅδου κύνα nominarunt, atque hunc ab Hercule ad Eurystheum productum. Farn.

172 et seq. *Rupisse canem*, etc. Plerumque in publicis cladibus apud Græcos et Romanos quædam

Errare locis : mugisse solum :
Vaga per lucos simulacra virum
Majora viris : bis Cadmeum
Nive discussa tremuisse nemus,
Bis turbatam sanguine Dircen :
Nocte silenti
Amphionios ululasse canes.
O dira novi facies leti,

narrantur insolita et extra ordinem evenisse. Sic Virgilius et alii, extincto Cæsare, prodigia apparuisse tradunt. Sic ipse Dionys. Halicarn. lib. VIII et X, multa observata Romæ prodigia scribit, deorum iram nuntiantia, exauditas ominosas voces incerto auctore, observatas oculis novas spectrorum facies, arsisse cælum, terram cum mugitu tremuisse, etc. etc. Sed hæc non dubium est quin metus effinxerit omnino, aut saltem ex fortuitis et tenuissimis in portentosa amplificaverit. Quod tamen hic refert Seneca *mugisse solum* verisimilius profecto dixerim. Nam luem hanc, ut plurimum, præcedit terræ motus : tum efficiuntur sub terra sonitus mugitum imitantes, quod ab inclusis exhalationibus, percussis vel percutientibus, provenire credunt. — *Rupisse... errare.* Eamdem videas temporum enallagen, Herc. fur. 474 sqq. « Non erubescit Bacchus effusos tener Sparsisse crines, nec manu molli levem Vibrare thyrsum. »

175. *Cadmeum.* Thebanum nemus, in quo Cadmus serpentem interfecit.

176. *Nive discussa tremuisse nemus.* Tremente silva, nix excussa est qua cacumen arborum operiebatur.

177. *Dircen.* Vide not. ad vs. 42.

179. *Amphionios.* Thebanos; ex Amphione ad cujus lyræ sonitum dicuntur saxa se movisse et ultro Thebarum mœnia extulisse.

180. *O dira*, etc. Notas et symptomata morbi describit Seneca, ut Thucydides, Virgilius, Ovidius, etc. Sed quemadmodum in his apta et necessaria istiusmodi descriptio, sic in illo inutilis prorsus et præpostera. Agant, non describant dramatis personæ, monet et præcipit ratio non minus quam poetice. Chorus ipse, qui interest agentibus, nihil dicat oportet quod alienum sit ab argumenti proposito. Hic audiendus Horatius, de Arte poetic. vs. 193 sq. « Actoris partes chorus officiumque virile Defendat : neu quid medios intercinat actus Quod non proposito conducat, et hæreat apte. » Porro quid ad rem conferat, si noscant spectantes legentesve, quæ det sui signa morbus et quibus probatur indiciis, « pigro languore alligari membra, maculis spargi caput, rigere oculos, resonare aures? » Quis est hic Thebanorum luctus, adeo singillatim et ex ordine quæ patiantur narrantium ? Non ita plerique cæterorum qui argumentum idem tractavere,

Gravior leto! piger ignavos
Alligat artus languor; et ægro
Rubor in vultu, maculæque caput
Sparsere leves : tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus urit;
Multoque genas sanguine tendit.
Oculique rigent, et sacer ignis

Sophocles, *Corneille*, *Voltaire*, etc. Mentio quidem fit apud illos tantæ calamitatis, sed mire ad vim et sincerum fabulæ splendorem accommodata. In primis Sophucles, quanta arte, quam pathetica et eadem apta deceutique conclusione choro huic eidem finem imponit quo Thebani de lue conqueruntur! Quum ad deus conversi, filiam Juvis Minervam implorant, ut pestem hanc finibus suis extermiuet, novumque hunc Martem, qui cives insolito et crudeli bello lacessit, in vastum Amphitrites sinum et fluctus inhospitales Thracii maris detrudat; quum precantur Jovem ut eum misso fulmine opprimat, Apollinem et Dianam, ut intortis confodiant telis, Bacchum denique Thebanum, ut, cum Mænadibus suis, ardentibus armatus facibus, invisum ipsis diis prosequatur, vs. 197 sq. ... ὦ χρυσέα Θύγατερ Διὸς εὐῶπα, πέμψον Ἀλκάν, ete. Hi sunt veri questus, hic verus dolor, ad quidquid est numinum, prope desperata salute confugientium.

183. *Rubor in vultu*. Ovid. Metam. lib. VII, vs. 555-6 : « ... flammæque latentis Indicium rubor est, et ductus anhelitus ægre. »

184. *Tum*. Pro *præterea* aut *ad hoc*, ut sæpe in Virgilio et cæteris. — *Vapor*. Tetri et calidi vapores sublati cerebrum incendunt gravantque caput, in quo tanquam in arce et specula locavit deus sensuum organa mentisque et rationis sedem. Farn.

185. *Corporis arcem*. Claudian. de Consulatu Hon. lib. IV, v. 235 sq. « ... hanc (mentem) alta capitis fundavit in arce, Mandatricem operum prospecturamque labori. »

186. *Tendit*. Delrius *tingit*, minus bene : distenduntur genæ abundantia sanguinis : « ... tument distentæ sanguine genæ. » Stat. Theb. lib. I, vs. 104 : « ... Tenditur ac sanie gliscit cutis... »

187. *Oculique rigent*. Stant immobiles et stupidi. Sic. Lucan. lib. VI, vs. 95 : « ... distentaque lumina. » Virgil. Georg. lib. III, vs. 523 : « ... oculus stupor urget inertes. » — *Sacer*. Exsecrandus, ut in Virgilio *auri sacra fames*. Falso putavit Servius, *sacrum ignem* esse, quem Græci ἱερὰν νόσον vocant, quum ἱερὰ νόσος, teste Hieronymo Mercuriali, nihil sit aliud quam *epilepsia*; *ignis* vero *sacer* apud Latinos idem sit, quod apud Arabes *formica*, apud Plinium *zoster* et *circinus*, apud Scribonium *zona* : de quo Plato egit de Legibus, lib. II. Græcis ἕρπης vocatur; cujus quot sint genera, ex Gorræo petas. Delrius. — Hic igitur *sacer ignis* est

Pascitur artus : resonant aures,
Stillatque niger naris aduncæ
Cruor, et venas rumpit hiantes.
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens : tunc amplexu
Frigida presso saxa fatigant :
Quos liberior domus elato
Custode sinit, petitis fontes,
Aliturque sitis latice ingesto.
Prostrata jacet turba per aras,
Oratque mori : solum hoc faciles
Tribuere Dei. Delubra petunt,
Haud ut voto numina placent,

erysipelas, *herpes*, tumor e ferventi sanguine ortus. De hoc Lucretius, lib. VI, vs. 660 sq. « Exsistit sacer ignis, et urit corpore serpens Quamcumque arripuit partem, repitque per artus. » Et alibi, lib. VI, vs. 1164 sq. « Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere Corpus, ut est, per membra sacer dum diditur ignis. » Necnon apud Virg. Georg. lib. III, vs. 566 : « .... contactos artus sacer ignis edebat. »

188. *Pascitur*. Depascitur, exedit. — *Resonant aures*. Lucretius, lib. VI, vs. 1183 : « Sollicitæ porro pleuæque sonoribus aures. »

189. *Stillatque*, etc. Virg. Georg. lib. III, vs. 507 : « ... it naribus ater Sanguis. »

190. *Et venas*, etc. Et ex ipsis venis sanguis erumpit, per quas (adeo fervet !) viam sibi, fracta cute, fecit.

191. *Intima*, etc. Virgil. Georg. lib. III, vs. 505 : « Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto Spiritus interdum gemitu gravis, imaque longo Ilia singultu tendunt. »

192. *Tunc*, præterea; vid. v. 184.

193. *Fatigant*. Interius æstuantes, marmora arcte amplexantur, quibus temperentur ignes.

194. *Elato Custode*, i. e. mortuo qui curabat et custodiebat ægros.

195. *Petitis fontes*. Vide in Animadversion. Hic *petitis* pro *petunt* dicitur, ut fit non semel in poetis et in ipso Seneca. Sic in Agamemn. vs. 612 : « Vidimus patriam ruentem nocte funesta, Quum Dardana tecta Dorici raperetis ignes. » Hercul. OEt. vs. 458 : « Habuere motum saxa ; discussi fores ; Umbræ stetistis. » Sensus est igitur : *Qui liberiores, mortuis custodibus, facti sunt, petunt fontes*, etc. « Fontibus et fluviis puteisque capacibus hærent, Nec sitis est exstincta prius quam vita bibendo. » Ovidius, lib. VII, vs. 568.

198. *Solum hoc*. Mori.

Sed juvat ipsos satiare Deos.
Quisnam ille propero regiam gressu petit?
Adestne clarus sanguine ac factis Creo?
An æger animus falsa pro veris videt?
Adest petitus omnibus votis Creo.

201. *Sed juvat.* Hoc refer ad versum *Oratque mori.* Non jam a diis vitam precantur, sed veniunt ad aras, ut mortem efflagitent, deorumque crudelitatem, ut vocant, satient, eamque illis exprobrent, in illorum conspectu moriendo. Sic Ovid. Met. VII, vss. 602-3 : « Ante sacros vidi projecta cadavera postes, Ante ipsas, quo mors foret invidiosior, aras. »

203. *Creo.* Jocastæ frater, missus ab Œdipo Delphos, qui oraculum Apollinis consuleret, de adhibendis in tanta pestis violentia remediis. Quem jamjam exspectari, redeuntem ab oraculo Delphorum, in hoc loco ut et in vs. 108 et 109, non satis aperte indicari nobis videtur. Longe melius in Sophocle, vs. 68 : Ἣν δ' εὖ σκοπῶν εὕρισκον ἴασιν μόνην, Ταύτην ἔπραξα· παῖδα γὰρ Μενοικέως Κρέοντ', ἐμαυτοῦ γαμβρὸν, ἐς τὰ Πυθικὰ Ἔπεμψα Φοίβου δώμαθ', ὡς πύθοιθ' ὅ, τι Δρῶν, ἢ τί φωνῶν, τήνδε ῥυσαίμην πόλιν. Καὶ μ' ἦμαρ ἤδη ξυμμετρούμενον χρόνῳ Λυπεῖ, τί πράσσει· τοῦ γὰρ εἰκότος πέρα, Ἄπεστι πλείω τοῦ καθήκοντος χρόνου, κ. τ. λ.

ACTUS SECUNDUS.

ŒDIPUS, CREON.

OED. HORRORE quatior, fata quo vergant timens,
Trepidumque gemino pectus afflictu labat.
Ubi læta duris mixta in ambiguo jacent,
Incertus animus scire quum cupiat, timet.
Germane nostræ conjugis, fessis opem
Si quam reportas, voce properata edoce.
CR. Responsa dubia sorte perplexa latent.
OED. Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.
CR. Ambage flexa Delphico mos est Deo

Act. II, sc. I. Reversus Delphis Creon, nuntiat jubere deum, ut mors Laii expurgetur, nec prius cessaturam pestem, quam in exsilium mittatur interfector ejus; de quo, quia non nominatur, ambigitur.

206. *Fata quo vergant.* Ad quem exitum vergant fata, et agitur de fatis Thebanorum, non minus quam OEdipi. Itaque nimis præcise vertit interpr. gallicus : « Je suis saisi d'horreur dans l'attente de ma destinée. »

207. *Gemino afflictu labat*, scilicet spe metuque pulsatum labat.

208. *Ubi*, quotiescumque.

209. *Timet.* Supp. *scire*, quamvis cupiat; et hic est *geminus afflictus*, de quo vs. 207. — Euripidis verba sunt, Hipp. vs. 912 : Ἡ γὰρ ποθοῦσα πάντα καρδία κλύειν, Κἀν τοῖς κακοῖσι λίχνος οὖσ' ἁλίσκεται. BAD.

210. *Germane nostræ conj.* Vid. vs. 203.—*Fessis*, peste, anxietate.

212. *Responsa dubia*, etc. Responsa oraculorum, semper *dubia*, *latent* teguntur, *sorte perplexa* ambiguis et obscuris verbis involuta. Et *sors* vox est, hoc sensu, solemnis. Sic sup. vs. 111 : « Nodosa *sortis* verba et implexos dolos, » de Sphingis ænigmate.

214. *Ambage flexa*, etc. Moras internectit Creon, nec statim oraculi verba expromit, unde crescat exspectatio. Sic Sacerdos in tragœdia Voltarii, act. III, sc. IV : « OED. Parlez, quel est le sang que nous devons verser ? LE GR. PRÊTRE. Fatal présent du ciel ! science malheureuse ! Qu'aux mortels curieux vous êtes dangereuse ! Plût aux cruels

Arcana tegere. OED. Fare, sit dubium licet:
Ambigua soli noscere OEdipodæ datur.
CR. Cædem expiari regiam exsilio Deus,
Et interemtum Laium ulcisci jubet.
Non ante cælo lucidus curret dies,
Haustusque tutos ætheris puri dabit.
OED. Ecquis peremtor incliti regis fuit?
Quem memoret, ede, Phœbus, ut pœnas luat.
CR. Sit, precor, dixisse tutum visu et auditu horrida.
Torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit.
Ut sacrata templa Phœbi supplici intravi pede,
Et pias, numen precatus, rite summisi manus;
Gemina Parnassi nivalis arx trucem sonitum dedit,
Imminens Phœbea laurus tremuit et movit domum,
Ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.
Incipit Letoa vates spargere horrentes comas,

Destins, ete.» — *Tegere.* Involvere. Sic Lucanus, I, vs. 637: «...flexa sie omina Tuscus Involvens multaque legens ambage eanebat.» Simile Pacuvianum illud ex Peribœa: «Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet.» — *Licet*, quamvis.

216. *Soli OEdipodæ*, qui dudum Sphingis ænigma deoodavit.

217. *Exsilio*, interfectoris.

219. *Non ante*, supp. quam piaeula fiaot. — *Lucidus dies.* Quia, dum Creo verba faeit, «...mundus nubilo pallet novo,» sup. vs. 45.

223. *Sit, precor, dixisse tutum*, ete. A rege fidem implorat Creo, quam ille mox solvet; vid. infra scen. prim. act. tertii, vs. 707.

224. *Insedit*, sese insinuavit.

226. *Summisi manus.* hoe est, *summisso corpore*, manus porrexi ad aram vel aimulacrum dei.

227. *Gemina arx.* Duo vertices, Tithoreus et Hyampeus, qui Phœbo Bromioque sacri. FARNAB. — *Parnassi nivalis.* Proprium hujus montis epithetum, ait Delrius. Sophocles item νιφόεντα vocat. Locus similis est Nouni, Dionys. IV, 308, de Cadmo oraculum Delphieum consulente: Καὶ ῥίζα Παρνησσοῖο τινάσσετο φοιβάδος ἠχοῦς, κ. τ. λ.

228. *Imminens*, supp. *templo.* — — *Movit domum.* Hyperbolice dietum sc. lauri circa templom consitæ tanto tumultu fremuere, ut domus quasi moveretur.

229. *Fontis Castalii;* ad radicem Parnassi, et Musis sacri.

230. *Letoa*, vel Latoa, Apollinea. Horat. Od. I, 31, 17: «Frui paratis... Letoe, dones.» Vid. Animadv. — *Horrentes.* Virgil. Æn. VI, 48: «Non comptæ mansere comæ, ete.»

Et pati commota Phœbum. Contigit nondum specum,
Emicat vasto fragore major humano sonus :
« Mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,
« Si profugus Dircen Ismenida liqueris hospes,
« Regis cæde nocens, Phœbo jam notus et infans.
« Nec tibi longa manent sceleratæ gaudia cædis.
« Tecum bella geres; natis quoque bella relinques;
« Turpis maternos iterum revolutus in ortus. »
OED. Quod facere monitu cælitum jussus paro,
Functi cineribus regis hoc decuit dari,

231. *Pati Phœbum.* Divino spiritu cœpit afflari. — *Commota*, temulenta spiritu, quem ἄσθμα δαιμόνιον vocant, exhalante a specu Delphico eod. vs. Ad hunc autem specum, exstructum fuerat adytum, in quo et pegma, quo insidebat Pythia; deinde hoc modo inferne spiritus pravus ascendens, mulierem insania replebat; et, ut ethnica graviter pro veris asseramus, futura recludebat.

232. *Major humano sonus.* Vox Pythiæ. Virgil. loc. cit. « Nec mortale sonans. »

233 sqq. Rite hoc carminis genere refert Creo responsum. Nam hexametris Pythii Apollinis oracula edebantur. « ... dictæ per carmina sortes, » ut ait Flaccus, Art. Poet. 403. — *Mitia sidera.* Suavis et purus aer.

234. *Profugus hospes.* Scilicet OEdipus, e Thebis, a tenerrima exsul infantia, quasi hospes erat et advena, qui huc profugerat. — *Dircen Ismenida.* Dirce fons erat, prope Thebas, cujus aqua in Ismenum fluebat.

235. *Phœbo jam notus et infans.* Accipe et pro *vel*, *etiam*. Et alluditur per hæc ad oraculum redditum Laio, et quod Euripidis Scholiastes refert fuisse tale. « Λαΐε Λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτεῖς; Δώσω τοι φίλον υἱόν, ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστὶ Σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος. Laie Labdacide sobolis felix genus optas? Ecce, dabo carum natum : sors at feret olim Illius ut pereas manibus, et lumen omittas. » DELRIUS.

236. *Gaudia*, accipe hic pro : possessione læta, secura.

237. *Tecum bella geres; natis quoque bella*, etc. Quæ OEdipo evenerunt. Namque et ipse sibi oculos effodit, filiisque duellum est ortum de regno. FARN.

238. *Turpis.* Incesti reus merito *turpis* audit. Cicer. Tuscul. Quæst. IV, 75 : « Stupra dico et corruptelas, et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est *turpitudo*. » BADEN. — *Maternos ortus*, matris uterum.

239 sq. *Quod facere*, etc. Ordo est : « decuit dari ciner. funct. reg. quod paro facere, jussus monitu cælitum. »

240. *Decuit*, pro *decebat*. Ut in Æneid. lib. IV, 597 : « Tunc de-

Ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
Regi tuenda maxime regum est salus.
Queritur peremtum nemo, quem incolumem timet.
CR. Curam peremti major excussit timor.
OED. Pium prohibuit ullus officium metus?
CR. Sphinx, et nefandi carminis tristes minæ.
OED. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis Deorum regna placatus vides;
Tu, tu, penes quem jura præcipitis poli;
Tuque, o sereni maximum mundi decus,
Bis sena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri secula evolvis rota;
Sororque fratri semper occurrens tuo,
Noctivaga Phœbe; quique ventorum potens

enit, quum sceptra dabas.» Et alludit OEdipus ad tempus ipsum, quo Laius fuerat interemptus.

241. *Violaret*, postea. — *Dolo*, fraude, facinore.

242. *Regi tuenda maxime reg.* etc. Vertit in argutam sententiam Seneca, quod OEdipus apud Sophoclem, OEdip. Tyr. vers. 141, sic ait: Ὅςις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανῶν, τάχ' ἂν Κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι· Κείνῳ προσαρκῶν οὖν, ἐμαυτὸν ὠφελῶ. « Quisquis fuerit Laii interfector, iste forsan impia manu me quoque volet aggredi : quare Laium ulciscendo, mihimet ipsi consulam. »

243. *Queritur peremtum nemo*, etc. Versum hunc et præcedentem sic junge: « Eo amplius regni successoribus hoc satagendum est, ne inulta sint regicidia, quod nemo subditorum ulcisci soleat necem regis, quem timuit (et timet semper), dum regnaret incolumis. »

244. *Major timor*, scil. Sphinx Thebas obsidens, et diras illas sortes proponens, quas mox vocat, nefandi carminis tristes minas.

245. *Prohibuit*. Prohibere potuit. — *Pium officium*, necati regis ulciscendi.

247. *Nunc*, quum nulla superest timoris causa.

248. *Regna*. Generaliter dictum.

249. *Tu, tu*, etc. Jupiter. — *Præcipitis poli*. Dicitur *polus præceps*, quia ad axem rapide vergit et inclinatur. At *polus*, sumitur hic pro toto cælo.

250. *Tuque*. Phœbe.

251. *Bis sena signa*. Zodiaci. — *Vario*, quia duodecim signa, vicibus alternis, percurrit.

252, 253. *Qui tarda*, etc. Similia fere videas apud Thyestem, vs. 838, ubi fusius descripta sunt lunaris cursus phænomena. Vol. I, huj. edd. p. 304, 305.

254. *Quique*, etc. Neptunus, non

Æquor per altum cærulos currus agis;
Et qui carentes luce disponis domos,
Adeste. Cujus Laius dextra occidit,
Hunc non quieta tecta, nou fidi lares,
Non hospitalis exsulem tellus ferat;
Thalamis pudendis doleat et prole impia;
Hic et parentem dextera perimat sua;
Faciatque (num quid gravius optari potest?)
Quidquid ego fugi. Non erit veniæ locus:
Per regna juro, quæque nunc hospes gero,
Et quæ reliqui; perque penetrales Deos;
Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi

Æolns, ut iudicatur per *cærulos currus*, in vs. sq.

256. *Et qui*, Pluto. — *Carentes luce domos*. Infernas et Tartareas sedes.—*Disponis*. Regis arbitrio tuo.

257 sq. *Cujus Laius dextra occidit*, etc. Diras ejusdem generis pronnntiat OEdipus, in tragœdia nostrat. *Voltaire*, act. I, sc. III : « Et vous, Dieux des Thébains, Dieux qui nous exaucez, Punissez l'assassin, vous qui le connaissez. Soleil, cache à ses yeux le jour qui nous éclaire! Qu'en horreur à ses fils, exécrable à sa mère, Errant, abandonné, proscrit dans l'univers, Il rassemble sur lui tous les maux des enfers; Et que son corps sanglant, privé de sépulture; Des vautours dévorants devienne la pâture! » Sed quæ accumulantur in Seneca imprecationes, quum sint minus generaliter dictæ, majorem habent terrorem et affectum. Quas scilicet inscius interfectori Laii imprecatur OEdipus, ut in suum ipsius caput recident, ita in se ipso tantum possunt adimpleri. Sic est de thalamis perdendis, prole impia, parente interemto, infr. vs. 260, 261 et 262.

259. *Non hospitalis tellus*. Nec enim admiserunt eum Athenienses, ut habet Sophocles in OEd. Colon. FARN.

263. *Faciatque quidquid ego fugi*. Parricidium et incestum quæ se effugisse credit. Sup. v. 12: « Quam bene parentis sceptra Polybi fugeram! » et ibi vid. not.

264. *Quæque*, Thebarum nempe. — *Gero*. Regna gerere dicit Tibulliana locutione, Eleg. I, IX, 80: « Et *geret* in gremio *regna* superba tuo. » BADEN.

265. *Et quæ*. Corinthi. — *Penetrales deos*. Penates, quibus secretissimi penetralium recessus consecrabantur.

266. *Pater Neptune*. Pater dicitur Neptunus, seu quia aquam significat, et ex aqua oriri cuncta quidam philosophi voluerunt, ideoque Homerus, Ὠκεανός θ', ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται, et Virgilius, Georg. IV, 382, *Oceanumque*

Utrinque nostro geminus alludis solo.
Et ipse nostris vocibus testis veni,
Fatidica vatis ora Cirrheæ movens.
Ita molle senium ducat, et summum diem
Securus alto reddat in solio parens,
Solasque Merope noverit Polybi faces,
Ut nulla sontem gratia eripiet mihi.
Sed quo nefandum facinus admissum loco est,
Memorato. Aperto Marte, an insidiis jacet?
CR. Frondifera sanctæ nemora Castaliæ petens,
Calcavit arctis obsitum dumis iter,

patrem rerum; seu quia sic generaliter vocabantur dii omnes, tanquam audivissent protectores, fautores; seu denique quia præcipua Corinthum tutela ambiret Neptunum, cui in ea urbe, Isthmiaci celebrabantur ludi. — *Fluctu brevi.* Vocatur *brevis fluctus* qui allambit utrinque Corinthum, ex hujus civitatis situ. Isthmi scilicet angustissimum est solum; at infra supraque in latiorem illud divaricatur amplitudinem; ita ut fluctus maris nonnisi per sinum ex utraque parte maxime contractum, ad ipsa Corinthi mœnia possint pervenire, nec nisi parvo, *brevi fluctuum* agmine, mœnia alluantur.

267. *Nostro*, patrio, ut saltem credit Œdipus.

268. *Veni*, adesto.

269. *Cirrheæ*. A Cirrha, Phocidis oppido, ubi Apollinis oraculum. — *Fatidica vatis ora movens.* Tu qui reseras, ad futuri prædictionem, os præsagum sacerdotis tuæ.

270 sqq. *Ita*, junge cum τῷ *ut*, vs. 273; et totum illud intellige: « sic pater meus (ut putavit) Polybus, non a me interficiatur, immo felici senectute functus, tranquille exigat vitam in solio; sic Merope, mater non mihi nupta, solas noscat nuptias Polybi, ut ego non pepercero interfectori Laii. » — *Summum diem.* Certe summus dies, hic est dies mortis, quemadmodum et Martiali, X, XLVII, 13: « Summum nec metuas diem, nec optes. » GRUT. — *Reddat.* Lucretius *vitam reddere* dixit, lib. VI, vs. 1196: « Aut etiam nona *reddebant* lampade *vitam*. » Valer. Maximus autem *lucem reddere*, lib. IX, 12, initio: « Eum demum felicem fuisse judicamus, cui et accipere lucem prospere, et *reddere* placide contigit. » BADEN.

275. *Jacet*, interemtus, scilic. Laius.

276. *Frondifera*, laurifera, sup. vs. 16. — *Sanctæ*, sup. vs. 229. — *Petens.* Laius ad oraculum Delphicum proficiscens.

277. *Arctis*, spissis. Quomodo Silius loquitur, X, 82: « Deprendit *spissis* arcana cubilis *dumis.* »

Trigemina qua se spargit in campos via.
Secat una gratum Phocidos Baccho solum,
Unde altus ima deserit, cælum petens,
Clementer acto colle, Parnassos biceps.
At una bimares Sisyphi terras adit,
Olenia in arva. Tertius trames cava
Convalle serpens tangit errantes aquas,
Gelidumque dirimit amnis Ilissi vadum.
Hic pace fretum subita prædonum manus,
Aggressa ferro, facinus occultum tulit.
In tempore ipso, sorte Phœbea excitus,
Tiresia tremulo tardus accelerat genu,

278. *Trigemina.* Pausanias ait Σχιστὴν vocari viam, in qua Laius occisus, et sic dirimi, ut alia in Bœotiam, alia Corinthum, alia in Atticam vertatur. Verum illam viam aliunde alii deducunt: sententiarum de hac re varietatem exposuit Valcknaer. ad Eurip. Phœn. v. 38. Bad.

279. *Gratum Baccho.* Quia ibi felicissimus erat vitium proventus.

280. *Ima*, valles, planitiem. Legunt alii *arva*. Vid. Animadv.

281. *Clementer*, clivo molli, facili: de Parnasso, cf. sup. vs. 227.

282. *Bimares Sisyphi terras.* Corinthum quam condidit Sisyphus.

283. *Olenia in arva.* Est Olenus Achaiæ, quam intelligit Seneca, non Bœotiæ; vid. Animadv.

284. *Err. aquas*, Ilissi, quem cum Mæandro comparat, Hipp. vs. 14.

285. *Dirimit Ilissi vadum.* Varios sequitur flexus quos internectit Ilissus, et ideo quasi multoties dirimit hunc fluvium. Vid. Animadv.

286. *Hic*, hoc loco. — *Pace fretum*, supp. Laium. — *Prædonum manus.* Objici posset Senecæ idem quod objicit Sophocleo OEdipo nostras *Voltaire*, *Lettres sur OEdipe :* « Comment peut-il se faire qu'on dise que Laïus a été accablé sous le nombre, lorsqu'il est pourtant vrai que c'est un seul homme qui l'a tué? » Sed apud Senecam non ab eodem homine, nec eadem utriuque argumentorum auctoritate duplex occisionis genus enarratur, neque ergo sibi Seneca contradicit. Quod dicit hic Creo, oppressum fuisse Laium a prædonibus, accepit tantum auditu, nec fuit pars aut testis; dum auctor vult fidem adhibendam OEdipo soli, qui confitetur, infra vs. 769, « cecidisse sui stipitis pulsu obvium senem. » Et nemo producitur qui narrationem hanc novissimam aut redarguat, aut possit redarguere.

287. *Facinus occultum tulit.* Id est, clam commisit.

288. *In tempore ipso.* Peropportune. — *Sorte Phœbea excitus.* Oraculo Phœbi monitus et accitus.

289. *Tiresia.* Vates Thebanus, Penco patre genitus. Cæcatus fuit

Comesque Manto, luce viduatum trahens.

ŒDIPUS, TIRESIAS, MANTO.

OED. Sacrate Divis, proximum Phœbo caput,
Responsa solve; fare, quem pœnæ petant.
TIR. Quod tarda fatu est lingua, quod quærit moras,
Haud te quidem, magnanime, mirari addecet:
Visu carenti magna pars veri latet.
Sed quo vocat me patria, quo Phœbus, sequar.

ira Junonis, ut volunt alii; Palladis, ut alii, qnia viderat Palladem, dnm vestiretur. Illi scire fntura Jupiter dederat, crimenque honore levaverat. — *Genu.* Vid. Animadv.

290. *Comes.* Filia patrem ducens. — *Manto.* Filia Tiresiæ, a cujus lacrimis denominatam *Claron*, sacram Apollini, ex scriptore Thebaidis refert Scholiast. Apollonii, in lib. I, vs. 308. Etsi Nearchus et Theopompus aliter, nt refert idem Schol. rara quædam adferens. Vid. etiam Pausan. in Ach. qui prodit: « Qunm Thebas Thersander, Polynicis filius, et Argivi cepissent, inter captivos Delphos abdnctam Manto, qnum ejus pater Tiresias ad Haliartnm in via fato fuisset fnnctus. Jussi ab oraculo captivi in Asiam coloniam ducere, eo transmisere. Ad Claron inde positis castris, Cretenses cum exercitu occurrere, eosque ad Rhacium deduxere; qui Manto sibi in conjnginm accepit et ex ea Mopsnm genuit. DELR. — *Luce viduatum.* Tiresiam cæcum fnisse nemo negat; sed in cæcitatis causa tradenda dissentinnt Callimachns in hymno, Εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος, Homeri Scholiast. Odyss. K; Nonnus, Dionys. E. Lncian. in Astrol. Apoll. Bibl. lib. III; Ovid. Met. III, 338. Vide Politiannm in Miscell. 89, et Falck. in Nonnnm. DELR.

Act. II, sc. II. Tiresias per aruspicinm eruere Laii interfectorem tentat; sed re propter tristia extispicia infecta, ad necromantiam se convertit.

291. *Sacrate Divis.* Ὦ πάντα νωμῶν Τειρησία διδακτά τε, Ἄῤῥητά τ' οὐράνιά τε, etc. Sophocles, vs. 308 sq. in Œdipo tyranno, nnde pleraqne hujus tragœdiæ desumpta sunt. FARN. — *Proximum Phœbo caput.* In divinatione Apollini secnndum. Nam et Tiresiæ oracnlnm fuit. FARN.

292. *Solve*, enoda, explica; ut sup. vs. 102: « Ac triste carmen alitis solvi feræ. » — *Quem pœnæ pet.* sc. quis sit ille Laii interfector.

293. *Tarda*, etc. Vid. Animadv.

295. *Visu car.* Mihi cæco, sup. 290. — *Carenti.* Codices fere *carentem.* Vid. Animadv.

296. *Patria* mea, cujus tanti interest nt detegatur nocens. — *Quo Phœbus.* Accelerabat enim, sorte Phœbea excitus, sup. vs. 288.

Fata eruantur. Si foret viridis mihi
Calidusque sanguis, pectore exciperem Deum.
Appellite aris candidum tergo bovem,
Curvoque nunquam colla depressum jugo.
Tu, lucis inopem, nata, genitorem regens,
Manifesta sacri signa fatidici refer.
MAN. Opima sanctas victima ante aras stetit.
TIR. In vota superos voce solemni voca,
Arasque dono turis Eoi exstrue.
MAN. Jam tura sacris cælitum ingessi focis.
TIR. Quid flamma? largas jamne comprendit dapes?
MAN. Subito refulsit lumine, et subito occidit.
TIR. Utrumne clarus ignis, et nitidus stetit,
Rectusque purum verticem cælo tulit,
Et summam in auras fusus explicuit comam?

297. *Fata eruantur*, e visceribus hostiarum inspectis.

298. *Si foret... exciperem deum.* Excusat se Tiresias per senium et cæcitatem non valere vaticinio; et quidem nihil poterat esse quo magis corpus dafatigaretur quam vaticinium, ubi, « pectus anhelum, rabie fera corda tument, etc. » Vult fata exquirere per extispicia.

299. *Appellite aris*, etc. Alloquitur ministros sacrificiorum.

301. *Tu*, Manto.

302. *Sacri fatidici.* Sacrificii, quod fata indicare debet. — *Stetit.* Placida, non reluctans. Conf. infra vs. 336.

304. *In vota superos... voca.* I. e. ora ut superi suscipiant, quæ illis vovemus, nosque votorum compotes faciant. Sic sæpe apud Virgilium.

305. *Eoi*, Sabæi. — *Aras exstruere dono.* Vox est in tali re solemnis. Virg. Æn. V, 54: « ... struemque suis altaria donis. »

307. *Quid flamma*, supp. fecit. — *Largas jamne comprendit dapes*, etc. Habes in iis quæ sequuntur, *pyromantiæ*, *capnomantiæ* et *hieroscopiæ* accuratissimam descriptionem. De duobus prioribus, vide quid retulerimus in notis ad Thyest. vs. 774, vol. I, pag. 297. Hieroscopia, extispicium est.

308. *Subito refulsit lumine*, etc. Nempe ipsa flamma; signum triste, Œdipo portendens subitam ruinam e statu regio, quo subito evectus fuerat.

310. *Rectusque purum*, etc. Simile ostentum Atreo provenisse narratur, Thyest. vs. 774: « ... ipse fumus tristis, ac nebula gravis Non rectus exit, seque in excelsum levans, Ipsos Penates nube deformi obsidet. » BADEN.

311. *Comam*, flammarum apicem.

An latera circa serpit incertus viæ,
Et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. Non una facies mobilis flammæ fuit:
Imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curvata, picto nuntiat nimbos sinu.
Quis desit illi, quisve sit, dubites, color;
Cærulea fulvis mixta oberravit notis,
Sanguinea rursus, ultima in tenebras abit.
Sed ecce pugnax ignis in partes duas
Discedit, et se scindit unius sacri
Discors favilla. Genitor, horresco intuens:
Libata Bacchi dona permutat cruor,
Ambitque densus regium fumus caput.
Ipsosque circa spissior vultus sedet,
Et nube densa sordidam lucem abdidit.
Quid sit, parens, effare. TIR. Quid fari queam,
Inter tumultus mentis attonitæ vagus?

312. *Latera*, altaris.—*Fluctuante*, non recta ascendente. FARN.

315. *Imbrifera*, pluviæ prænuntia, jam in pluviam resolvi parata.

316. *Parte magna*, per magnam partem.

318. *Desit*, mox scilic. elapsus. — *Illi*, flammæ. — *Sit*, nunc.

320. *Ultima*, ad ultimum, quum jamjam exstinguenda videtur.

321. *Ecce pugnax ignis in partes duas.* Mutuum portenditur Polynicis et Eteoclis odium, quod etiam durasse videtur post eorum mortem; rogi flamma, quo cremabantur ambo, se in duas partes scindente. Lucan. lib. I, 544 sq. « ...vestali raptus ab ara Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogos. » DELR.

322 sq. *Unius sacri discors favilla.* I. e. flamma quæ uni prodesse sacrificio debuit, nunc dividitur.

324. *Libata Bacchi.* Virg. Æn. IV, 454-5: « Horrendum dictu, latices nigrescere sacros; Fusaque in obscœnum se vertere vina cruorem. »

325. *Fumus.* Vid. Thyest. loco sup. citato, not. 301.

327. *Nube densa.* Legunt alii, *tensa.* Vid. Animadv. — *Sordidam lucem.* Flammam tenebricosam.

328. *Effare.* Plus est quam *loqui*; et hic significat, προφητεύειν.

329. *Vagus*, incertus, quomodo interpreter. Senec. pat. Contr. IV, p. 289: « Confusum adolescentem subito, et tanto tumultu parum

Quidnam loquar? Sunt dira, sed in alto, mala.
Solet ira certis numinum ostendi notis.
Quid istud est, quod esse prolatum volunt,
Iterumque nolunt, et truces iras tegunt?
Pudet Deos nescio quid. Huc propere admove,
Et sparge salsa colla taurorum mola.
Placidone vultu sacra et admotas manus
Patiuntur? MAN. Altum taurus attollens caput,
Primos ad ortus positus, expavit diem,
Trepidusque vultum solis et radios fugit.
TIR. Unone terram vulnere afflicti petunt?
MAN. Juvenca ferro semet imposito induit,
Et vulnere uno cecidit; at taurus, duos

sibi constitisse. » Boeth. de Consol. p. 952 : « Quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt. » BAUER.

330. *In alto.* In profunda futuri caligine recondita.

332. *Quid istud est*, malum.

333. *Iterumque nolunt.* Sequentibus enim signis offuscant priora; et huc referri potest, illud, vs. 320, « ultima in tenebras abit. » FARN.

334. *Pudet deos nescio quid.* Alludit ad incestum OEdipi cum sua matre conjugium.—*Admove.* Videtur sumptum pro, *admove te*, *accede*, et alloquitur Mantoa Tiresias; vel subaud. *tauros*, de quibus vs. sq.

335. *Et sparge salsa mola.* Quid sit *molæ*, unde factum fuit *immolare*, quis fuerit hic sacrorum ordo, vid. ad Thyest. vs. 688, 689, in not. (vol. I hujus ed. p. 287, 288).

336. *Placidone vultu*, etc. In sacris faciendis sedulo observabant Veteres quinam esset victimarum motus : utrum sequerentur sponte placideque ad aram starent, an contra reluctarentur tentarentque effugere, etc. ut inde læta vel infausta præsagia caperent.

338. *Ad ort.* ad orientem versus.

339. *Vultum solis et radios.* I. e. vultum radiantem solis, ἓν διὰ δυοῖν. Senecam hac figura delectari vidimus, et multoties notavimus, præsertim Thyest. vers. 833, ubi vid. not. (vol. I, p. 303). — De lectionibus hujus loci, vid. Animadv.

340. *Unone*, etc. Quotenis ictibus caderent victimæ, observatum etiam in aruspicina.

341. *Juvenca*, etc. Prænuntiat mortem Jocastæ, quæ se filii gladio confodit. Proditum est veteres, quum superis deis immolarent victimas, supinarum jugulum sursum convertisse; quum inferis sacrificarent, earumdem collum deorsum terram versus deprimere solitos. Ergo Noster dixisse debuit *imposito*, quum agat de superorum sacrificio, quo culter hostiæ collo quasi imponebatur. — Vid. Anim.

Perpessus ictus, huc et huc dubius ruit,
Animamque fessus vix reluctantem exprimit.
TIR. Utrum citatus vulnere angusto micat,
An lentus altas irrigat plagas cruor?
MAN. Hujus per ipsam, qua patet pectus, viam
Effusus amnis; hujus exiguo graves
Maculantur ictus imbre : sed versus retro
Per ora multus sanguis atque oculos redit.
TIR. Infausta magnos sacra terrores cient.
Sed ede certas viscerum nobis notas.
MAN. Genitor, quid hoc est? Non levi motu, ut solent,
Agitata trepidant exta; sed totas manus
Quatiunt, novusque prosilit venis cruor.
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet;
Liventque venæ; magna pars fibris abest;

345. *Micat*, emicat, exsilit cruor.

346 sq. *An lentus altas irrigat plagas cruor.* An lente fluit, circa, propter, secundum grande vulnus. Et videtur fuisse Nostro ea mens, ut inter se opponerentur *citatus*, vs. præcedentis, et *lentus; vulnere angusto*, et *altas plagas*. Confirmatur sensus quem damus voci *plagas*, in vss. 348, 349, per τὸ *graves ictus*. Priorem totius hujus loci partem non satis intellexit interpres gallicus, et *altas plagas* accepit pro *altari*, nulla, quam sciamus, auctoritate. Et quidem, nos diu in hac voce hæsitantes impulit, quod voces *vulnere ictus*, indicarent *plagas* sumi debere pro spondeo, et igitur pro *vulnere*, non pro iambo, ut videtur accepisse interpres gallicus, reliquis cæterum Senecæ editoribus ad hunc locum universe conticentibus.

349. *Versus retro.* Viam retorquens e cervice in caput, et erumpens inde per os et oculorum orbes. Alludit ad OEdipum, qui mox ipse sibi oculos effodiet.

352. *Ede*, dic.

353. *Non levi motu*, etc. Hanc inspectionem rite fieri putabant, si adhuc vivæ pecudis utero erepta exta, palpitarent trepidarentque. Hic dicitur, *non levi motu*, quia ingentes tumultus instabant. DELR. — *Ut solent*, quando læta prænuntiantur.

354. *Exta.* Ex visceribus, proprie cor, jecur et pulmo vocantur exta; quia hæc maxime *exstantia*, diis prosecabantur. FARN.

355. *Novus*, non solitus, nec usitati coloris. Eodem ferme sensu vidimus hanc vocem, sup. vs. 45.

356. *Mersum.* In penitiori pectoris recessu.

357. *Liventque venæ.* Plena hæc est Senecæ ominosorum extorum

Et felle nigro tabidum spumat jecur;
Ac (semper omen unico imperio grave),
En capita paribus bina consurgunt toris:
Sed utrumque cæsum tenuis abscondit caput
Membrana, latebram rebus occultis negans;
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit: has omnes retro
Prohibens reverti limes obliquus secat.

descriplio : cnm qua videtur certare volnisse Lucanns, lib. I, quem fuerit non inntile cum eo conferre : « Terruit ipse color vatem : nam pallida tetris Viscera tincta nolis, gelidoque infecta cruore Plurimus asperso variabat sanguine livor. Cernit tabe jecur madidum, venasque minsces Hostili de parte videt. » Delr.

359. *Unico imperio grave.* Unicum, id est, unius imperio snbditnm. Fel nigrum, et bina in felle capita, prænuntiant Eteoclis et Polynicis dissidinm, qui de paternis regnis inexpiabili odio pugnabunt.

360. *Capita bina.* Scilicet, jecinore cæso, intersecto, duo exstant capita.

361, 362. *Sed utrumque*, etc. Ordo est : « sed membrana tennis, negans lstebram rebus occultis, abscondit ntrumque caput cæsum. — *Negans lateb. reb. occult.* Intellige, quæ negat latebram reb. occ. i. e. « quæ non sinet semper latere, » et, sensu latiori : « qnæ indicat explicandas nuper esse res, quæ hodie occultantur. » Et sic gallico sermone redderemns locum psulo, cæterum, incertiorem, ut fatemur : « mais cette double intersection est voilée d'une membrane, dont la légèreté garantit l'éclaircissement d'nn mystère encore inconnn. » Nihil auxilii collegimus ex interpretatione *J. B. Levée*, qui obscuritatem hujus loci aut non suspicatus est, aut non aggressus est discntère : « mais cette membrane légère qni les recouvre l'une et l'autre, nous dérobe sans donte quelque grand mystère dans les ténèbres. » Commentator demum est nnllns, qui *latebram rebus occultis negans*, explicaverit. — Existimabant antem jecinoris capnt non apparens, grave infortnninm portendere. Et vid. ad Delrii notas, qui multa congessit super ea re deprompta ex annalibus exempla.

363. *Hostile latus.* Arnspices dividebant in duas partes exta victimarum. Hanc partem amicis tributam *familiarem*, illam inimicis *hostilem* vocabant; deinde ex utriusqne partis habitu eventura conjiciebant.

364. *Septemque venas tendit*, etc. Prætendit venas salientes, et valido impetn motas, qnod ariolatur vires adversæ partis, scil. Polynicis, cum sex aliis ducibus, quos *septem venæ* denotant.

365. *Limes.* Fissum, linea seu

Mutatus ordo est, sede nil propria jacet,
Sed acta retro cuncta : non animæ capax
In parte dextra pulmo sanguineus jacet.
Non læva cordi regio; non molli ambitu
Omenta pingues viscerum obtendunt sinus.
Natura versa est, nulla lex utero manet.
Scrutemur, unde tantus hic extis rigor.
Quod hoc nefas? conceptus innuptæ bovis,
Nec more solito positus, alieno in loco
Implet parentem. Membra cum gemitu movet.
Tremulo rigore debiles artus micant;
Infecit atras lividus fibras cruor;
Tentantque turpes mobilem trunci gradum,

trames quidam imaginarius, exta et fibras bipartito dividens et intersecans, quem frustra quæras in vera corporis dissectione. Meminit Cicero in lib. de Div. et de Natura Deorum; fissum hoc dividebant etiam in familiare et vitale, ut notat Turnebus, lib. IV, c. 18; et *vitale* dictum putat cæterorum extorum; familiare, tantum jecoris: et nititur auctoritate Lucani; et Ciceronis, qui inquit : « Fissum familiare et vitale tractant. » DELR. — *Obliquus.* Hostilis, vel transversus quum sit, ostendit hostes non reversuros. Ceciderunt autem duces ante Thebas ad unum Adrastum.

366. *Ordo*, variarum interni corporis partium.

367 sq. *Acta retro*, inversa. — *Non animæ capax*, etc. Ordo est : « Pulmo, *qui solet esse* capax animæ, *spiritus et aeris vitalis*, *nunc* sanguineus, non jacet in parte dextra *naturali habitu.* »

370. *Omenta*, membranæ sunt quæ viscera continent. Sic autem h. l. ea fatiscere dicuntur, ut, quæ debebant obnubere viscera, rimis suis illa potius prodant. Solent esse tactu mollia, ut pinguiora. Sed nunc sunt rigida et aspera, *non molli ambitu.*

371. *Nulla lex utero manet.* Hæc intellige de Jocastæ partu ex illicito concubitu. Ita loquitur, postquam, relicto tauro, accedit observatura juvencam.

373. *Conceptus innuptæ bovis*, etc. Duplex monstrum, quod nec suo loco fœtus, *alieno in loco*, vs. sq. nec in vacca; supra enim, v. 341, *juvencam* appellavit.

375. *Implet*, supra modum gravat. — *Movet.* Alii de juvenca hoc loco agi credunt; alii de *conceptu*, *fœtu*, et sic intelligit interpres gallicus.

376. *Micant*, quasi subsultim procedere conantur.

378. *Turpes trunci*, etc. Victima

Et inane surgit corpus, ac sacros petit
Cornu ministros. Viscera effugiunt manum.
Neque ipsa, quæ te pepulit, armenti gravis
Vox est, nec usquam territi resonant greges:
Immugit aris ignis, et trepidant foci.
OED. Quid ista sacri signa terrifici ferant,
Exprome. Voces aure non timida hauriam:
Solent suprema facere securos mala.
TIR. His invidebis, quibus opem quæris, malis.
OED. Memora, quod unum scire cælicolæ volunt,
Contaminarit rege quis cæso manus.
TIR. Nec alta cæli quæ levi penna secant,
Nec fibra vivis rapta pectoribus potest
Ciere nomen. Alia tentanda est via.
Ipse evocandus noctis æternæ plagis
Emissus Erebo, ut cædis auctorem indicet.
Reseranda tellus; Ditis implacabile
Numen precandum; populus infernæ Stygis
Huc extrahendus. Ede, cui mandes sacrum.

seminex surgere et effugere conatur, sed frustra. — *Turpes trunci*, quid scil. turpius quam moles orba capite et cultro atrociter laniata?

379. *Inane*, jam extractis extis.

381. *Quæ te pepulit.* Quam audisti.—*Armenti... Vox est*, intellige, ea est quæ audiri solet ex armentis. — *Nec usquam*, et nusquam.

386. *Suprema*, extrema. — *Facere securos*, timore eximere.

387. *His invidebis*, etc. Sensus est : « non sunt hæc extrema mala ; verum ea imminent, quæ si præsentibus conferantur, bona sunt, habesque cur his invideas. »

388. *Q. unum*, jam expone quod unum me dii scire volunt.

390. *Nec quæ secant.* Supp. animalia.—*Alta cæli*, summum aera; augurium, per avium volatus.

391. *Fibra.* Aruspicina. — *Vivis rapta pectoribus.* Rapi illa consuevisse, ut spirantia et palpitantia consulerentur multis variorum locis probatur; quorum præcipua indicavimus ad Thyest. 755, 756 (edit. nost. vol. I, p. 295).

392. *Ciere*, evocare, explicare, indicare. — *Nomen* regicidæ.

393. *Ipse.* Per necromantiam, vel sciomantiam evocandus est ab inferis Laius, vel umbra Laii. — *Noct. ætern. plag.* Regionibus, ubi regnat nox æterna.

397. *Ede.* Œdipum alloquitur.

Nam te, penes quem summa regnorum est, nefas
Invisere umbras. OED. Te, Creo, hic poscit labor,
Ad quem secundum regna respiciunt mea.
TIR. Dum nos profundæ claustra laxamus Stygis,
Populare Bacchi laudibus carmen sonet.

CHORUS.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Mollia Nysæis armatus brachia thyrsis,

— *Sacrum*, i. e. munus evocandi Laii.

398. *Nam te.* Hic Delrius : « Nota regibus non licuisse interesse sacris inferorum ; quibus Manes invocabantur. Nam inferos adiere (secundum poetas) Æneas et Ulysses. Fortassis tectum quid et ingeniosum hic latet, et in adulationem principis ; quem negat fas adire inferos. Mos enim jam invaluerat, mortuos imperatores numero deorum adscribere. An etiam respexit ad Dialis flaminis conditionem? cui certe non licuit locum, in quo bustum erat, unquam ingredi, neque mortuum attingere, ut Gellius refert. Sed prius illud magis placet.» Tum contra Gruterus : « Commentatores quærunt caussas, nec explicant. Ego puto simpliciter, quia haud licitum regibus videre aut tractare feralia, non magis quam imperatoribus *auguratu vetustissimisve cærimoniis præditis*, ut loquitur Tacitus, Annal. lib. I, LXII, in fine.

399. *Te, Creo.* Sufficit huic negotio Creon.

400. *Secundum*, post me. — *Respiciunt*, pertinere debent.

402. *Populare Bacch. laud.* etc. Ordo est : « carm. pop. son. laud. Bacchi. » Et *sonare laudibus*, est, concinere laudes. — *Populare*, Thebanis peculiare et solitum. — Fuit semper illud carminibus et musicæ proprium, ut sublimiorem sacerdotibus divinis spiritum inspirarent, et vaticinandi aut Manes invocandi laborem æstuosum allevarent. Sic in pulcherrima illa tragœdia, quam noster Racinius inscripsit *Athalie*, inducitur summus pontifex Joad Levitarum carmina concentusque exposcens, quo lucidius mente fatidica futuri arcana prospiciat, act. III, sc. VII : « Est-ce l'esprit divin qui s'empare de moi ?... Lévites, de vos sons prêtez-moi les accords, Et de ses mouvements secondez les transports. »

Act. II, sc. III. Canit chorus dithyrambum, qui Bacchi gesta et inventa continet. Et hymnus quidem ille animosum et aliquid grande sonat. Conf. cum sexto Homeri hymno, quem versibus latinis reddidit Hier. Vida.

403. *Corymbo.* Dicitur *corymbus* quidquid per racemos colligitur ; et hic intelligitur de uvis.

404. *Armatus*, ut possit explicari, salvis grammaticæ regulis, no-

Lucidum cæli decus, huc ades votis,
 Quæ tibi nobiles Thebæ, Bacche, tuæ
  Palmis supplicibus ferunt.
Huc adverte favens virgineum caput;
Vultu sidereo discute nubila,
 Et tristes Erebi minas,
 Avidumque fatum.
Te decet vernis comam floribus cingi;
 Te caput Tyria cohibere mitra;
 Ederave mollem baccifera
Religare frontem;
 Spargere effusos sine lege crines,

minativus hic, jungas necesse est cum *ades*, vs. 405: « huc ades, armatus, etc. » Vid. Animadv.—*Nysæis*. Id est, quos primum vibrare incepisti prope Nysam. Decem Nysæ erant, ait Farnabius. Quoties autem nullo adjecto restringitur, Arabiæ illa intelligenda est, prope quam in antro Bacchus a nymphis est enutritus; vel Indica a Libero patre condita. —*Thyrsis*. Erat thyrsus lancea ederæ frondibus occultata, ut edera amicis metum tolleret; hostibus, dolosa cuspis lanceæ vulnus infligeret. Ab hoc thyrso Bacchus *Thyrsiger*, Bacchæ *Thyrsigeræ* Latinis. Delr. — Vide cæter. Nostri Hercul. Fur. vs. 474 (edit. huj. vol. I, p. 56).

405. *Lucidum cæli decus*. Ex Horatio translatum est, Carm. Sæcul. vs. 2, ubi Senecam laudans Mitscherlichius bene observat, Bacchum ita indigitari ob *vultum sidereum*, vs. 409, scil. *perpetuam juventutem*.

406. *Thebæ tuæ*, etc. tua patria, ubi natus es e Thebanorum regina.

408. *Virgineum*. Tam pulchrum quam virginis.

409. *Sidereo*. Splendido, semper nitido, ut est sidus.

411. *Avidum fatum*. Mortem insatiabilem.

412. *Te decet cingi*. I. e. multo cum decore, multa cum Venere cingeris. Bene hunc locum vertit *Lévée*: « Comme les fleurs printanières, comme cette mitre Tyrienne et ce lierre chargé de grappes relèvent la beauté de tes traits! »

413. *Mitra*. Vox Syriaca, tam matrum quam virginum ornamentum, quo caput vinciebant, significans; latine, *vitta*; et *Tyria* intellige, purpurea vel Phœnicea. Cf. item de *mitra* Herc. Fur. vs. 471.

414. *Edera*. Edera, quæ baccas, aut corymbos nigros fert, corona erat Bacchi; vel propter similitudinem quam habent folia et fructus cum vite; vel quod corollæ ederaceæ, insita frigiditate vapori resistunt, vinique potentiam sistunt. Farn.

416. *Spargere*. Sub. decet.

Rursus adducto revocare nodo.
Qualis iratam metuens novercam
Creveras, falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona.
Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste quum longa tegeres leones,
Omnis Eoæ plaga vasta terræ,
Qui bibit Gangem, niveumque quisquis
Frangit Araxen.
Te senior turpi sequitur Silenus asello,
Turgida pampineis redimitus tempora sertis.
Condita lascivi deducunt orgia mystæ.
Te Bassaridum comitata cohors,

417. *Adducto nodo*, scitic. capillorum.

418. *Novercam*, Junonem, infestam pellicibus filiisque Jovis.

419. *Creveras*, sc. latitans in antro Nysæo. — *Falsos artus*, virginis mollem habitum simulans, vs. sq.

422. *Inde*, ex ista puerilium annorum consuetudine. — *Placuere*, tibi jam non virginis specie latenti.

423. *Sinus laxi*, i. e. toga sinibus laxatis. — *Syrma*. Vide quid sit ad Hercul. Fur. vs. 475, in not. vol. I, pag. 56.

424. *Vidit*, supp. *te*.

425. *Leones*, qui currum tuum trahebant.

426. *Eoæ*, Orientalis; et de India maxime agitur et Scythia.

428. *Araxen*. Armeniæ fluvium, nivibus auctum vel frigidum; vel gelu constrictum; addit enim *frangit;* vel quem ratibus secat; vel respicit ad nomen fluvii, ab ἀράσσω, *frango*. Farn.

429. *Silenus*, nutritor Bacchi.

431. *Condita*, non nisi initiatis revelanda; variis obsita frondibus; non sub Dium rapienda. Farn. — *Orgia*, Bacchanalia; ab ὀργῆς furore, vel τῶν ὀρῶν montibus qui resonant nocturno bacchantium clamore; vel ἀπὸ τοῦ εἴργειν, ab arcendo a mysteriis profanos. Farn. — *Mystæ*, mysteriorum periti, initiati sacris, a μυέω. Farn.

432. *Bassaridum*. Bacchi ministrorum, ἀπὸ τοῦ βάζειν, a vociferando: vel a vulpinis pellibus quibus cingebantur: *Bassares* enim Thracibus sonat *vulpes* (qua ratione et scortum deducitur, et Bassaris pro meretrice sæpe usurpatur); alii a demissa et talari veste qua

Nunc Edoni pede pulsavit
Sola Pangæi; nunc Threicio
Vertice Pindi; nunc Cadmeas
Inter matres impia Mænas
Comes Ogygio venit Iaccho,
Nebride sacra præcincta latus.
Tibi commotæ pectora matres
Fudere comam; thyrsumque levem
Vibrante manu, jam post laceros
Pentheos artus Thyades œstro
Membra remissæ, velut ignotum
Videre nefas.
Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi,
Nereidumque choris Cadmeia cingitur Ino.
Jus habet in fluctus magni puer advena ponti
Cognatus Bacchi, numen non vile, Palæmon.

induebantur Bacchi ministri. FARN.

433. *Edoni*, Threicii.

434. *Sola*, terram. — *Threicio vertice Pindi*. Sic Schroderus : ἀπὸ κοινοῦ τὸ sola intelligi debet; ut sit : « sola Pindi vertice Threicio. »

435. *Cadmeas*, Thebanas.

436. *Mænas*, a μαίνεσθαι.

437. *Ogygio*. Thebano, ab Ogyge rege. — *Iaccho*, Baccho; ἀπὸ τοῦ ἰάχειν, a vociferatione ebriorum.

438. *Nebride*, hinnuli pelle, Baccho sacra, qua ipse amiciebatur; unde νεβρώδης dictus, et νεβριδόπεπλος. FARN.

439. *Tibi*, in tuum honorem; et junge cum *fudere*.

442 sq. *Thyades* (ait Pausan. in Phoc.) sunt Atticæ feminæ, quæ in Parnassum quotidie venientes, cum Delphicis mulieribus arcana Libero patri sacra peragunt. Sed poetæ latius sumere consueverunt; et agitur de mulieribus bacchico furore percitis. Quinque autem hi versus per paraphrasim sic possunt explicari : Dum in honorem tuum Thyades vibrabant levem thyrsum, remissæ sunt secundum membra, excussæ fuerunt œstro divino, postquam laceraverunt artus Penthei; et ita fuerunt remissæ, ut scelus illud, hanc cædem quum postea, placato corde, aspexerunt, viderint quasi facinus sibi omnino novum et ignotum.

445. *Matertera*, Ino, quæ se cum Melicerta, seu Palæmone filio in mare præcipitem dedit, ut Athamantis mariti furorem effugeret; et postea maris numinibus, Leucothoea nomine, annumerata est. Cf. Phœniss. vs. 23.

448. *Cognatus*. Sobrinus Palæ-

Te Tyrrhena, puer, rapuit manus,
Et tumidum Nereus posuit mare,
Cærula quum pratis mutat freta.
Hinc verno platanus folio viret,
Et Phœbo laurus carum nemus;
Garrula per ramos avis obstrepit;
Vivaces ederas remus tenet;
Summa ligat vitis carchesia;
Idæus prora fremuit leo;
Tigris puppe sedet Gangetica;
Tum pirata freto pavidus natat;
Et nova demersos facies habet.
Brachia prima cadunt prædonibus,
Illisumque utero pectus coit.
Parvula dependet lateri manus,
Et dorso fluctum curvo subit;
Lunata scindit cauda mare,

mon, factus deus maris Portumuus.

449-466. Narratur his versibus historia de Baccho, quæ sequitur: « Piratæ Tyrrheni rapuerant Bacchum in navim, dumque ipsum ligare vellent, Bacchus piratas in furorem vertit; quo correptis, mare visum est pratum floribus et arboribus consitum, mali in vites verti, remi in serpentes; jamque leo visus est proram obsidere, tigris puppim, quo attoniti dejecere se in mare et delphines facti sunt. » — *Tyrrhena manus.* Turba piratarum Tyrrhenorum.

451. *Posuit.* Intellige: Nereus placat mare, eo ipso quod mutat pratis freta cærula. Et ubique vividius sumitur præsens pro præterito.

452. *Hinc*, rebus ita mutatis.

455. *Vivac. eder. remus tenet.* Remi fiunt arbores quas amplectitur planta vivax edera.

456. *Ligat*, amplectitur. — *Carchesia.* Summam mali partem.

457. *Idæus.* Horrendus, qualis in Ida, monte Phrygio. — *Prora*, ad proram, quæ facta fuit pars soli.

458. *Gangetica.* Indica, a Gange flumine.

459. *Natat*, in undas insilit.

460. *Nova*, jam non humana. — *Dem.* simul atque demersi fuerunt.

461. *Prima*, primum. — *Cadunt*, abeunt, evanescunt.

462. *Illisum*, contractum.

463. *Parvula manus*, pinna. — *Curvo.* Propert. III, xv, 25: « Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas, In vada pampinea desiluisse rate. » Baden.

465. *Lunata*, falcata.

Et sequitur curvus fugientia carbasa delphin.
Divite Pactolus vexit te Lydius unda,
Aurea torrenti deducens flumina ripa.
Laxavit victos arcus Geticasque sagittas
Lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet.
Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.
Sensere terræ te Dacum feroces;
Et quos vicinus Boreas ferit
Arva mutantes; quasque Mæotis
Alluit gentes frigida fluctu;
Quasque despectat vertice summo
Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.
Ille dispersos domuit Gelonos;

466. *Fugientia carbasa.* Non eas solum naves quas conscendebat, dum fuit homo; sed omnes generatim.

467. *Vexit te*, sc. suum rectorem.

468. *Torrenti*, rapidissimo cursu delapsa.

469. *Laxavit*, te adveniente.

470. *Massagetes*, Scythiæ populus, qui lac commixtum potat cum sanguine equino. Claud. in Rufin. lib. I, 311: « ...qui cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes. »

471. *Regna securigeri*, etc. Thracia. Lycurgus, Dryantis filius, rex Thraciæ, Bacchum omni qua potuit injuria affecit, bello superavit, egit in exsilium, interfecit, ut scribit Jul. Firmicus, lib. de Mysteriis et erroribus prophan. rel. cap. 6. Verum Ethnici finxerunt contraria; victum Bacchi artibus Lycurgum contemptæ religionis gravissimas pœnas dependisse. Plutarchus, in lib. de Poet. leg. scribit eum, quum vites omnes e Thracia conaretur exscindere, sibi crura securi incidisse; huc Noster respicit. Hygin. cap. 132, tradit furore correptum, uxorem et liberos trucidasse, et a pantheris, quas Dionysus immiserat, in Rhodope laceratum. Apollodorus, Bibliothec. lib. III, ab equis in Pangæo discerptum; Homerus, vs. 139 (supra et infra), excæcatum duntaxat; alii sibi manus intulisse. Multa Eustathius, ad sext. lib. Iliad. loc. cit.

472. *Te Dacum*, etc. Sic Horat. loc. supra cit. « Te Dacus, te profugus Scytha, etc. »

474. *Arva*, sedem. De Scythis, et instabilibus eorum sedibus, vid. not. ad Herc. Fur. vs. 533, 534.

475. *Frigida.* Vide Animadv.

476. *Quasque despectat vertice summo.* Super quas directe impendet.

477. *Sidus Arcadium, geminumque plaustrum.* Sidera sunt Borealia, de quibus multa invenias ad vol. I hujus ed. p. 4, 17; Herc. Fur. vs. 6 et 131.

478. *Ille.* Bacchus. — *Gelonos*, Sarmatiæ populum.

Arma detraxit trucibus puellis :
Ore dejecto petiere terram
Thermodontiacæ graves catervæ,
Positis tandem levibus sagittis,
Mænades factæ. Sacer et Cithæron
Sanguine inundavit,
Ophioniaque cæde.
Prœtides silvas petiere : et Argos
Præsente Bacchum coluit noverca.
Naxos Ægeo redimita ponto
Tradidit thalamis virginem relictam,
Meliore pensans damna marito.

479. *Trucibus puellis.* Amazonibus.

480. *Ore dejecto.* Illud supplices potius designat, quam mortuas, quum tamen mortuas velint designari interpretes. Sed, si mortuæ, quomodo factæ Mænades, vs. 483? Nihil ergo certius, quam de supplicibus agi. — *Petiere terram*, i. e. ad Bacchi pedes procubuere. Virg. Æneid. III, 93 : « Submissi petimus terram. » Quod suum fecit Seneca, variaturus illud de Hippolyto dictum, Hercul. Fur. vs. 546 : « Victorem posito suspiciens genu. » Baden.

481. *Thermodontiacæ.* Vide Hercul. Fur. vs. 245. — *Graves catervæ.* Sunt catervæ fortes, bellicosæ; de quo significatu vide Servium ad Virg. Æn. V, 114; et XII, vs. 458.

483. *Cithæron.* Mons prope Thebas.

485. *Ophionia cæde.* Id est, cæde Thebanorum. Quia Ophion superstes fuerat ex iis, qui e serpentis dentibus nati sunt; et sumitur pro patre Thebanorum omnium, et ergo Penthei, comitumque illius, qui Bacchum contempserant.

486. *Prœtides silvas petiere.* Supp. antea, « Per vim et numen Bacchi. » Quum Prœti, Argivorum regis filiæ, Junonis formæ suam præferrent, eædemque Bacchum colere recusarent, injecit eis furorem Liber, ut sibi vaccæ visæ in silvas fugerent, et « implerent falsis mugitibus agros. » Hæc ultio Junoni adeo grata, ut deinceps privigno conciliata faveret. Farn.

487. *Præsente Bacchum coluit noverca.* Ipsi Argivi, tam manifesto numine Bacchi, Prœtidas ulciscente, commoti, quamvis peculiari Junonis in tutela essent, eamque, novercam scilicet illius, præsentem haberent, nihil offensam deæ veriti, coluere et ipsum, honoremque ei habuere. Gron.

488. *Naxos*, una e Cycladibus, in mari Ægeo.

489. *Tradidit thalamis*, obtulit quæ ipsi nuberet. — *Virginem*, Ariadnen. — *Relictam*, a Theseo.

489. *Meliore*, qui nempe serius

Pumice sicco
Fluxit Nyctelius latex.
Garruli gramen secuere rivi;
Combibit dulces humus alta succos;
Niveique lactis candida fontes
Et mixta odoro Lesbia cum thymo.
Ducitur magno nova nupta cælo.
Solemne Phœbus carmen
Edit infusis humero capillis.
Concutit tædas geminus Cupido.
Cælum deposuit Jupiter igneum,
Oditque, Baccho veniente, fulmen.
Lucida dum current annosi sidera mundi;
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem,
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes;

uxorem locavit cælo. Vide infra vs. 497. — *Damna*, Thesei infidi.

491. *Pumice sicco*. E saxo arido.

492. *Fluxit*, in insula Naxo.— *Nyctelius latex*. Fons, cui nomen Nyctelia.

493. *Garruli gramen secuere*, dulci murmure labeutes per gramina.

494. *Alta*, pro adverbio sumi debet : alte combibit.

495. *Candida*, refer ad *humus*, vs. præced. Nimirum candida lacte, quo fluxit. — *Fontes*, supple combibit.

496. *Lesbia*. Fragrantia vina, e Lesbo insula.

498. *Solemne carmen*. Epithalamium, in nuptias Ariadues et Bacchi. — *Edit*, canit.

499. *Infusis*, in colla profusis.

500. *Concutit tædas*. Faces nuptiales. — *Geminus Cupido*. Scis in nuptiis, ait Lipsius, faces præferri solere, plerumque a pueris. Huc respiciens, vult Bacchi et Ariadnes cœtui præluxisse Cupidinem utrumque. Anuon potius *geminus* intelligi, debet *mutuus;* vel ut Hippol. vs. 275, divinus hinc et inde vulgaris amor, ἔρως et ἀντέρως, quum præsertim de uno deo agatur, et de femina mortali?

501. *Cælum igneum*. Ignes quibus succendit cælum.

502. *Oditque fulmen*. Semeles, infaustique concubitus memor. — *Baccho veniente*, in cælum, et introducente Ariadnen.

505. *Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes*. Luna, quum plena fuit, paulatim lucem deperdit et subobscuratur, donec novilunium seu Neomenia sit : tum recolligens rursus et corniculans, paulatim amissam recuperat : et primo *Menoides*, mox *Dichotomos*, deinde *Amphicyrtos* effecta, tandem rursus *Panselenos* seu plena apparet, et

Dum matutinos prædicet Lucifer ortus,
Altaque cæruleum dum Nerea nesciet Arctos;
Candida formosi venerabimur ora Lyæi.

sic, « dimissos plena ignes recolligit. » Docent Aristoteles et Græci ejus interpretes in lib. II de Cælo, cap. 11. Delr.

507. *Altaque cæruleum*, etc. Dum Arctos metuet tingi ponto. Scilic. Arcti, ut jam diximus in Thyest. vs. 476, nunquam mari tinguntur; et causas vide, Herc. Fur. vs. 6 in not. (vol. I, pag. 4).

ACTUS TERTIUS.

OEDIPUS, CREON.

OED. Etsi ipse vultus flebiles præfert notas,
Exprome, cujus capite placemus Deos.
CR. Fari jubes, tacere quæ suadet metus.
OED. Si te ruentes non satis Thebæ movent,
At sceptra moveant lapsa cognatæ domus.
CR. Nescisse cupies, nosse quæ nimium expetis.
OED. Iners malorum remedium ignorantia est.
Itane et salutis publicæ indicium obrues?
CR. Ubi turpis est medicina, sanari piget.
OED. Audita fare; vel malo domitus gravi,
Quid arma possint regis irati, scies.
CR. Odere reges dicta, quæ dici jubent.
OED. Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,
Arcana sacri voce ni retegis tua.

Act. III, scen. I. Indicat regi Creon ex necromantia, seu mavis sciomantia, intellexisse se interfectorem Laii OEdipum fuisse; ille, fretus opinione sua de Polybo patre, negat, et, post jurgia, Creontem in carcerem conjici jubet.

509. *Ipse vultus*, tuus.

510. *Exprome, cujus capite*, etc. Locus ille depromptus ex Phœniss. Euripidis, vs. 918, sqq.

512 sq. *Si te ruentes non satis*, etc. Si non publicæ salutis causa, mihi tamen qui sororem tuam duxerim tuæque familiæ hoc tribue, cui frustra erit regnum, ubi perierint omnes subditi. Farn.—*Lapsa*, effluentia.

515. *Iners remedium*. Remedium inutile.

518. *Audita*, quæ accepisti per necromantiam. — *Fare*, dic, profer. — *Malo domitus gravi*, suppliciis coactus.

520. *Odere*, odisse solent.

521. *Vile*, odiosum.

CR. Tacere liceat : nulla libertas minor
A rege petitur. OED. Sæpe vel lingua magis
Regi atque regno muta libertas obest.
CR. Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?
OED. Imperia solvit, qui tacet, jussus loqui.
CR. Coacta verba placidus accipias, precor.
OED. Ulline pœna vocis expressæ fuit?
CR. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger,
Dircæa circa vallis irriguæ loca.
Cupressus altis exserens silvis caput
Virente semper alligat trunco nemus;
Curvosque tendit quercus et putres situ
Annosa ramos : hujus abrupit latus
Edax vetustas : illa jam fessa cadens
Radice, fulta pendet aliena trabe.

523. *Tacere liceat.* Idem fere dialogus repetitur in tragœdia gallica nostr. *Voltaire*, act. III, scen. IV : « Ah! si vous m'en croyez, ne m'interrogez pas. » Sed fateamur oportet multo convenientius in auctore gallico tractari illud OEdipi et Creontis (apud Voltarium, sacerdotis) colloquium, quam in Seneca, ubi languet major pars totius hujus scenæ.

524. *Vel lingua magis.* Magis etiam quam lingua; et ablativus *lingua* regitur adverbio *magis*, subaudito *præ*.

525. *Muta libertas obest.* I. e. libertas tacendi nocet.

527. *Imperia solvit.* Imperium detrectat, non paret.

529. *Expressæ*, per vim extortæ.

530. *Procul.* Accipi videtur eo loco pro *non ita longe*.

531. *Dircæa circa vall.* etc. Hypallage est, pro, circa loca irrigua vallis Dircææ. De fonte Dirce, vid. ad Hercul. Fur. vs. 916 (vol. I, pag. 111).

532. *Cupressus.* Singulariter dictum pro plurali; scilic. multa cupressus.—*Altis exserens silvis caput.* Attollens caput supra altas quercus, quæ h. l. nominantur silvæ.

533. *Alligat trunco nemus.* Cingunt et quasi includunt nemus truncis suis.

534. *Quercus annosa.* Describitur una quercus, quæ ipsa quoque partes occupat in sacris mysteriis, et quæ infra, 542 sq. 546, 558, pergit designari. — *Curvos*, ævo fatiscentes. — *Situ*, lanugine, musco.

535. *Annosa*, gravata annis; potius quam vivax, ut explicat Farnabius.

536. *Fessa radice*, radicibus vetustate minutis.

537. *Pendet*, nec jam stat. — *Fulta aliena trabe.* Proximæ arboris

Amara baccas laurus; et tiliæ leves;
Et Paphia myrtus; et per immensum mare
Motura remos alnus; et Phœbo obvia,
Enode Zephyris pinus opponens latus.
Medio stat ingens arbor, atque umbra gravi
Silvas minores urget; et magno ambitu
Diffusa ramos, una defendit nemus.
Tristis sub illa lucis et Phœbi inscius
Restagnat humor, frigore æterno rigens.

trunco innixa; et *aliena* hæc *trabes*, hi proximi trunci versibus sequentibus designantur.

538. *Amara baccas.* Amara secundum baccas. — *Laurus.* Scilicet adest, adstat, subministratura quercui adminiculum. Et idem verbum subaudiendum est ante omnia quæ sequuntur arborum nomina.

539. *Paphia myrtus.* Sacrata Veneri (quam Paphii religiosissime post Assyrios colunt) delicatissimæ deæ arbuscula perpetuo virore spectabilis, foliorum specie odoreque suavissimo præstantissima. Farn.

540. *Motura remos.* E qua scilic. remi fabricabuntur. — *Phœbo obvia*, excipiens solis radios, eosque ideo arcens reliqua silvicula.

541. *Enode.* Rectum, læve et sine ullis nodis.

542. *Medio*, dominata innixaque his arboribus. — *Ingens arbos.* Eadem quercus est, quam depinxit poeta, vs. 534. Aut si non est, nullus ordo toti huic tabulæ relinquitur. Quod quidem delictum nobis videtur admisisse interpres gallicus, dum aliam alio luco credit indicari arborem; nec satis lucide sibi ante oculos proposuisse quid spectaculi hoc loco fuerit imaginatum. Scilicet, cupressi multæ, cono supra omnes cæteras arbores assurgente, cingunt quasi corona totam silvam quæ præcipue constat ilicibus; intranti nemus occurrunt quidem ilices, at deinde plurimæ non ejusdem proceritatis arbores, lauri, tiliæ, myrti, alni, pinus; et tandem eas inter medias, eisque innixa, surgit quercus, quam quum prænuntiaverat poeta, tum simul depingere incipit, paulo confusius et importunius.

543. *Silvas minores*, arbores quæ descriptæ sunt e vs. 538 ad 541. — *Urget*, premit, opaca fronde tegit.

544. *Ramos*, secundum ramos. — *Una*, solo ramorum suorum propugnaculo. — *Defendit*, a Phœbo, a Borea.

545. *Lucis et Phœbi inscius*, nec lucem, nec solem excipiens.

546. *Restagn. humor, frigore æt. rig.* Manifesta imitatio, ait Baden. Nasonis, Metam. III, 412: « Gramen erat circa, quod proximus humor alebat, Silvaque sole locum passura tepescere nullo. » Eamdem rem indicat pariter Baden. sic expressisse Dantem in sua Div. Comœdia, XXVIII, 32: « ... un rio... Si muova, bruna bruna, Sotto l'ombra

Limosa pigrum circuit fontem palus.
Huc ut sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus : præstitit noctem locus.
Tunc fossa tellus, et super rapti rogis
Jaciuntur ignes. Ipse funesto integit
Vates amictu corpus, et frontem quatit.
Lugubris imos palla perfundit pedes.

perpetua, che mai Raggiar non lascia sole ivi nè luna. » — *Humor*, fons.

548. *Sacerdos senior*. Tiresias.

549. *Haud est moratus : præstitit noctem locus*. Quum scilicet alio in loco necesse fuisset exspectari occasum solis, sub quem sacra inferis fiebant, ea erat silvæ hujus caligo, ut, nocte per opacitatem arborum regnante, Tiresias potuerit munus suum sine mora adimplere. Non satis accurate, nec optime ad sensum interpres gallicus : « A peine le vieux Tirésias y a mouillé son pied, *que soudain à nos yeux la nuit couvrit la terre*. »

550. *Tunc fossa tellus*. Intellige de scrobe, sub terram acta, unde, ut ait Horat. I, VIII, 29 : « Manes elicerent, animas responsa daturas. » Et confer interpretes ad Homerum, Od. XI, vs. 25 ; vel Barthium, ad Stat. Theb. IV, 451. — *Super*, supra hanc scrobem.—*Rapti rogis*, erepti e rogis, quibus quidem solis sacra infernalia accendere moris erat. Nec suspicatus fuisse videtur gallicus interpres : « Le devin y creuse un fossé, y construit un bûcher, et apporte le feu sacré. »

551. *Ipse*. Vide Animadv.—*Funesto*, nigro ; ut contra diis superis operantes, candido. Aggerat hic poeta omnes quotquot in evocandis Manibus adhibebantur ritus. Quos canit Tiresias hymni, vocabantur *preces ferales*. Si umbræ his precibus sese minus audientes præbebant, vates ad omne imprecationum genus, et postea ad minas horribiles invehi. Tum exaudiri sub terra gemitus, clamores horrendi, contremiscere tellus, et solo dehiscente, imis manes exire sepulcris. Quod attinet ad umbras evocandas et ad sacrificium de quo agitur in scena præcedenti, vide D. Isidor. Origin. lib. VIII, cap. de Magis ; Rhaban. de Præstigiis Magorum ; Apollodor. Bibliothec. lib. III ; Brisson. de Formul. lib. I ; Stat. Thebaid. lib. IV, vs. 413 sq. et præcip. 478 ; Dionys. Halicarn. lib. VII, cap. 13 ; Macrob. Saturn. lib. III, cap. 5 ; Turneb. Advers. lib. XV ; Arnob. advers. Gent. lib. VII ; Plin. Natur. Histor. lib. II, cap. 37, et lib. XXVIII, cap. 1 ; Euseb. Præparat. Evangel. lib. IV, cap. 4, etc.

552. *Frontem quatit*. Frontem quatere mœsti aut irati solent : nec disconvenit inferno huic sacro. — *Frontem* ; malunt alii legere *frondem*. Vide Animadvers.

553. *Palla*. Genus hoc vestimenti convenire viris, non tantummodo mulieribus probat Gron. et vid. in Animadvers. — *Perfundit*,

Squallente cultu mœstus ingreditur senex.
Mortifera canam taxus adstringit comam.
Nigro bidentes vellere atque atræ boves
Retro trahuntur. Flamma prædatur dapes,
Vivumque trepidat igne ferali pecus.
Vocat inde Manes : teque, qui Manes regis,
Et obsidentem claustra letalis lacus;
Carmenque magicum volvit, et rabido minax

contegit. Et bene dicitur de longiori toga, quæ sinus tanquam undas ad terram demittit.

555. *Mortifera*. Significat ibi verbum illud: funereis ritibus adhibita, potius quam : mortem incutiens.

556. *Nigro vellere*, etc. Diis inferis non nisi furvas hostias immolatas fuisse nemo nescit.

557. *Retro trahuntur*. Pro simplici *mactantur*. Hunc autem stabilit sensum Gronovius, postquam varias conjecturas maxima cum eruditione simul et modestia percurrit. Audi nempe : « Quid Homero sit αὖ ἐρύειν, jam diximus. Ei quomodo oppositum esse possit *retro trahere*, nulla ratione possum adsequi. Ita nulla invidia est criticos hoc siluisse. Immo ipsum αὖ ἐρύειν est retro trahere, Il. Θ, 324 sq. τὸν δ' αὖ κορυθαίολος Ἕκτωρ Αὖ ἐρύοντα, scil. nervum arcus, qui retro trahitur in emittenda sagitta. Quemadmodum igitur victimæ, quæ statuuntur capite versus terram inclinato, possunt dici *retro trahi?* An *retro*, est κάτω? An retrosecus colligentes comam fronti eam præmittunt? Aut fallor, aut fingit aversas trahi, ut Cacus traxit Herculis armenta. Nam quæ inferis fiebant, ea oportebat omnia esse contraria ei ritui, quo fiebant superis. Ad horum aras duci oportebat sistique volentes et quietas victimas : ad istas igitur mirum non est trahi aversas et invitas. Nisi tamen, contempto discrimine superorum et inferorum Deorum, simpliciter dixit, *Retro trahuntur*, pro αὖ ἐρύονται, quod sit, mactantur, parte actionis posita pro tota actione per synecdochen. — *Prædatur*, vorat.

558. *Vivum*, seminex, non adhuc omnino mortuum. — *Trepid. igne ferali*. Trepidat inter flammas ferali ritu accensas caro adhuc spirans; apposite, *vivum trepidat*, explicat Baden. per *palpitat*, et citat Virg. Æneid. I, 212 : « Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt; » et præterea animadvertit Nostrum fuisse imitationi Statio, Thebaid. lib. IV, vs. 466 : « Semineces fibras, et adhuc spirantia reddit Viscera. »

559. *Inde*, postea. — *Teque*, Pluto.

560. *Et obsidentem*. Supple, et custodem obsidentem. Hic autem est Cerberus.

561. *Volvit*, immurmurat, revolvit : oppositum τῷ, *rabido decantat ore*, quod sequitur. — *Rabido*. Vid. Animadvers.

Decantat ore, quidquid aut placat leves
Aut cogit umbras. Sanguinem libat focis,
Solidasque pecudes urit, et multo specum
Saturat cruore. Libat et niveum insuper
Lactis liquorem; fundit et Bacchum manu
Læva, canitque rursus; et terram intuens,
Graviore Manes voce et attonita citat.
Latravit Hecates turba. Ter valles cavæ
Sonuere mœstum; tota succusso solo
Pulsata tellus. «Audior, vates ait,
«Rata verba fudi : rumpitur cæcum Chaos;
«Iterque populo Ditis ad superos datur.»

562. *Placat.* Audientes facit.

563. *Cogit.* E sepulcris excit.— *Sanguinem libat focis.* Al. *irrigat sanguis focos.* Vid. Animadvers.

564. *Solidas.* In sacris inferis integra et solida hostia comburebatur.

566. *Fundit et Bacchum manu.* Vinum victimæ bis super infundebatur, primum ad explorandum an esset idonea, ut docent Servius, in Æneid. IV, 60 sq. et Plutarchus de Defect. oracul. p. 415, A (ed. Francof. 1620); postea vero victimæ in frusta concisæ, ut fit apud Homerum, Iliad. Λ, 775; Odyss. M, 19, et Apolion. Argon. lib. I. Delr.

567. *Læva*, inferis scilic. utpote malis invergens; superis contra et bonis dextra. Farnab. — *Canitque rursus*, nondum adventantibus umbris, ex Statio, Thebaid. IV, 500. — *Terram intuens.* Dejecto in terram vultu, non oculis, quum cæcus fuerit Tiresias; lapsus ergo est interpres gallicus, quum vertit, «et regardant fixement la terre, etc.» — *Attonita*, faciente attonitos, stupenda. Virg. Æn. VI, 53 : «... neque enim ante dehiscent Attonitæ magna ora domus.» Bad.

569. *Hecates turba.* Canes. Huic autem deæ canes immolarunt prisci, quod ipsorum latratus incantationes solvere et monstrosas visiones credebatur. Ipsa itaque Lycophroni θεὰ κυνοσφάγος et canis Ἑκάτης δεῖπνον dicebatur. Farn.— *Ter.* Constat quidem inferis non imparem, sed parem numerum sacrum esse. Sed noster poeta in ea re non valde religiosus fuit.

571. *Audior*, ab umbris.

572. *Rata verba fudi.* Ea pronuntiavi verba, quæ non sunt irrita vel cassa, sed efficacia et impetratoria. Aut, si τὸ *rata*, intelligimus ut est in pluribus ejusdem tragœdiæ locis, accipe pro certa, constituta, consecrata. —*Rumpitur*, viam aperit. — *Chaos*, hic ponitur pro inferis; accipi sæpius hoc sensu indicavimus. Satis fuse in notis ad Hercul. Fur. vs. 610.

573. *Populo Ditis*, manibus, umbris. — *Ad superos datur.* Hic desinit loqui vates.

Subsedit omnis silva, et erexit comam.
Duxere rimas robora; et totum nemus
Concussit horror. Terra se retro dedit,
Gemuitque penitus; sive tentari abditum
Acheron profundum mente non æqua tulit,
Sive ipsa tellus, ut daret functis viam,
Compage rupta sonuit; aut ira furens
Triceps catenas Cerberus movit graves.
Subito dehiscit terra, et immenso sinu
Laxata patuit. Ipse pallentes Deos
Vidi inter umbras; ipse torpentes lacus
Noctemque veram. Gelidus in venis stetit

574. *Subsedit*, etc. Fatiscere primum visa est, dein erexit comas. Locus ille expressus est e Virgilio, Æneid. VI, 256, et Ovidio, Met. XIV, vs. 416; quos etiam imitatus videtur Statius, eadem sacra describens, Theb. IV, 447. Similiter fere Lucan. I, 552 sq. « ... tum cardine tellus Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes Discussere nivem. » BADEN. — *Erexit com.* præ horrore; et *comam*, accipe folia.

575. *Duxere rimas*, in longitudinem sunt diffissa.

576. *Se retro dedit*, hiatum factura.

577. *Sive tentari abdit.* etc. Ordo est, « sive Acheron non tulit æqua mente profundum abditum tentari. » Et *Acheron* sumitur pro rege Inferorum.

579. *Functis*, mortuis.

581. *Triceps Cerberus.* Hesiodus Cerbero quinquaginta capita tribuit, Horatius et Isacius centum. Seneca Sophoclem, Apollodorum, Ciceronem, Tibullum et alios sequitur. DELR. — Ad hunc usque versum, ex interprete gallico, continuant verba Tiresiæ, qui incepit loqui in vs. 571 : « Audior, etc. » Non autem huic assentimur; et ineptum fore credidimus, si dum visa describit Creo, alium quoque describentem ipse induceret.

582. *Immenso sinu.* Junge cum *laxata*, potius quam cum *patuit.*

583. *Ipse.* Quasi innueret, « et tamen adhuc vivo. » Et pathetice repetita vox in vs. sq.—*Pall. deos.* Plutonem et Proserpinam; aut generaliter dictum est, ut satis vivide vertit interpr. gallic. « J'ai vu moi-même de pâles divinités se promener confondues avec les ombres. »

584. *Lacus.* Cocytum, Hercul. Fur. vs. 686, et Styga, ibid. 712.

585. *Noctemque veram.* Dicit Inferorum caliginem luci non cedentem interdiu, sed velut propriam et perpetuam. BOTH.—Potest quoque illud opponi cum τῷ *noctem*, vs. 549, ubi non erat *vera* nox, ut hic est, sed obscuritas tantum quam præstabat ramorum opacitas.

Hæsitque sanguis. Sæva prosiluit cohors,
Et stetit in armis omne vipereum genus
Fratrum, catervæ dente Dircæo satæ,
Avidumque populi Pestis Ogygii malum.
Tum torva Erinnys sonuit, et cæcus Furor,
Horrorque, et una quidquid æternæ creant
Celantque tenebræ; Luctus evellens comam,
Ægreque lassum sustinens Morbus caput;
Gravis Senectus sibimet, et pendens Metus.
Nos liquit animus. Ipsa, quæ ritus senis
Artesque norat, stupuit. Intrepidus parens,
Audaxque damno, convocat Ditis feri
Exsangue vulgus. Illico ut nebulæ leves
Volitant, et auras libero cælo trabunt.
Non tot caducas educat frondes Eryx;

586. *Sæva prosiluit cohors.* Furiarum omnis generis, ut vs. 590 sqq. et Draconigenum fratrum. Vide, ait Badenius, ut hæc imitator dilataverit Statius, Theb. IV, 552: « Primus sanguineo submittit inertia Cadmus Ora lacu, juxtaque virum Cythereia proles; Effluit amborum gemino de vertice serpens: Terrigenæ comites illos, gens martia, cingunt. His ævi mensura dies: manus omnis in armis, Omnis et in capulo: prohibent, obstantque, ruuntque Spirantum rabie: nec tristi incumbere sulco Cura, sed alternum cuperent haurire cruorem. »

589. *Avidumque pop. Pestis Ogyg. malum.* Ordo est, et pestis populi Ogygii, malum avidum. Pestis autem illa, quæ ut cætera præcedentia, σωματοποιεῖται, Sphinx est, quæ multa Thebano populo acerba objecit funera. Ovid. Met. VII, 764: « Protinus Aoniis immittitur altera Thebis *Pestis*, etc. » — *Ogygii*, Thebani, ab Ogyge rege.

590. *Tum*, deinde. — *Erinnys.* Vid. Hercul. Fur. not. ad vs. 101 (vol. I, p. 14).

591. *Et una*, et simul. — *Quidquid*, est nocivorum numinum.

594. *Pendens*, anxius, suspensus, in dubio. — Quis non agnoscat in tota hac descriptione Virgilium, Æn. VI, vs. 273 sqq.

595. *Nos*, vulgus profanum; et opponitur filiæ senis. — *Ipsa*, Manto. — *Quæ*, quæ tamen.

597. *Damno*, propter orbitatem oculorum. Timuisset enim et ipse, si ea vidisset.

599. *Auras trahunt.* Respirant. — *Libero cælo.* Non incluso, ut suo inferno.

600. *Caducas*, ad autumni reditum. — *Eryx*, mons Siciliæ. Vide ad hunc loc. Animadv.

Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Quum examen alto nectitur densum globo;
Fluctusque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta, gelidi Strymonis fugiens minas,
Permutat hiemes ales, et cælum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas nives,
Quot ille populos vatis eduxit sonus.
Pavidæ latebras nemoris umbrosi petunt
Animæ trementes. Primus emergit solo,
Dextra ferocem cornibus taurum premens
Zethus; manuque sustinens læva chelyn,
Qui saxa dulci traxit, Amphion, sono.
Interque natos Tantalis tandem suos

601. *Hybla.* Mons Siciliæ thymo et salicibus abundans, apibus itaque nobilis. — *Tot*, quot ille eduxit populos, infra, vs. 607.

602. *Quum examen*, etc. Ordo est, « quum examen densum nectitur alto globo. » Et *alto globo* est βοτρυδὸν, quum, in morem uvæ conglobatæ, ramo dependent.

603. *Fluctusque non tot frangit Ionium mare.* Singularis modus loquendi, pro : nec tot fluctus franguntur, sibi invicem alliduntur in mari Ionio.

604. *Nec tanta ales*, nec tot aves. — *Minas*, frigora minacia. — *Strymonis*, fluvii Macedoniam a Thracia dividentis.

605. *Permutat hiemes*, supp. regionibus magis apricis.

606. *Pensat*, alternat.

607. *Ille sonus*, illa incantatio, vs. 568. — *Populos*, umbras populorum, præcipue Thebanorum.

608. *Pavidæ.* Vid. Animadv. — *Trementes*, ad insolitum lucis vividioris aspectum. Sic Hercul. Fur. vs. 293 : « Lucisque pavidos ante te populos age. »

610. *Dextra ferocem corn. taur. pr. Zethus.* Historia, seu potius fabula de Zetho et de Amphione fuse admodum narratur ad notas vs. 916, Herc. Fur. — Hoc autem loco Zethus inducitur premens taurum cornibus, seu ut alludatur ad taurum cujus caudæ Zethus alligavit Dircen, Lyci uxorem (vid. loc. cit.), seu potius ut repræsentetur habitus silvestris et ferox hominis vitam, dum vivebat, degentis agrestem et venaticam (ibid.).

612. *Amphion.* Vid. Hercul. Fur. ad locum supra citatum, et insuper in eodem Herc. Fur. vs. 262.

613. *Tantalis*, Niobe, Tantali filia. — *Inter natos suos.* Nihil dicere hic possimus, quod non inveniat lector ad Herc. Fur. v. 390, not. ubi multa de Niobe et ejus filiis. — *Tandem tuto;* non jam Apollinis et Dianæ iram sibi et natis re-

Tuto superba fert caput fastu grave,
Et numerat umbras. Pejor hac genitrix, adest
Furibunda Agave, tota quam sequitur manus
Partita regem. Sequitur et Bacchas lacer
Pentheus : tenetque sævus etiam nunc minas.
Tandem, vocatus sæpe, pudibundum extulit
Caput, atque ab omni dissidet turba procul,
Celatque semet (instat, et Stygias preces

formidatura. Et *tuto* adverbium est.

614. *Fastu grave.* Vid. Animadv.

615. *Umbras*, liberorum, de quibus secura est, quibus non potest amplius orbari.—*Pejor hac genitrix.* Et multo pejor, quæ scilicet filium suum interfecit, dum Niobe interierit, præ dolore amissorum liberorum.

616. *Furibunda Agave.* Vide quid criminis admiserit hæc regina, ad Phœniss. vss. 15, 17, edit. hujus vol. I, pag. 372, 373. — *Manus*, Baccharum multitudo, vs. sq.

618. *Sævus*, austerus, abstemius, Thebanis Bacchi cultum interdicens. — *Etiam nunc*, quum fuit dilaceratus. — *Minas*, volentis prohibere a ritibus Bacchicis.

619-623. *Tandem, vocatus sæpe*, etc. Regnat aliquid confusius in horum versuum dispositione, si spectetur ad grammaticum ordinem. Is enim poscebat τὸ *Laius*, nominativum scil. verborum *extulit*, *dissidet*, *celat*, proponi ante τὸ *instat et geminat* quæ referuntur ad Tiresiam. Ne ergo interrumpatur continua sententiarum series, nobis placuit hæc quæ de sacerdote lucidius dicuntur, includi per parenthesim, et uno sic tenore fluere reliquam loci hujus partem. *Tandem vocat. sæpe, pud. extulit Cap. atq. ab om. dissidet turba pr. Celatque semet Laius.* Notabit autem lector non sine mente et artificio positas fuisse, ut sunt, voces, *tandem*, et *Laius*, in initio alteram, unde indicetur quanta fuerit exspectatio; alteram in fine, quia ægre nec nisi diu obluctatus apparuerit Laius. Videtur porro nobis interpres gallicus artem hanc constructionis minus fideliter in versione sua retinuisse, dum incipit : « Enfin, le triste Laius, etc.» Nec scimus an vividiori modo tota imago sic repræsentetur : « Enfin, après des évocations réitérées, une ombre nouvelle se présente, le front voilé de honte; elle s'écarte de la foule, et cherche à se cacher. Mais le pontife insiste, il redouble ses prières infernales. L'ombre alors se découvre, et nous montre son visage; c'était Laïus. » — *Extulit*, ex inferis produxit, non autem sursum erexit, ut indicant sequentia. — Vid. Animadv.

620. *Ab omni dissidet turba procul.* Hoc ita variavit Statius, Theb. IV, vers. 608, quem citat Baden. «...non ille aut sanguinis haustus, Cætera ceu plebes, aliumve accedit ad imbrem.»

621. *Stygias preces.* Evocationes, adjurationes infernas, vel per Styga.

Geminat sacerdos, donec in apertum efferat
Vultus opertos), Laius. Fari horreo.
Stetit per artus sanguine effuso horridus,
Pædore fœdo squalidam obtentus comam,
Et ore rabido fatur : « O Cadmi effera,
« Cruore semper læta cognato domus,
« Vibrate thyrsos. Enthea, natos manu
« Lacerate potius. Maximum Thebis scelus
« Maternus amor est. Patria, non ira Deûm,
« Sed scelere raperis. Non gravi flatu tibi
« Luctificus Auster, nec, parum pluvio æthere
« Satiata, tellus halitu sicco nocet;
« Sed rex cruentus, pretia qui sævæ necis
« Sceptra, et nefandos occupat thalamos patris,
« Invisa proles (sed tamen pejor parens,

622. *Efferat*, aperiat et detegat.

623. *Vult. opertos*. Piget nempe ora proferre, quum tam infandi sceleris victima, parricidæ pater, incestæ uxoris maritus sit.

624. *Stetit per artus*, etc. Ordo est, Laius stetit horridus; effuso per artus sanguine, qui fluebat e vulneribus ab OEdipo olim factis.

625. *Obtentus*, coopertus, ab *obtendo*.

626. *O Cadmi effera, Cruore*, etc. Ordo est : « O domus Cadmi, effera, semper læta cruore cognato, vibrate, etc. » et nihil magis usitatum quam illud plurale, cum nomine collectivo, ut est *domus*, seu stirps, *proles*, etc.

627. *Cruore semper læta cognato.* Alludit tum ad Draconigenas fratres, qui mutuis se vulneribus peremerunt, tum ad Agaven, aliasque impias Mænades, Athamanta, etc.

628. *Vibrate thyrsos*, quibus funera spargatis. Herc. Fur. 473-4 : « ... nec manu molli levem *Vibrare* thyrsum. » — *Enthea*, numinis, furoris Bacchici impetu afflata, adacta.

629. *Potius*, supp. « quam permittatis eosdem hos natos vivere in privatam vestræ domus perniciem et publicum malum, quod fecit OEdipus, meus filius. » FARN.

630. *Max. Theb. scelus maternus amor est.* Acumen est ab Ovidio, Metam. lib. X, 314 : « ... scelus est odisse parentem. Hic amor est odio majus scelus. » — *Patria*, o patria.

631. *Scelere*, quod quidam e tuis admiserunt. — *Gravi flatu*, cf. supra, vs. 36.

632. *Auster*, supp. *nocet;* sicut et post, *rex cruentus*, vs. sq. 634.

634. *Sævæ necis*, quam mibi, quam patri conscivit.

636. *Invisa proles*, junge cum, *egit qui in ortus semet*. Et sic accipe, quasi sequentes duos versus, cum

« Quam natus, utero rursus infausto gravis),
« Egit qui in ortus semet; et matri impios
« Fœtus regessit; quique (vix mos est feris),
« Fratres sibi ipse genuit; implicitum malum,
« Magisque monstrum Sphinge perplexum sua.
« Te, te, cruenta sceptra qui dextra geris,
« Te pater inultus urbe cum tota petam,
« Et mecum Erinnys pronubas thalami traham,
« Traham sonantes verbera; incestam domum
« Vertam, et penates impio Marte obteram.
« Proinde pulsum finibus regem ocius
« Agite exsulem : quodcumque funesto gradu

exclamandi vel admirandi significatione, incluseris parenthesi. — *Parens*, mater, Jocasta.

637. *Utero rursus infausto gravis.* Dicitur de matre, quæ filio peperit rursus detestabile par fratrum.

638. *Egit qui.* Nihil est novum, τὸ *qui* referre ad *proles*, vers. 636, græcismo scil. usitatissimo, quum scriptor habuerit in mente *filium*, mascul. gener. nec τὸ *proles*, vocem inanimam. — *Egit*, etc. Adiit uterum unde ortus erat. Imitator Statius, Theb. I, 225 : « ... immeritæ gremium incestare parentis Appetiit, proprios monstro revolutus in ortus. » Ibid. IV, 631 : « ... qui semet in ortus Vertit, et indignæ regerit sua pignora matri. » — *Et matri impios Fœtus regessit.* Matrem et ipse suam gravidam fecit duplici fœtu, cujus nativitas debuit esse nefas. — *Vix mos est feris.* Hippol. 913 : « Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas, etc. »

640. *Implicitum malum.* Dictum per appositionem, de tali incesto.

641. *Magisque*, etc. Et monstrum magis perplexum, etc. — *Sua*, cujus ipse (OEdipus) ænigma solvit.

642. *Cruenta*, refer ad *manu*.

643. *Urbe cum tota.* Non intellige, urbem esse quæ sontem petat cum Laio; sed contra, quæ petatur, plectatur cum Œdipo.

644. *Erinnys*, contracte pro *Erinnyas.* — *Pronubas thalami.* Te sponsum in thalamum ducturas, et nuptam in lecto collocaturas, ut diximus, Phœn. vs. 505.

645. *Traham.* Vivide et pathetice repetitum. — *Sonantes verbera*, sec. verbera; et agitur de flagellis Furiarum notissimis. Thyest. 96, in not. — *Incestam.* Cf. ad Animadv.

646. *Vertam*, diruam. — *Impio Marte obteram.* Innuitur bellum inter fratres Polynicem et Eteoclem.

647. *Ocius.* Placebit jungere cum *Agite exsulem*; potius quam cum *pulsum finibus*.

648. *Quodc. funesto gradu*, etc. Summa sensus est : « quod solum relinquet, id recreabit herbas floresque; in eo aer vitales et salutares dabit haustus, etc. — *Funesto*,

« Solum relinquet, vere florifero virens
« Reparabit herbas ; spiritus puros dabit
« Vitalis aura ; veniet et silvis decor ;
« Letum, Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor,
« Comitatus illo dignus, excedent simul.
« Et ipse rapidis gressibus sedes volet
« Effugere nostras : sed graves pedibus moras
« Addam, et tenebo : repet incertus viæ,
« Baculo senili triste prætentans iter.
« Præripite terras, auferam cælum pater ».
OED. Et ossa et artus gelidus invasit tremor.
Quidquid timebam facere, fecisse arguor.

funestante, fœdante.—Vid. Anim.

649. *Solum*, terram.

650. *Reparabit*, iterum comparabit, educet. — *Puros*, non corruptos et pestilentes, ut nunc. Item OEdipus, v. 1005 : « ... mitior cæli status Post terga sequitur. »

651. *Vitalis*, jam ergo vitam afflans, non necem. — *Decor*, frondes grataque umbra.

653. *Illo*, OEdipo, tam nocente.

654, 655. *Et ipse*, sicut omnia hæc mala. — *Rapidis gress. sed. volet Eff. nost.* Volet fugere cursu rapido Cadmæas terras ; sed non nisi lente excedet. Cave ne non hæc innectas, ut debent innecti, et τὰ *effugere sedes nostras*, absolute dicta existimes. Scilicet verus solum erit sensus, addito, *rapidis gressibus ;* nam OEdipus Thebas reliquit, et exsul variis erravit regionibus. — *Sedes nostras*. Thebas, patriam meam. — Vult Farnabius τὸ *sedes* intelligi et de Thebis, et de vita ipsa. Nos simplicius dictum existimamus, quum præsertim sequatur *pedibus*. Idem Farnab. *moras*, explicat senium, lassitudinem, cæcitatem, filiam, quæ mori non sinat, non vere ad sensum, nobis judicibus ; quia agitur h. l. de difficultate eundi, non moriendi.

656. *Tenebo*, retinebo inter patriam, inter multiplices familiæ suæ horrores.

657. *Senili*, qui senem tantum decet. — *Prætentans*, tentans præ gradu, ante gradum.

658. *Auferam*, etc. Ego lucem adimam, et eo redigam, ut excæcet sese. Virg. Æneid. III, 198 : « ... nox humida cælum Abstulit. »

660. *Quidquid timebam facere*, etc. Quia oraculum olim OEdipo ea prænuntiaverat. Phœniss. vs. 259. VOLTAIRE, *OEdipe*, act. IV, sc. 1 : « OEDIPE... Tandis qu'à la frayeur j'abandonnais mon ame, Cette voix m'annonça, le croiriez-vous, Madame ? Tout l'assemblage affreux des forfaits inouis Dont le ciel autrefois menaça votre fils, Me dit que je serais l'assassin de mon père. JOCASTE. Ah Dieux ! OEDIPE. Que je serais le mari de ma mère. »

Tori jugalis abnuit Merope nefas,
Sociata Polybo. Sospes absolvit manus
Polybus meas. Uterque defendit parens
Cædem, stuprumque. Quis locus culpæ est super?
Multo ante Thebæ Laium amissum gemunt,
Bœota gressu quam meo tetigi loca.
Falsusne senior? an Deus Thebis gravis?
Jam jam tenemus callidi socios doli.
Mentitur ista præferens fraudi Deos
Vates, tibique sceptra despondet mea.
CR. Egon' ut sororem regia expelli velim?
Si me fides sacrata cognati laris
Non contineret in meo certum statu;
Tamen ipsa me Fortuna terreret, nimis

661. *Tori jugalis abnuit nefas.* Amovet a me accusationem tori mecum communicati. — *Merope*, conjux Polybi, quam matrem suam esse credebat.

662. *Sospes absolvit manus Polybus meas.* Polybus sospes, eo ipso quod vivit et valet, probat meas manus puras esse sanguinis paterni (et Polybum patrem suum opinabatur esse).

663. *Uterque parens.* Pater et mater. — *Defend.* prohibet ne mihi parricidium incestumque attribuantur.

664. *Locus culpæ.* Quod fundamentum criminis mihi objiciendi. — *Super*, post talem excusationem; cui ipse addit argumentum, e tempore ipso depromptum.

665. *Multo ante*, junge cum τῷ *quam*, vs. sq.

667. *Falsusne senior?* Numine deceptus est Tiresias? — *An deus*, etc. An quis deus miseram urbem statuit magis etiam gravare?

668. *Callidi socios doli.* Tiresiam et Creonta.

669. *Mentitur ista præferens*, etc. Ordo est: « vates, præferens deos fraudi, mentitur ista. » Et *præferens*, est prætexeos. VOLTAIRE, *OEd.* act. III, sc. IV: « Voilà donc des autels quel est le privilège! Grace à l'impunité, ta bouche sacrilège, Pour accuser ton roi d'un forfait odieux, Abuse insolemment du commerce des Dieux! »

670. *Tibi*, Creo. Et pariter in OEdipo Sophocleo, invehitur OEdipus contra Creontem; ubi vide.

671. *Egon' ut sororem*, etc. Supple antea, *Potestne fieri ut*, etc. — *Sororem*, meam, Jocastam.

673. *In meo statu*, in mea conditione privata. — *Certum*, destinantem nihil non officio meo præponere.

674. *Fortuna*, regni, præcipue Thebani. Vid. Herc. Fur. vs. 386, ubi notatur, Thebarum regna quam

Sollicita semper. Libeat hoc tuto tibi
Exuere pondus, ne recedentem opprimat.
Jam te minore tutior pones loco.
OED. Hortaris etiam, sponte deponam ut mea
Tam gravia regna? CR. Suadeam hoc illis ego,
In utrumque queis est liber etiam nunc status.
Tibi jam necesse est ferre fortunam tuam.
OED. Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica, et otium ac somnum loqui.
Ab inquieto sæpe simulatur quies.
CR. Parumne me tam longa defendit fides?
OED. Aditum nocendi perfido præstat fides.
CR. Solutus onere regio, regni bonis

fuerint funesta occupantibus (vol. I, pag. 46). — *Me terreret.* Simili argumento, apud Sophoclem, Creo refellit similes criminantis OEdipi accusationes.

675. *Libeat.* Ultro tibi placeat. Vid. in Animadv. felicissimam ad hunc locum Bothii correctionem. — *Tuto tibi*, dum potes recedere sine periculo.

676. *Pondus*, sc. regni.

677. *Jam*, mox; et quasi diceret, facillime.

679. *Tam gravia.* Εἰρωνικῶς forsan, ut alludat OEdipus ad verba Creontis, vs. 676, *Exuere pondus.* — Sic Cic. pro Rosc. Am. IV: « Opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est... propter infirmitatem animi deponere. »

680. *In utrumque queis*, etc. Construe, « queis status etiam nunc est liber in utrumque. » Et intellige, qui tam felici statu versantur, ut sit illis libertas eligendi deponantne sceptrum an retineant.

681. *Ferre fortunam tuam.* Accipere leges quas tibi ea imponit; et proinde solio excedere.

682. *Regnare cupienti.* Generaliter dictum, sed quod tamen in Creontem ingerit OEdipus.

683. *Modica*, mediocritatem. — *Somnum*, segnitiem. — *Loqui*, in ore habere, præconiis extollere.

684. *Ab inquieto sæpe simulatur quies.* Facit huc illud Taciti, Ann. XIV, 57, de Sulla: « Simulatorem segnitiæ, dum temeritati locum reperiret. » BADEN.

685. *Fides*, quam tibi præstiti. OEdipus apud Sophocl. OEd. Tyr. vs. 393: Κρέων ὁ πιςὸς, οὑξ ἀρχῆς φίλος.

686. *Aditum*, occasionem. — *Fides*, quam præstitit hactenus, cujusque obtentu prava consilia nunc molitur.

687. *Solutus onere*, etc. Per hoc argumentum, Creo conatur OEdipo fidem facere a regnandi cupiditate alienum esse se; et totum illud a Sophocle in OEdipo tyranno transla-

Fruor, domusque civium cœtu viget.;
Nec ulla vicibus surgit alternis dies,
Qua non propinqui munera ad nostros lares
Sceptri redundent. Cultus, opulentæ dapes,
Donata multis gratia nostra salus.
Quid tam beatæ deesse fortunæ rear?
OED. Quod deest : secunda non habent unquam modum.
CR. Incognita igitur, ut nocens, causa cadam?
OED. Num ratio vobis reddita est vitæ meæ?
Num audita causa est nostra Tiresiæ? tamen
Sontes videmur. Facitis exemplum; sequor.
CR. Quid si innocens sum? OED. Dubia pro certis solent
Timere reges. CR. Qui pavet vanos metus,
Veros merctur. OED. Quisquis in culpa fuit,

tum est. — *Bonis*, commodis, muneribus quæ cadunt in regnantis fortunam.

688. *Domusque* mea. — *Civium*, me salutantium, me colentium.

689. *Nec ulla vicibus alternis*, etc. Pro simplici, nec ulla dies diem sequitur.

690. *Propinqui sceptri*. Affinis regis; i. e. munera a rege propinquo in nos redundantia.

691. *Cultus*. Quidquid est *supellectile* vocatum : gallice : *train de maison*.

692. *Gratia nostra*. Ablativus est, et intellige, « multi vivunt, sospites facti sunt beneficio gratiæ, auctoritatis meæ. »

694. *Quod deest*, etc. Quod revera deficit : nempe diadema et sceptrum; quod rex non es; quod infra regem es; quod aliquid potest tibi addi ad primum gradum. Nam, in secundis quis moderatus? quis non ultra pergere tendit? Vide Animadvers. — *Secunda non habent unquam modum*. Respicit, opinor, illud Horatianum, Od. III, 24 (ex plurimis), in fin. « ... scilicet improbæ Crescunt divitiæ : tamen Curtæ nescio quid semper abest rei. » BADEN.

695. *Ut nocens*. Quasi vere essem nocens. — *Cadam*, condemnabor.

698. *Sontes* parricidii et incestus. — *Videmur*, declaramur. — *Sequor*, i. e. ego quoque vos, etiamsi insontes, condemno.

699. *Pro certis*, æque ac certa.

701. *Quisquis in culpa fuit*. Sensus : Quisquis vere noxius, et deprehensus, falso tamen se innocentem esse simulans, impune tulit, nunquam vere reconciliatur ignoscenti : quia, dubius ipse vel fictus amicus quum sit, idem sibi de alio persuadet. Ita fit, ut cum odio persequatur, quem sibi dubium, non certum amicum cre-

Dimissus odit omne, quod dubium putat.
CR. Sic odia fiunt. ŒD. Odia qui nimium timet,
Regnare nescit. Regna custodit metus.
CR. Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes; metus in auctorem redit.
ŒD. Servate sontem saxeo inclusum specu:
Ipse ad penates regios referam gradum.

CHORUS.

Non tu tantis causa periclis;
Non hæc Labdacidas petunt
Fata; sed veteres Deûm
Iræ sequuntur. Castalium nemus

dit. DELR. — Et faciunt ad hunc sensum, varia quæ depromuntur ex moralibus vel historicis exempla: proprium humani ingenii esse, odisse, quem læseris (Tacit. Agric. XLII).—*Putat.* Alii: *omne, quod dubium est, cat.* Vide Animadv.

703. *Sic*, quum nunquam venia conceditur.

706. *Timet timentes*, etc. Seneca Philos. Epist. 105: « Qui timetur, timet: nemo potuit terribilis esse secure. » Et de Ira, II, XI: « Quid, quod semper in auctores redundat timor, nec quisquam metuitur, ipse securus?... Necesse est multos timeat, quem multi timent. » BAD.

707. *Saxeo specu.* Turri.

Act. III, sc. II. Excusat OEdipum Chorus, transferendo culpam in mala Thebarum fata, quæ ab ipsa inauspicata bove Thebanos usque vexarint. — Choro pulcherrimo exilem materiam præbuit Sophocl. OEd. Colon. vs. 96 sq. ad illustrationem ejus plurimum conferre possunt Euripid. Phœniss. vers. 4 et sq. Nonn. Dionys. XLVI, vs. 255, et Ovid. Met. III, vs. 138 sqq. BADEN. — Vide etiam ad lucidiorem hujus scenæ intellectum, not. in vs. 725, infra.

709. *Non tu*, OEdipe.

710. *Non hæc Labdacidas petunt Fata.* Hæc fata, quibus nos opprimimur, non petunt peculiariter, non spectant proprie. — *Labdacidas.* Labdaci progeniem, Laium, OEdipum, etc.

712. *Sequuntur* Thebanos universos. — *Castalium nemus Umbram Sidonio præb. hosp. Lavitque Dirce Tyrios*, etc. Hæc Chorus indicat tanquam causas, cur iræ deum sequantur Thebanos, et probat ex sqq. — *Castal. nem.* Cadmus, filius Agenoris regis Phœnicum, quorum præcipuæ urbes Tyrus et Sidon, missus a patre quæsitum Europam, a Jove sub specie tauri raptam,

Umbram Sidonio præbuit hospiti,
Lavitque Dirce Tyrios colonos,
Ut primum magni natus Agenoris,
Fessus per orbem furta sequi Jovis,
Sub nostra pavidus constitit arbore,
Prædonem venerans suum;
Monituque Phœbi, jussus erranti
Comes ire vaccæ, quam non flexerat
Vomer, aut tardi juga curva plaustri,
Deseruit fugas, nomenque genti
Inauspicata de bove tradidit.
Tempore ex illo nova monstra semper

appulit Phocidem conseditque non procul a Parnasso (cf. Hercul. Fur. vs. 917, not.), ad cujus pedes fons Castalius.

714. *Dirce.* Fons sc. apud quem degebat famosus iste serpens, Marti sacer, a quo orti Draconigenæ.

716. *Fessus sequi*, fess. sequendo. — *Furta Jovis.* Sororem sequi a Jove raptam.

717. *Sub nostra arbore.* Nemore jam Thebano. — *Pavidus*, religiosa percussus formidine.

718. *Prædonem suum.* Jovem, quem ignorans raptorem sororis suæ, veneratus est.

719. *Monituq. Phœbi.* Ovid. Met. III, 10: « Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in arvis, Nullum passa jugum, curvique immunis aratri: Hac duce carpe viam; et qua requieverit herba, Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato. »

722. *Nomenque genti*, etc. Sequitur Seneca eos qui Bœotiam a Cadmi bove nominant, bove inquam Cadmi duce, ut Euripides et Castor. Sed Euphorion et Nicocrates dictam volunt a Bœoto, Arnes et Neptuni filio: alii, aliunde. Vide Leonicum, Var. Hist. lib. I, c. 95. Nec unum dumtaxat Bœotiæ nomen: dicitur Aonia, Messapia, Ogygia, Cadmeis, auctore Stephano in Bœotia. Delr.

723. *Inauspicata.* Fatali, malo auspicio designata.

724. *Tempore ex illo nova*, etc. Operæ pretium est, ut inde clarior sensus eluceat, totius hujusce Chori seriem h. l. summatim exponere. Ut primum hic constitit Cadmus (vs. 715), « non Laii domus sola, sed universa gens Thebana diis premitur iratis, etc. » Scilicet, ut primum huc venit, tempore ex illo mortales viderunt semper nova monstra; aut anguem sibilantem (vs. 725-730), aut progeniem armatam (vs. 743), quam timent Tyrii et horrent (743 sq.), cujusque mutua internecione præsagiebantur civilia fraternaque bella (748-750); aut denique, Actæonem Cadmi nepotem, factum e venatore cervum (751-763 fin.).

Protulit tellus. Aut anguis imis
Vallibus editus, annosa supra
Robora sibilat, supraque pinus,
Supra Chaonias celsior arbores
Cæruleum erexit caput,
Quum majore sui parte recumberet;
Aut fœta tellus impio partu
Effudit arma.
Sonuit reflexo classicum cornu,
Lituusque adunco stridulos cantus
Elisit ære. Ante non linguas
Agiles et auram vocis ignotæ
Clamore primum hostico experti,
Agmina campos cognata tenent;
Dignaque jacto semine proles
Uno ætatem permensa die,

725. *Anguis.* Draco, serpens, quem, quum Cadmi comites aquatum missos interfecisset, ipse Cadmus occidit.

726. *Annosa supra Robora,* etc. Ovid. Metam. III, 43, unde petas hanc fabulam: « Ac media plus parte leves erectus in auras, Despicit omne nemus. »

728. *Chaonias orbores.* Quercus altas, quales alunt Chaoniæ nemora glandifera. Farn.

732. *Arma*, armatos homines, qui ut primum terra nati sunt, bella sibi indixere, mutuisque vulneribus periere, omnes ad quinque. Farn. — Et jam enarraveramus Hercul. Fur. vs. 261, not. (vol. I, pag. 32.)

733. *Classicum* erat cornu, quæ concinendi causa erat factum, et a *colando* classicum dicebatur.

734. *Lituus,* incurvus semper et aheneus.

735 sq. *Ante non linguas Agiles,* etc. Ordo loci paululum intricati, est: « Experti non ante (non antea), linguas agiles, et (experti) primum clamore hostico auram vocis ignotæ. » Nempe Terrigenæ isti nunquam ante linguas erant experti; et quæ prima miserunt verba, fuerunt bellici clamores.

736. *Auram vocis ignotæ.* Spiritum qui emittit vocem, iis omnino novam et ignotam. Alii, *ora.* Vid. Animadv.

738. *Cognata.* Fraterna.

739. *Digno jacto semine.* Origini suæ, semini suo, serpentis dentibus, bene respondens; et, ut erat serpens, fera, avida necis.

740. *Ætatem.* Vitam suam unius diei spatio emensa.

Post Luciferi nata meatus,
Ante Hesperios occidit ortus.
Horret tantis advena monstris,
Populique timet bella recentis,
Donec cecidit sæva juventus,
Genitrixque suo reddi gremio
Modo productos vidit alumnos.
Hac transierit civile nefas!
Illa Herculeæ norint Thebæ
Prælia fratrum!
Quid Cadmei fata nepotis,
Quum vivacis cornua cervi
Frontem ramis texere novis,
Dominumque canes egere suum?
Præceps silvas montesque fugit
Citus Actæon, agilique magis
Pede per saltus et saxa vagus,
Metuit motas Zephyris plumas,
Et, quæ posuit, retia vitat;

743. *Advena.* Cadmus, advena Tyrius.

744. *Timet*, pavidus subsistit videndo. — *Recentis*, vix nati.

746. *Genitrix*, terra.

744. *Modo productos.* Quos nuperrime pepererat.

748. *Hac transierit*, etc. Dictum per exclamationem et parenthesim, inter descriptionem. Sic explica : « Poteritne fieri ut nefas illud civium se interficientium, transierit, pervenerit hac, apud nos, et Thebæ norint illa prælia fratrum! » Et is est metus Chori, quem eventus nimis justum esse probaverunt. — Versum hunc, 748, Farnabius explicat : « Atque utinam hic finis sit intestinis et civilibus Thebanorum bellis! » Nec ad ipsum loci textum, ni fallimur, nec ad sequentis versus sensum.

751. *Quid Cadmei*, etc. Formula continuandæ narrationis usitatior : « Cur narrem fata, etc. » — *Cadmei nepotis*, Actæonis.

752. *Vivacis cerv.* Epith. ut videtur, solemne; Virg. Ecl. VIII, 30; Ovid. Med. 59; Met. III, 194.

754. *Egere*, persequuti sunt.

756. *Agili magis*, quam quum feras insequeretur.

758. *Plumas.* Lineam, formidinem. Vid. Hippol. vs. 46.

759. *Posuit.* Nuper ipse, dum esset venator.

Donec placidi fontis in unda
Cornua vidit vultusque feros,
Ubi virgineos foverat artus
Nimium sævi Diva pudoris.

760. *Donec placidi fontis*, etc. Ad hunc scilicet fontem periit.

762. *Foverat.* Recreaverat.

763. *Nimium sævi Diva pudoris.* Diva, Diana, pudoris nimium sævi; scil. vindex sui pudoris niminm sæva : addit Farnab. « quæ quum noxam tam crudeliter ulta sit, graves in Thebanos iras Deorum arguit. » Et sic delictum Actæonis præbet, quasi novam Numinnm Thebanis infensorum causam. Apte quidem ad totins scenæ sensnm; sed, ut versns ponitur, debent ea, ni fallimur, de Actæonis solius pœna intelligi.

ACTUS QUARTUS.

ŒDIPUS, JOCASTA.

ŒD. Curas revolvit animus, et repetit metus.
Obiisse nostro Laium scelere autumant
Superi inferique; sed animus contra innocens,
Sibique melius quam Deis notus, negat.
Redit memoria, tenue per vestigium,
Cecidisse nostri stipitis pulsu obvium

Act. IV, sc. 1. Suspicari jam incipit OEdipus, ne ille forte, quem olim Delphos petens occidisset, Laius fuerit : quærit itaque a Jocasta, de Laii ætate, necis tempore, et aliis circumstantiis.

764. *Curas revolvit animus*, etc. Idem est apud nost. Voltaire initium quarti actus : « Non, quoique vous disiez, mon ame inquiétée De soupçons importuns n'est pas moins agitée. » Et ea quæ sequuntur; ubi tamen plus innocentiæ suæ diffidit OEdipus, quam in auctore latino.

766. *Superi inferique*. In superis Apollo, vel Tiresias et Creon; in inferis, Laius, seu umbra Laii.

767. *Sibique melius quam Deis notus*. Exquisite hic interpres gallicus, in notis ad calcem versionis suæ : « Cette réflexion d'OEdipe semble d'abord avoir quelque chose d'impie. Mais, en l'approfondissant, on reconnaît tout ce qu'elle a de poétique et de théâtral. Ce malheureux prince est tellement persuadé de son innocence, qu'il ne peut croire qu'il soit possible d'en douter. Le cri de sa conscience se fait entendre avec tant d'énergie, qu'il croit connaître mieux que les Dieux eux-mêmes le fond de son ame. Il ne sait pas que l'oracle d'Apollon s'est accompli. Combien seront terribles les effets de son désespoir, en apprenant la vérité! »

768. *Redit memoria, tenue per vestigium*, etc. Sic Quintil. XI, 2, 7 : « Nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit. » Voltaire, loco supra citato : « Enfin, je me souviens qu'aux champs de la Phocide, Dans un chemin étroit je trouvai deux guerriers.... Il fallut disputer, dans cet étroit passage, Des vains honneurs du pas le frivole avantage, etc. »

769. *Stipitis*. Clavæ. Jocasta tamen ensem fuisse dicit, vs. 1034.

Datumque Diti, quum prior juvenem senex
Curru superbus pelleret, Thebis procul,
Phocæa trifidas regio qua scindit vias.
Unanima conjux, explica errorem, precor.
Quæ spatia moriens Laius vitæ tulit?
Primone in ævo viridis, an fracto occidit?
JOC. Inter senem juvenemque, sed propior seni.
OED. Frequensne turba regium cinxit latus?
JOC. Plures fefellit error ancipitis viæ;
Paucos fidelis curribus junxit labor.
OED. Aliquisne cecidit regio fato comes?
JOC. Unum fides virtusque consortem addidit.
OED. Teneo nocentem : convenit numerus, locus;
Sed tempus adde. JOC. Decima jam metitur seges.

SENEX, OEDIPUS.

SEN. Corinthius te populus in regnum vocat
Patrium. Quietem Polybus æternam obtinet.
OED. Ut undique in me sæva Fortuna irruit!

771. *Curru pelleret*, stans in curru me agitaret, propelleret.

772. *Phocæa*, etc. Vid. supra vs. 768, loco laudato; et cæterum, illud OEdipi et Jocastæ colloquium magna ex parte a Sophocle in OEdipo Tyranno accepit tragicus uterque tum latinus, tum gallicus. — *Trifidas regio*, sup. vs. 278.

773. *Unanima*, fida. — *Explica*, exsolve. — *Errorem*, animi mei hæsitantis aut fluctuantis inter dubitationes.

774. *Quæ spatia vitæ tulit.* Cujus ætatis fuit, quum occidit.

775. *An fracto.* An in ævo fracto, annis debilitato.

779. *Labor*, sedulitas, officium.

781. *Unum.* Polyphontem præconem.

782. *Teneo nocentem*, me scilicet.

783. *Decima jam metitur seges.* Ante annos decem. Alii legunt, *vigesima*, vel etiam *tricesima*; vid. Animadv.

Act. IV, sc. II. E sene a Merope et Corinthiis misso, qui OEdipum de Polybi morte edoceat, rogetque ad gubernacula regni suscipienda veniat, discit OEdipus se non vere esse Polybi filium; nimia itaque curiositate suos veros invenit parentes.

786. *Undique*, ludificando me et

Edissere agedum, quo cadat fato parens.
SEN. Animam senilem mollis exsolvit sopor.
OED. Genitor sine ulla cæde defunctus jacet.
Testor, licet jam tollere ad cælum pie
Puras, nec ulla scelera metuentes manus.
Sed pars magis metuenda fatorum manet.
SEN. Omnem paterna regna discutient metum.
OED. Repetam paterna regna, sed matrem horreo.
SEN. Metuis parentem, quæ tuum reditum expetens
Sollicita pendet? OED. Ipsa me pietas fugat.
SEN. Viduam relinques? OED. Tangis, en, ipsos metus.
SEN. Effare, mersus quis premat mentem timor.
Præstare tacitam regibus soleo fidem.

ambiguum tenendo; vel secundum jam regnum perniciose mihi ingerendo; vel denique, luctum indicendo novum.

788. *Animam senilem*, etc. Quia, ut ait Sophocles, OEd. Tyr. v. 971, Σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή.

789. *Genitor*. Polybus, quem suum patrem credit. — *Sine ulla defunctus*, etc. Adeo mens OEdipi indictis præsagiis percussa est, ut prior vox ejus mortem paternam audientis, non sit luctui consecrata, sed falsum arguat crimen oraculi. *Voltaire*, act. V, sc. II: «Qu'êtes-vous devenus, oracles de nos Dieux? Vous qui faisiez trembler ma vertu trop timide, Vous qui me prépariez l'horreur d'un parricide: Mon père est chez les morts, et vous m'avez trompé; Malgré vous dans son sang mes mains n'ont point trempé!»

790. *Licet jam*. Nunc possum, comperta mea innocentia. — *Pie*, junge cum *tollere*.

792. *Pars magis metuenda fatorum*, scilicet de incestis matris nuptiis.

793. *Omnem paterna regna*, etc. Vult senex indicare, eam esse potentiam, felicitatem cujus compos erit OEdipus in acquirendo patris solio, ut nihil debeat metuere; non autem in animo habet depellere illos de incestis nuptiis timores, quos nempe nescire potest fuisse conceptos ab OEdipo.

794. *Matr. horreo*. Matris nuptias timeo. Cf. sup. v. 792; inf. v. 800.

796. *Sollicita pendet*. Anxietate immoritur. — *Pietas*, qua me fovet, et qua sum indignus; vel forsitan, intelligendum τὸ *pietas*, de amore ipsius OEdipi erga parentem.

797. *Tangis, en, ipsos metus*. Rem tetigisti, tetigisti ulcus. Hoc enim est quod metuo, ne, fato ductus, eam viduam ducam. FARN.

798. *Mersus*, absconditus, mysterii plenus.—*Præst. soleo*. Ut præstiterat prius, in OEdipi genere, velut regio, tegendo celandoque.

OED. Connubia matris Delphico admonitu tremo.
SEN. Timere vana desine, et turpes metus
Depone. Merope vera non fuerat parens.
OED. Quod subditivi præmium nati petiit?
SEN. Regnum superbum: liberi adstringunt fidem.
OED. Secreta thalami, fare, quo excipias modo.
SEN. Hæ te parenti parvulum tradunt manus.
OED. Tu me parenti tradis; at quis me tibi?
SEN. Pastor nivoso sub Cithæronis jugo.
OED. In illa temet nemora quis casus tulit?
SEN. Illo sequebar monte cornigeros greges.
OED. Nunc adice certas corporis nostri notas.
SEN. Forata ferro gesseras vestigia,
Tumore nactus nomen ac vitio pedum.
OED. Quis fuerit ille, qui meum dono dedit
Corpus, requiro. SEN. Regios pavit greges.

801. *Turpes.* Quid enim turpius, quam incesta cum matre connubia? Sic *turpis* dicitur OEdipus ipse, vs. 238, ubi vid. not.

803. *Quod subditivi*, etc. In quem finem adscivit me filium suppositium Merope?

804. *Regnum superbum.* Sub. petivit; et *regnum superbum*, intellige, splendorem regni. — *Liberi adstringunt fidem.* Retinent populum in fide, ne quando interfecti regis liberi sint ultores. FARN. — Sententiæ auctor Euripides, Med. vs. 597: φῦναι τυράννους παῖδας, ἔρυμα δώμασι. Confirmator Tacitus, Hist. IV, 52: « Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. » BADEN.

805. *Secreta thalami.* Arcanum illud, quod non ultra Polybi et Meropes thalamum progredi debuit. — *Excipias*, pro exceperis. Vividius dictum.

806. *Hæ*, meæ. — *Parenti*, sc. Polybo, quem tamen scit senior non esse patrem OEdipi; sed ex consueto loquitur. — *Parvul. tradunt man.* Hæc et sequentia pæne omnia, qui cum Sophocle, in OEdipo tyranno, contulerit, non aliunde sumpta deprehendet.

811. *Adice*, adjice, adde.

813. *Tumore nactus*, etc. Οἰδῶν τὼ πόδε, scil. ὅθεν νιν Ἑλλὰς ὠνόμαζεν Οἰδίπουν. Euripid. Phœniss. vs. 27. — Moris erat apud Antiquos ea infantibus nomina indicere, quæ spectarent ad quasdam pravas bonasve animi dotes, aut ad aliquod corporis vitium. Vid. Macrob. Saturn. I, c. 6; Plin. XVIII, cap. 1, al. cap. 2.

815. *Pavit*, ut regius pastor summus; a verb. *pasco*.

Minor sub illo turba pastorum fuit.
OED. Eloquere nomen. SEN. Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ.
OED. Potesne facie noscere ac vultu virum?
SEN. Fortasse noscam. Sæpe jam spatio obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.
OED. Ad sacra et aras omne compulsum pecus
Duces sequantur. Ite propere, arcessite,
Famuli, penes quos summa consistit gregum.
SEN. Sive ista ratio, sive fortuna occulit,
Latere semper patere, quod latuit diu.
Sæpe eruentis veritas patuit malo.
OED. Malum timeri majus his aliquod potest?

816. *Minor*, intell. minoris auctoritatis.

817. *Prima l. senum memoria.* Pro eo quod Plaut. ait, Epid. IV, 1, 8: « ... longa Dies meum incertat animum. » Proponit Farnabius, an *prima* inter animæ potentias deficit, quum ætas illa, in continuo deflexu, rerum species nequeat retinere? au *primo* quidem objectum non agnoscit, postea autem reminiscitur, ut ait vs. 820. — Nescimus, nos, an *prima memoria senum* sit, « quod primum, quod a longinquo tempore acceperunt. »

818. *Situ*, ævo. Pro *ævo* scilicet sumit, quod fieri solet ab ævo.

819. *Facie ac vultu.* Distinguuntur facies et vultus. Sallust. Catil. XV, in fin. « prorsus in *facie vultuque* vecordia inerat. » Vultum fingere possumus, faciem non possumus. Nonius : « *vultus* est voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur. *Facies*, ipsa oris species. » Significat, vultum illam esse faciei et oris compositionem, quam pro habitu moribus animi accommodamus. Aliam differentiam Fronto tradidit, *vultum* hominum proprie, *os* omnium, *faciem* plurium esse. Delr.

821. *Levis nota*, leve indicium.

822. *Ad sacra et aras.* Scilicet sub prætextu sacrificii. Et hæc alta voce enuntiat OEdipus, famulis in postica parte theatri stantibus. — *Compulsum*, quod ipsi duces compellent.

823. *Duces*, pecudum. — *Arcessite*, junge cum, *penes quos*, in vs. sequenti. Scilic. « Vos famuli, arcessite eos penes quos, etc. » Aliter intelligit Farnab. et vult *Famulos* esse bubulcos et pastores ipsos.

825. *Ista*, hanc tuam originem.

827. *Sæpe eruentis*, etc. Ordo est : « sæpe veritas pat. malo eruentis. » Et *mala*, explica, « in damnum, in perniciem ejus qui eruit. »

828. *Majus his.* Parricidio et incesto.

SEN. Magnum esse, magna mole quod petitur, scias.
Concurrit illinc publica, hinc regis salus,
Utrinque paria. Contine medias manus.
Ut nil lacessas, ipsa se fata explicant.
Non expedit concutere felicem statum.
OED. Tuto movetur, quidquid extremo in loco est.
SEN. Nobilius aliquid genere regali appetis?
Ne te parentis pigeat inventi, vide.

829. *Magnum esse*, *mogna*, etc. Sensus est : Seias hauc rem quæ tantis difficultatibus movenda est, quam tantæ molis est cognoscere, nonnisi magnam rem esse, et quæ multa secum debeat trahere, si detegatur. Frigidius nec ad verum Senecæ sensum, interpres gallicus: « Ce secret que vous desirez si ardemment savoir ne saurait être qu'une grande chose. »

830. *Concurrit illinc publica, hinc regis salus*, *Utrinque paria*. Studio videntur obscurata verba, ut et senis sententiam explicent, et conveniant etiam in aliam rem, quæ maxime negotium OEdipo facessebat. Senex Corinthius dicit : pugnare videntur salus publica Corinthiorum et tua. Illa vult ut sine ulla inquisitione accipias delatum regnum, nec alterius te quam Polybi filium feras : hæc, ut resciscas, quorum hominum sis, quosque vitare metu parricidii et incesti debeas : utriusque vis ingens : medium igitur feri : accipe primum et firma regnum : dein per otium inquire aut exspecta venientia fata. Eadem tamen ambiguitate verborum monetur OEdipus, quid Thebis ei faciendum sit. Ibi quoque divertebant salus publica et regis : si non inquireret in interfectorem Laii, videbatur negligere populi Thebani salutem : si inquireret, eumque deprehenderet, suam : difficile erat in utramvis partem totum descendere : erant enim utrinque etiam paria, hoc est, æque graves causæ, quæ et huc et illuc traherent : quare melius, ut medium se teneret, et neutri dederet, servando speciem inquisitionis, non omnem exsequendo. GRON.

831. *Contine medias manus*. Pro, *contine manus in medio*. Quasi diceret, abstine tangere rem, vel amplius interrogare.

832. *Ut*, quamvis. — *Nil lacessas*, nihil tangas, hujus arcani explorationem nullo modo provoces. — *Se explicant*. Se declarare solent.

833. *Non expedit concutere*, etc. Versus est poetæ alicujus dramatici vel gnomici : Εὖ κείμενον τὸ καλὸν οὐ κινητέον.

834. *Tuto*, sine periculo. — *Extremo in loco*, supple si vis, miseriarum.

835. *Nobilius aliquid oppetis*. Sperasne originem nobiliorem a te tibi detegendam fore.

836. *Inventi*, per adoptionem. — *Vide*, cave.

OED. Vel pœnitendi sanguinis quæram fidem,
Si nosse liceat. Ecce, grandævus senex,
Arbitria sub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. Refersne nomen aut vultum senis?
SEN. Arridet animo forma: nec notus satis,
Nec rursus iste vultus ignotus mihi.
Regnum obtinente Laio, famulus greges
Agitasti opimos sub Cithæronis plaga?

PHORBAS, SENEX, ŒDIPUS.

PHORB. Lætus Cithæron pabulo semper novo
Æstiva nostro prata summittit gregi.
SEN. Noscisne memet? PHORB. Dubitat anceps memoria.
OED. Huic aliquis a te traditur quondam puer?
Effare. Dubitas? cur genas mutat color?

837. *Vel pœnitendi sanguinis*, etc. Etsi certo sciam, fore ut me pudeat pœniteatque natalium, tamen animo morem geram, et ubi incesserit libido eos noscendi, haud desinam inquirere. Sophocles ita dicentem facit OEdipum: Σὺ μὲν γὰρ οὐδ' ἂν ἐκ τρίτης ἐγὼ Μητρὸς φανῶ τρίδουλος, ἐκφανῇ κακή. GRON.

838. *Si nosse liceat.* Vid. Animadversiones. — *Ecce, grandæv. sen.* Hæc ab OEdipo dicuntur, dum Phorbas intrat.

840. *Refersne.* Revocasne tibi in memoriam.

841. *Arrid. animo forma.* Forma convenit cum senis imagine quam animo retinueram. Haud dissimiliter apud Plautum, Epidic. act. IV, sc. 1, 10, Periphanes ait: « ... noscito ego hanc. Nam videor, nescio ubi, me vidisse prius. Estne ea, an non Est, quam *animus* retur mens? » BADEN.

844. *Sub plaga*, in vallibus queis imminet Cithæron.

Act. IV, scen. III. Phorbas (vid. ad hoc nomen Animadv.) agnoscitur a sene Corinthio: et idem postquam rex verba vivida et etiam tormentorum minas illi admovit, fatetur OEdipum conjuge esse genitum sua. Tunc OEdipus, vix sui compos, ad diras invehitur et imprecationes.

845. *Lætus*, pascuis ferax.

846. *Æstiva*, per æstatem. — *Summittit*, et nunc, et olim submittebat. Hæc sunt respondentis interroganti seni. — *Summittit*, intellige, suppeditat.

847. *Huic*, seni.

Quid verba quæris? veritas odit moras.
PHORB. Obducta longo temporum tractu moves.
OED. Fatere, ne te cogat ad verum dolor.
PHORB. Inutile isti munus infantem dedi.
Non potuit ille luce, non cælo frui.
SEN. Procul sit omen. Vivit, et vivat precor.
OED. Superesse quare traditum infantem negas?
PHORB. Ferrum per ambos tenue transactum pedes
Ligabat artus: vulneri innatus tumor
Puerile fœda corpus urebat lue.
SEN. Quid quæris ultra? fata jam accedunt prope.
OED. Quis fuerit infans, edoce. PHORB. Prohibet fides.
OED. Huc aliquis ignem. Flamma jam excutiet fidem.
PHORB. Per tam cruentas vera quærentur vias?
Ignosce quæso. OED. Si ferus videor tibi,
Et impotens, parata vindicta in manu est.
Dic vera. Quisnam, quove generatus patre,
Qua matre genitus? PHORB. Conjuge es genitus tua.
OED. Dehisce, tellus; tuque tenebrarum potens,

850. *Veritas odit moras.* Vera relaturo in promptu verba sunt, nec mora est opus.

851. *Obducta longo temporum tractu moves.* Ordo est, « moves (negotia), obducta longo tractu temporum; » i. e. quæ velo obduxerunt tempora, dum trahuntur.

853. *Inutile munus;* donum infantis non diu victuri: nam saucius erat.

855. *Procul sit omen.* Abstine his infaustis verbis.

856. *Superesse*, adhuc vivere.

858. *Ligabat artus.* Et *artus* hic sunt crura.

859. *Lue*, putredine.

860. *Quid quæris ultra?* OEdipum senex compellat. — *Fata jam acc. prope.* Instat momentum quo tristia tibi detegentur fata.

861. *Fides*, quam præstiti, me servaturum esse silentium.

862. *Huc al. ign.* Supp. afferat.

863. PHORB. *Per tam cruentas vera*, etc. Ad hunc versum et sequentem, confer Animadv.

865. *Impotens*, iræ. — *Parata vindicta in manu est.* Jam habes, quo me ulciscaris (vel forsan, quo *vindices* te ab tormentis) vera dicendo, quod est in manu tua.

867. *Qua matre genitus.* Scil. ille puer, quem tradideras.

868. *Dehisce tellus.* Ex hoc loco judicari potest quam severa fuerit,

In Tartara ima, rector umbrarum, rape
Retro reversas generis ac stirpis vices.
Congerite, cives, saxa in infandum caput.
Mactate telis. Me petat ferro parens,
Me natus. In me conjuges arment manus,
Fratresque; et æger populus ereptos rogis
Jaculetur ignes. Seculi crimen vagor,
Odium deorum, juris exitium sacri;
Qua luce primum spiritus hausi rudes,
Jam morte dignus. Redde nunc animos, parens.
Nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.
I, perge, propero regiam gressu pete.
Gratare matri liberis auctam domum.

apud Veteres, recti necessitas. Nemo enim insontem se arbitrabatur, etiam quum scelera non nisi invitus admiserat, et sibi ipse exsecrandus videtur OEdipus, et divina humanaque prætergressus. Ille autem horror quem de se ipse concepit, maxima formidine spectatores perfundere debuit. — *Tenebrarum potens*, Pluto.

870. *Retro reversas*, etc. Me, qui adversus naturæ leges, sum reversus in propriæ matris uterum. Sup. 638. — Œdipum pariter imprecantem inducit nost. *Voltaire*, in sua tragœdia; vid. act. IV, scenam IV integram.

871. *Parens... natus.* Intelligitur quilibet pater, quilibet natus.

872. *Mactate telis.* H. e. interficite. Attius in Antenoridis: « Aut navis uram, aut castra mactabo in mare. » Baden.—*In me*, qui omnium parentum, liberorum, conjugum, fratrum jura violaverim.

874. *Æger*, peste laborans quam meum suscitavit nefas. — *Ereptos rogis ignes*. Vid. sup. vs. 550, not.

875. *Seculi crimen.* Ævi nostri dedecus et opprobrium.

876. *Juris exitium sacri.* Ego, in quo et per quem abolitum est et quasi excisum fuit jus omne sacrum. — Apposite Lucan. VIII, 410 sq. « ... cui fas implere parentem, Quid rear esse nefas? » Ban.

877. *Spiritus rudes*, vitam nascentem, quasi inchoatam.

878. *Parens*, mater mea.

879. *Nunc aliquid aude.* Scil. consciscendo tibi mortem.— *Scel. dig. tuis*, supp. expiandis.

880. *I, perge.* Se ipsum alloquitur OEdipus, dum vers. præced. Jocastam.

881. *Liberis auctam domum.* Ob domum auctam liberis a te filio ex matre. Farn.

CHORUS.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, ne pressæ gravi
Spiritu antennæ tremant.
Lenis et modicum fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem;
Tuta me media vehat
Vita decurrens via.
Cnossium regem timens,
Alta dum demens petit,
Artibus fisus novis,
Certat et veras aves
Vincere, ac falsis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.

Act. IV, sc. IV. Varietati obnoxium arguit Chorus excelsum statum : mediam itaque fortunam optat, cujus laudes canit, a similitudine navis modico vento actæ, et exemplo Icari.

886. *Ant. tremant.* Malunt alii *gemant*, ad imitationem Horatii, Od. I, XIV, 5, 6 : « Et malus celeri saucius Africo Antennæque gemant. » Vid. Animadv.

888. *Nec vergens latus.* Et is cursus qui faciat latera cymbulæ meæ neutra ex parte inclinantia.

889. *Intrepid.* timoris expertem.

890 sq. *Tuta me media*, etc. Ordo est, tuta via decurrens via media vehat me. *Via media*, est aurea illa mediocritas, poetis adeo decantata : et *vehat*, verbum est sumptum e comparatione vitæ cum navigatione.

892. *Cnossium regem.* Minorem regem Cretæ, in qua Cnossus urbs. — *Timens.* Ref. ad *puer*, vs. 897.

893. *Alta.* Vid. Animadv.

896. *Falsis*, « non homini datis, » ut ait Horat. Od. I, III, 35.

897. *Nimis Imperat pennis.* I. e. nimium exercet pennas, nimium ab iis exigit. Vid. Animadv.

898. *Nomen eripuit freto.* Partem

Callidus medium senex
Dædalus librans iter
Nube sub media stetit,
Alitem exspectans suum;
Qualis accipitris minas
Fugit, et sparsos metu
Colligit fœtus avis;
Donec in ponto manus
Movit implicitas puer,
Comes audacis viæ.
Quidquid excessit modum,
Pendet instabili loco.
Sed quid hoc? postes sonant.
Mœstus it famulus manu
Regius quassans caput.
Ede, quid portes novi.

sc. maris Ægei, in quam decidit, Icariam, mutato nomine fecit appellari.

901. *Nube sub media.* In ea cæli parte, quæ media, nec altius, nec inferins patet.

902. *Alitem suum*, suum filinm, cui pennas ipse aptaverat.

903. *Qualis*, refer ad *Dædalus exspectans;* et explica, cum tanta anxietate, quanta avis fugit, etc.

907. *Implicitas*, vasto pennarum remigio fragmentisqne alarum.

911. *Postes*, regiæ fores. — *Sonant*, crepuere, exeunte nnntio.

913. *Quassans caput.* Pulsare, percutere caput, mos est dolentium et lugentium.

ACTUS QUINTUS.

NUNTIUS.

PRÆDICTA postquam fata, et infandum genus
Deprendit, ac se scelere convictum OEdipus
Damnavit ipse; regiam infestus petens,
Invisa propero tecta penetravit gradu,
Qualis per arva Libycus insanit leo,
Fulvam minaci fronte concutiens jubam.
Vultus furore torvus, atque oculi truces;
Gemitus, et altum murmur; et gelidus fluit
Sudor per artus; spumat, et volvit minas,
Ac mersus alte magnus exundat dolor.
Secum ipse sævus grande nescio quid parat,
Suisque fatis simile. « Quid pœnas moror? »
Ait, « Hoc scelestum pectus aut ferro petat,
« Aut fervido aliquis igne vel saxo domet.
« Quæ tigris, aut quæ sæva visceribus meis

Act. V, sc. 1. Nuntius OEdipi excæcationis consilium et modum narrat. Huic scenæ respondent fere quæ describit Sacerdos in ultima quinti actus scena, apud nostratem *Voltaire*.

917. *Infestus*, furore accensus.

918. *Invisa*. Ubi est conjux eadem et mater sua : iidem et sui fratres et liberi.

920. *Fulvam*. Proprie leonum color est.—*Jubam*. Malunt alii, *comam ;* sed juba est coma promissior. Conf. Animadv.

921. *Vultus*, OEdipi.

922. *Altum*, profundum, tractum ex intimo pectore.

924. *Alte*, junge cum *mersus*. — *Exundat*, per gemitus, per murmura, per minas quas volvit.

926. *Simile*. Supplicium tam horrendum, quam est ipsius fatum.

« Incurret ales? Ipse tu scelerum capax,
« Sacer Cithæron, vel feras in me tuis
« Emitte silvis, mitte vel rabidos canes;
« Nunc redde Agaven. Anime, quid mortem times?
« Mors innocentem sola fortunæ eripit. »
Hæc fatus, aptat impiam capulo manum,
Ensemque ducit. « Itane tam magnis breves
« Pœnas sceleribus solvis, atque uno omnia
« Pensabis ictu? Moreris, hoc patri sat est.
« Quid deinde matri? Quid male in lucem editis
« Natis? Quid ipsi, quæ tuum magna luit
« Scelus ruina, flebili patriæ dabis?
« Solvendo non es. Illa quæ leges ratas
« Natura in uno vertit Œdipoda, novos

930. *Scelerum capax Cithær.* Cithæron, qui recessibus tuis multa contines scelera. Hæc autem scelera explicat Farnabius, Agaves, vel cæterarum Baccharum; interpres gallicus, monstrorum immanium, quia nempe πολυθηρότατον νάπος Cithæron audit Euripidi, Phœniss. vs. 808. Cur non utrumque intelligas, crimina, scelera, furores, tum ferarum, tum Agaves illiusque comitum?

931. *Sacer*, vel festus, ad sacra seu Jovis, seu Bacchi natus, ut ait Baden. vel exsecrandus.

933. *Nunc redde Agaven.* Supra vs. 616, et conf. Phœniss. vs. 17, ad notas.

934. *Fortunæ*, supp. adversæ.

935. *Impiam*, ruentem scilicet in proprium funus.

936. *Ducit*, educit e vagina. — *Breves*, i. e. parvæ, leves, et apte opponuntur *magnis* vs. præc. Bad.

937. *Sceleribus*, dativo sumitur.

939. *Quid deinde matri.* Supple, solves, rependes. — *Male in lucem editis.* Sub abominando auspicio natis.

942. *Solvendo non es.* Vide primum Animadvers. in hunc locum, quem Grotius perquam ingeniosissime emendavit; et hæc intellige Œdipi se ipsum pergentis alloqui: « quas pœnas dabis? non potes solvere, quantas debes. Illa natura, cujus leges in me uno sunt supra omnia exempla violatæ, mutetur oportet in supplicia mea. » Licinius nepos, apud M. Senecam, Contr. XXXIII (ed. Nost. p. 447): « Ut solvendo sis in pœnas quoties tibi renascendum est! » Quintilianus, Declam. IX, 9 (ed. nost. vol. V, p. 210): « Placeamus licet nobis fortuna nostra, pater, pauperi solvendo non sumus. » — *Ratas*, certas, in æternum et ab æterno constitutas.

943. *Novos part.* Filios ex matre.

« Commenta partus, suppliciis eadem meis
« Novetur. Iterum vivere, atque iterum mori
« Liceat renasci semper; ut toties nova
« Supplicia pendas. Utere ingenio miser.
« Quod sæpe fieri non potest, fiat diu.
« Mors eligatur longa : quæratur via,
« Qua nec sepultis mixtus, et vivis tamen
« Exemtus erres. Morere, sed citra patrem.
« Cunctaris, anime? subitus en vultus gravat
« Profusus imber, ac rigat fletu genas.
« Et flere satis est? hactenus fundent levem
« Oculi liquorem? Sedibus pulsi suis
« Lacrimas sequantur; hi maritales statim
« Fodiantur oculi. » Dixit, atque ira furit.

944. *Commenta*, quæ novos, i. e. turpes, scelestos partus invenit.

945. *Novetur*, mutetur.

947. *Utere ingenio miser.* Utere eo ingenio, ad pœnas excogitandas, quo usus es quondam in Sphingis ænigmate solvendo. FARN.

950. *Qua nec sepultis mixtus... tamen Exemtus*, etc. Vertit gallice locum nost. *Corneille*, in Œdipo suo, et in eo sumpsit ad verbum *Voltaire* : « . . . et le sort qui l'accable, Des morts et des vivants semble le séparer. » — *Vivis exemtus*, abstractus e numero vivorum.

951. *Citra patrem.* Interpretatur Farnabius, non uno ictu, ut Laius. Sed melius est, quod intelligit Gronovius : Non usque eo quo pater, h. e. ut e viventium numero abeas. Morere, sed citeriore quasi linea quam pater : ne ad patrem pervenias, utque, quamvis mortuus sis, superstes et vivum funus circumferare : et denique mortuus eum oculis non contingas. Apud Sophoclem, quum Chorus dixisset, melius ei futurum fuisse non vivere, quam cæcum vivere, respondit Œdipus : Ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶδ' ὄμμασιν ποίοις βλέπων Πατέρα πότ' ἂν προσεῖδον εἰς ᾅδου μολών · ubi notat Scholiastes : Οἱ Ἕλληνες τοιαύτην εἶχον δόξαν, ὡς εἴτε τυφλός τις, εἴτε βλέπων ἐτελεύτα, τοιοῦτος καὶ ἐν ᾅδου ἦν.

954. *Hactenus fundent*, etc. Verba sunt interrogantis, et sensus est : « Oculine satis habebunt nunc etiam inutilem liquorem fundere. »

956. *Lacrimas sequantur.* Id est, cadant in terram, ubi cadunt lacrimæ. — *Maritales.* Ἔρωτος ἀνοσίου καὶ γάμου ἀνομίμου δᾳδοῦχοι. Ex conspectu enim amor. Hi, quibus placuit mater, vel qui illius amorem conciliavere.

957. *Dixit, atque ira furit.* Quam prolixe tractetur ille Œdipi sese obcæcantis furor, et quam fœde

Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculique vix se sedibus retinent suis.
Violentus, audax vultus, iratus, ferox,
Tantum eruentis. Gemuit, et dirum fremens
Manus in ora torsit. At contra truces
Oculi steterunt, et suam intenti manum
Ultro insequuntur; vulneri occurrunt suo.
Scrutatur avidus manibus uncis lumina;
Radice ab ima funditus vulsos simul
Evolvit orbes. Hæret in vacuo manus,
Et fixa penitus unguibus lacerat cavos
Alte recessus luminum, et inanes sinus,
Sævitque frustra, plusque, quam sat est, furit;

immoretur Seneca in describendo hoc supplicio, adeo sani lectoribus judicii patet, ut vix credant Romanos tale descriptionum genus libenter excepturos fuisse. Vix tres aut quatuor versus huic rei addixit nostras *Voltaire*, act. V, scen. VI, cui cæterum recti judicii arbitro, quando ullum posteri invenient parem? « Il s'est privé du jour avant que d'expirer. Je l'ai vu dans ses yeux enfoncer cette épée, Qui du sang de son père avait été trempée. Il a rempli son sort, etc. »

959. *Vix se retinent*, quasi conscii et in pœnas parati.

961. *Tantum eruentis*. Supple, et vultus illius est tantum (vultus) hominis eruentis, i. e. hominis non etiam sensum habituri crudelitatis aut doloris. « OEdipus duplicem sustinebat personam, punientis et supplicium patientis; ipse erat, et qui eruebat, et cui eruebantur oculi, ipse sibi noxius et lictor. At vultus erat parati ad supplicium, quasi ageret tantum, non ipse etiam pateretur. Simile acumen in Herc. OEt. vs. 1744: «...urere ardentem putes. » Gron. Obs. II, 19.

962. *In ora torsit*. Ad oculos violenter manus intulit.

963. *Oculi steterunt*. Oculos *stantes*, intellige, rectos, contra intentatas manus non conniventes. Lucan. V, 214: « Stat nunquam facies. » — *Intenti*, sponte sua se protendentes. Cf. Phœn. vs. 175.

965. *Manibus uncis*, digitis, unguibus. Utitur autem ad id supplicii OEdipus, apud Sophoclem, fibula, vs. 1278; apud Voltarium, quem paulo supra citavimus vers. 957, ense suo.

966. *Simul*, utrumque, uno ictu.

967. *Orbes*, oculos. Κύκλους. Ita Sophocles: Ἄρας ἔπαισεν ἄρθρα τῶν αὑτοῦ κύκλων. — *In vacuo*, jam evulsis scilicet e loco suo oculis.

968. *Fixa*, tenaciter adhærescens.

969. *Alte*, junge cum *lacerat*. —

Tantum est periclum lucis! Attollit caput,
Cavisque lustrans orbibus cæli plagas,
Noctem experitur. Quidquid effossis male
Dependet oculis, rumpit; et victor, Deos
Conclamat omnes : «Parcite, heu, patriæ, precor :
« Jam jussa feci, debitas pœnas tuli.
« Inventa thalamis digna nox tandem meis. »
Rigat ora fœdus imber, et lacerum caput
Largum revulsis sanguinem venis vomit.

CHORUS.

Fatis agimur, cedite fatis.
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto :
Servatque suæ decreta colus
Lachesis, dura revoluta manu.

Plusque, quam sat est, furit. Quum satis fuisset araneæ telam, quam vocat Farnabius, vel pupillam effodisse.

971. *Tantum est periclum lucis.* In tantum lucem exodit; tam attente cavet, ne quid sibi lucis relinquatur. Farn.

973. *Noctem experitur.* An sit penitus cæcus. — *Quidquid*, nervorum, vel carnis. — *Male*, vix.

974. *Victor*, quasi lætus hoc sumpto in semetipsum supplicio.

976. *Jussa feci.* Quod voluistis. Conf. vs. 658.

977. *Thalamis*, incesto conjugio.

978. *Rigat ora*, etc. Hæc quæ OEdipo adhuc loquenti tribuit gallicus interpres, autumamus cum Farnabio dici a Nuntio, ex sua persona. — *Fœdus imber*, scil. sanguinis e vulnere oculorum profluentis.

Act. V, scen. II. Chorus iste ex disciplina Stoicorum (qui omnia, immo deum ipsum subjiciunt inevitabilibus fatis) excusari OEdipum vult.

982. *Stamina.* Sic Hercul. Fur. 559 : « Evincas utinam jura feræ Stygis Parcarumque colos non revocabiles. » — *Rati*, destinati.

984. *Ex alto*, i. e. Fato seu providentia divina, vel, ut astrologi, ex constellatione. Farn.

986. *Lachesis*, una e Parcis, Fatum. — *Dura*, inexorabili, immutabili.

Omnia certo tramite vadunt,
Primusque dies dedit extremum.
Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis.
It cuique ratus, prece non ulla
Mobilis, ordo. Multis ipsum
Metuisse nocet; multi ad fatum
Venere suum, dum fata timent.....
Sonuere fores, atque ipse suum,
Duce non ullo, molitur iter
Luminis orbus.

OEDIPUS, CHORUS, JOCASTA.

OED. Bené habet, peractum est; justa persolvi patri.
Juvant tenebræ; quis Deus tandem mihi

987. *Omnia certo tramite vadunt. Certus* est ratus, vel ut loquitur Noster, Herc. OEt. vs. 676, « stabilis trames. » Senec. de Provid. cap. v : « Nihil cogor, nihil patior invitus, nec servio Deo, sed assentior eo quidem magis, quod scio omnia certa et in æternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt, et quantum cnique restet, prima nascentium bora disposuit. Causa pendet ex cansa, privata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est : quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veninnt. Olim constitulum est, qnid gandeas, quid fleas : et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in nnum venit : accepimus peritnra perituri. » Manilius, IV, vs. 14 sq. « Fata regunt orbem; certa stant omnia lege, Longaqne per certos signantur tempora cursus. Nascentes morimnr, finisqne ab origine pendet. » Similes de fato locos Veterum reperies apud Pricæum, ad Apuleii Met. IX, p. 177. BADEN.

988. *Primusque dies*, etc. Horoscopus genethliacns ex situ et nativitatis hora.

989. *Deo*, cuilibet, vel potius Jovi, qui Fati seu Necessitatis ineluctabili lége ipse tenetur.

990. *Suis*, non ex alieno scilicet pendentibns arbitrio.

992. *Ipsum metuisse*. Metus ipse.

995. *Ipse*, OEdipus.

Act. V, sc. III. Jocasta se interficit. OEdipus excæcatus in exsilium abit.

999. *Juvant tenebræ*. Amo has tenebras. — *Mihi*, junge cum *perfundit*, in vs. sequenti.

Placatus atra nube perfundit caput?
Quis scelera donat? Conscium evasi diem.
Nil, parricida, dexteræ debes tuæ.
Lux te refugit. Vultus OEdipoda hic decet.
CHOR. En, ecce, rapido sæva prosiluit gradu
Jocasta vecors: qualis attonita et furens
Cadmea mater abstulit nato caput,
Sensitve raptum. Dubitat, afflictum alloqui
Cupit, pavetque. Jam malis cessit pudor,
Et hæret ore primo vox. JOC. Quid te vocem?
Natumne? Dubitas? natus es, natum pudet.
Invite loquere nate. Quo avertis caput,
Vacuosque vultus? OED. Quis frui et tenebris vetat?

1000. *Atra nube*, cæcitatis caligine.

1001. *Donat*, dono remittit. — *Conscium*, quo lucente, et propterea fere conscio, tot admisi scelera.

1002. *Nil, parricida, dexteræ debes tuæ*. Solvisti pœnas quas meritus es pro scelere dextræ tuæ. Nihil est supplicii quod reposcere nunc queat scelus tuum, aut hujus sceleris instrumentum dextra tua. — Alium proponit sensum interpres gallicus: « Mais, ô parricide, ce n'est pas à ta main que tu dois ce bienfait, c'est la lumière elle-même qui te fuit... » Quæ interpretatio cæteris forsan arridebit; nobis arguta nimis (quanquam quis Seneca argutior!) certe videtur.

1003. *Lux te refugit*. Ne diutius parricidæ dies illucesceret; vel, ut sensus prior continuetur, solvisti ergo pœnas, quum te nunc cæcum ipse feceris.

1004. *En, ecce*. Vid. Animadv.

1005. *Qualis attonita et furens*, etc. Qualis Agave, postquam furens filio caput abstulit, moxque ad se reversa facinus sensit, attonita stetit; talis hic Jocasta. Vid. Anim.

1006. *Cadmea*, Thebana. — *Mater*, Agave; de qua fusius sup. vs. 933, ad notam.

1007. *Raptum*, a se interemtum. — *Dubitat*, Jocasta.

1008. *Malis cessit pudor*. Loquacia et garrula mala vicerunt tacitum pudorem.

1009. *Quid*, quo nomine.

1010. *Dubitas*, ad hoc nomen respondere? — *Natum pudet*. Res ex gestu noscenda. Ad vocem Jocastæ quassat caput et avertitur OEdipus. Ideo illa: *dubitas?* et, certe *natus es*: non enim puderet, nisi natus esses: iste ipse pudor tuus argumento est te filium meum esse, et recte sic appellavi.

1011. *Invite nate*. Etsi nolis meus esse filius. — *Quo avertis*, etc. Audita Jocasta, avertit se OEdipus.

1012. *Vacuos*, orbos oculis. —

Quis reddit oculos? Matris, heu, matris sonus.
Perdidimus operam. Congredi fas amplius
Haud est; nefandos dividat vastum mare,
Dirimatque tellus abdita; et quisquis sub hoc
In alia versus sidera, ac solem avium
Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.
JOC. Fati ista culpa est; nemo fit fato nocens.
ŒD. Jam parce verbis, mater, et parce auribus.
Per has reliquias corporis trunci precor,
Per inauspicatum sanguinis pignus mei,
Per omne nostri nominis fas ac nefas.
JOC. Quid, anime, torpes? Socia cur scelerum, dare
Pœnas recusas? Omne confusum perit,
Incesta, per te juris humani decus.
Morere, et nefastum spiritum ferro exige.
Non, si ipse mundum concitans Divum sator
Corusca sæva tela jaculetur manu,

Quis frui, etc. Quisnam tu es, qui interdicis mihi fructum capere, quem ex cæcitate percepisse mihi visus sum. FARN. — *Et*, etiam.

1013. *Quis reddit oculos?* Quis per aures ingerit mihi mala, quorum notas ne viderem, effodi mihi oculos. FARNAB. — *Sonus*, vox.

1014. *Perdidimus operam.* Nil profeci oculos eruendo, quum etiamnum audiam. — *Congredi*, in unum locum convenire. Matrem suam alloquitur.

1015. *Nefandos*, i. e. me et te, pariter scelestos.

1016. *Et quisquis sub hoc In alia*, etc. Ordo est: Et quisquis orbis dependet sub hoc, versus in alia sidera ac solem avium; ferat alterum ex nobis. — *Sub hoc*, orbe; et intelligit alterum hemisphærium.

1021. *Corporis*, mei. — *Precor.* Malunt alii *peto* ex cod. nam petere est, quum aliquid humiliter et cum precibus postulamus, ut notat ex Varrone Servius ad Æn. IX, 193. BADEN. — Vid. Animadv.

1022. *Per inauspicatum*, etc. Per infaustam prolem, liberos.

1023. *Per omne nostri nominis fas ac nefas. Fas*, matris et filii; *nefas*, uxoris, mariti, etc. quæ sunt nefanda inter nos nomina.

1023. *Quid, anime, torpes?* Se ipsam Jocasta alloquitur; et ad pœnas de se sumendas excitat. — *Socia*, cum OEdipo.

1026. *Juris humani*, quod per illicitum connubium violare tu sustinuisti.

1027. *Exige*, expelle.

1029. *Sæva*, junge cum *manu*.

Unquam rependam sceleribus pœnas pares,
Mater nefanda. Mors placet, mortis via
Quæratur. Agedum, commoda matri manum,
Si parricida es; restat hoc operi ultimum.
Rapiatur ensis: hoc jacet ferro meus
Conjux. Quid illum nomine haud vero vocas?
Socer est. Utrumne pectori infigam meo
Telum, an patenti conditum jugulo imprimam?
Eligere nescis vulnus. Hunc, dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum et natum tulit.
CHOR. Jacet peremta. Vulneri immoritur manus,
Ferrumque secum nimius ejecit cruor.

1031. *Mors placet, mortis via Quæratur.* Similiter Jocasta apud nost. *Voltaire*, act. V, scen. ultim. « Par un pouvoir affreux réservée à l'inceste, La mort est le seul bien, le seul dieu qui me reste. »

1032. *Agedum.* Œdipum renuentem rursus alloquitur.

1033. *Si*, quoniam. — *Operi*, sceleribus tuis.

1034. *Rapiatur ensis*, ad mortem mihi consciscendam: et dum loquitur, Œdipi gladium arripit.

1035. *Quid illum nomine haud vero vocas? Socer est.* Vix appellavit Laium, nomine conjugis sui, quum se ipsam redarguit: « Quid ais, Jocasta? Non est illud nomen verum Laii: Laius est socer tuus. »

1038. *Vulnus.* Vulneris locum.

1039. *Capacem.* Explicant vocem hanc quæ sequuntur; *capacem* scil. quod uno utero maritum eumdem et filium peperisset Jocasta. — *Virum et natum.* Alii legunt, *virum e nato.* Vid. Animadv.

1040. *Vulneri immoritur manus, Ferrumque*, etc. Nihil est Senecæ usitatius quam tristes et sanguineas imagines proponere, legentisque animum ut ita dicam et oculos, cruore sparso, cædibus lente et fere ad voluptatem consummatis satiare. Sic in Hippolyto, seu paretur nex Phædræ (vs. 705), seu describantur Hippolyti lacera et vix apte composita membra (act. V, in fin.) seu, in hac ipsa tragœdia, enarretur, horribili, supra quam nulla est, sedulitate, tota Œdipi excæcatio; et hoc loco, hæsitatio Jocastæ de eligendo mortis genere: affatim congeritur quidquid gladiatoria, et pæne dicam, laniatoria ars possit depromere. Ea sunt quæ respuit exquisitior apud recentiores, et apud Gallos præsertim, judicii sanitas; sed quæ amavit romana gens, cruori assueta, cruorem, vel in modum oblectamenti, reposcens, et truculentos vere adepta mores, ex continua bellorum certaminumque exercitatione. Debuit ergo forsan Noster tragicus talibus suorum studiis morem gerere, minime autem veniam apud nos meruit.

ŒD. Fatidice te, te, præsidem veri Deum,
Compello. Solum debui fatis patrem.
Bis parricida, plusque quam timui nocens,
Matrem peremi; scelere confecta est meo.
O Phœbe mendax, fata superavi impia.
Pavitante gressu sequere fallentes vias,
Suspensa plantis efferens vestigia.
Cæcam tremente dextera noctem rege.
I, gradere præceps, lubricos ponens gradus.
I, profuge, vade..... Siste, ne in matrem incidas.
Quicumque fessi corpore et morbo graves
Semianima trahitis pectora, en fugio, exeo,
Relevate colla : mitior cæli status
Post terga sequitur. Quisquis exilem jacens
Animam retentat, vividos haustus levis

1042. *Præsidem veri Deum*, Apollinem. Inf. 1046.

1043. *Solum patrem*. Solam mei patris mortem.

1044. *Bis parricida*, etc. Nescio quid sit terribilius quam hic versus et sequens, vel quid eum, quem dicunt, horrorem tragicum vividiori modo incutiat. Et acerba est ironia in eis quæ sequuntur, « O Phœbe mendax, etc. »

1046. *Superavi*, plus etiam quam prædixeras, adimplevi.

1047. *Sequere*. Ex Apolline, ad se ipsum convertit sermonem. — *Sequere fall. vias*, i. e. erroribus te committe. Laius de Œdipo, sup. v. 656 : « ... repet *incertus* viæ, etc. »

1048. *Suspensa*, vix telluri insistentia, propter obsistentis cujusque rei metum.

1049. *Cæcam noctem rege*. Dictum per enallagen, pro, rege te qui nocte perpetua versaris, propter cæcitatem. — *Rege*, dirige.

1051. *Siste*. Vix se ad progrediendum incitavit, quum pede cadaver matris suæ pæne offendit; et subito perculsus horrore, « *siste*, dixit, *ne in matrem*, etc. »

1052. *Quicumque*. Vos omnes, Thebani, qui, etc.

1053. *Semianima trahitis pectora*. Semivivo pectore ægrum spiritum ducitis.

1054. *Relevate colla*, quæ premebant et pestis et terror.

1055. *Post terga sequitur*. Succedet, ubi terga dedero, ubi fugero.

1056. *Vividos haustus*. Refer ad salubrem auram, quæ pestilentiæ ac cælo infecto medeatur. — *Levis*. Dicitur concipere auram *levis*, qui ex facili spirat, ad discrimen horum qui exilem animam retentant, et difficulter spirant. BADEN.

Concipiat. Ite, ferte depositis opem.
Mortifera mecum vitia terrarum extraho.
Violenta fata, et horridus morbi tremor,
Maciesque, et atra pestis, et rabidus dolor,
Mecum ite, mecum: ducibus his uti libet.

1057. *Depositis*. Hominibus desperatis, vel salutis desperatæ.

1058. *Mortifera mecum*, etc. Id est, quod prædictum fuerat, sup. vs. 656. — *Terrarum*, Thebanarum.

1059. *Morbi tremor*, tremor qui sequitur morbum.

1060. *Rabidus*. Voluisset lex grammatica, *rabide, horride*, sed lapsus hic Senecæ solemnis prope est.

1061. *Ducibus his uti libet*. Nullum alium comitatum volo, ego malis omnibus et omnibus furiis reservatus.

NOVÆ DE VARIETATE LECTIONUM IN ŒDIPUM ANIMADVERSIONES.

1. *Jam nocte Titan dubius expulsa redit*. Legitur in MSS. 6377, 8034, 8055, 8262, 8037, 8260, 8032, 8035, 8036, 8026, 8031, 8028, 8261, 8030 (et hic *emersit* pro *effulsit*), 8025, 8029, 8024, « Jam nocte pulsa dubius effulsit dies. » Sic et Philolog. Seb. Gryph. Heuric. Petr. Heins. Scriver. Farn. Jauss. Thys. — Sed pro lectione quam recepimus stant Gronov. Bip. Both. Baden. et adnotat Bothius : « Lectio *J. n. p. dubius effulsit dies*, nihil aliud est, quam διττογραφία, et prima, ni fallor, manus tragici, quam post, iterato *dies* offensus, emendavit. »

2. *Mæstus*. Quidam MSS. et editi, *mæsta*, plures *mæstum*. Nos sequimur cum Badenio correctionem Gronovii, verissimam, ut ait ille. Et præterea bene est, si æque Titan dicatur *mæstus jubar* quam *dubius*, quam *triste lumen gerens*.

3. *Luctifica*. Pauci admodum, 8024, 8029, *luctifera*.

4. *Prospiciet*. Quidd. *Perspiciet*. Heinsius legi vult, *Prospectat*; et, *ostendit*; quia dies jam exortus erat. Sed non desunt exempla similis temporum enallages. Baden. — *Solatas*. 8262, *desolatas*; 8037, *solitas*; Seb. Gryph. in margine, *desertas*.

7. *Quam blanda*. MS. 6377, *quantum bl.*

10. *Verberant*. Florent. *verberat*.

13. *Vagans*. Lect. Flor. *vacans*, probat Bothius, ut quæ significet, *otiosum*; quod in parte felicitatis.

14. *In regnum incidi*. Heinsius, « ut in regnum incidi, infanda timeo. »

17. *Indicant*. MSS. magna pars, et vetusta editio, *maj. indicant scelus*. Sed, præterquam repugnat certa lex numerorum, τὸ *indicere*, secun-

dum Heinsium, verbum est quo amat eleganter uti Seneca : et aggerit exempla. De Ira, III, 3; de Benefic. II, 17; Epp. 51, 55; Quintilian. Inst. Orat. VII, 4; et denique Lucanus, II, 111 « manifestaque belli Signa dedit mundus, etc. Indixitque nefas. »

18. *Aliquod.* Quidd. *aliud.* Sic MS. 6377, ut unum citemus.

24. *Parum ipse fidens mihimet in tuto tua.* MS. 8055, « Parvi ipse mihimet in tuto tua. » Sic et 8037, absque ullo sensu.

30. *Strage tam late.* MS. 6377, *str. cum lat.*

34. *Incolumis adsto.* Sic Ortel. a Lipsio et Rapheleng. mutuatus, et duo Pall. Reliqui, *inc. ergo; inc. ego; incol. oro.* Mire Gron. « Hæc omnia provenerunt ab hominibus temere atque indocte supplentibus quod deerat. Delrius conjicit : « Incol. ergo tu licet. » Grut. *Incol. erro.* Melior natio et vetustatis reverentior relegant τὸ *scilicet,* versumque habent eurtum, « Incol. ergo tu Phœbi reus. » Defectus in libris etiam antiquissimis sincerissimisque frequens. Nimirum secundam vocem hauserunt ultimæ litteræ vocis primæ, et scribendum : « Populi struem incolumis unus? » Dictum admirando et interrogando, per ellipsin verbi substantivi. Dein, « ergo tu Phœbi reus sperare poteras. » Fugit ratio virum doctissimum, quum hæc scriberet, omniaque ista suppleta temere atque indocte esse pronuntiaret. Sententiæ convenit τὸ *adsto :* ergo temere non est dictum, sed nec indocte; siquidem ita loqui solent optimi auctores, præsertim dramatici. Plaut. Aulular. 465; Mostell. 507; Pseud. 865; Terent. Heaut. 962; Ph. 606, et sic passim. Both.

39. *Sed igne frigit æstiferi Canis.* Vulgo, tum in MSS. tum in edd. « sed ignes auget æstiferi Canis. » At Flor. *igne friget,* in quo, vel *igne fervet,* vel *igne sævit* reperire sibi Gronovius videbatur. Sed recte Both. et Bad. *igne frigit,* id est, torret.

43. *Et tingit inopi,* 8029, 8024, « et tegit ipsa unda. » Sic Philolog. Seb. Gryph. H. Petr. Farnab. Nos sequimur Raph. Scriv. Gronov. Bip. Both. Bad. proclamante Lipsio : *quis non præferat?*

45. *Nubilo novo.* Mogunt. *nub. vano;* solus e nostris omnibus, 8029, *nubilo die.* Dan. Heinsius corrigit *nub. Jove,* quod admodum placuit Gronovio, et Nic. Heinsio. Nos lectionem ab omnibus omnino edd. receptam, et ab uno tantum codice exclusam accipere debuimus.

49. *Denegat fructum Ceres adulta; et altis,* etc. Dispungunt Gruter. et Delrius : « Den. fructum Ceres; adulta et altis, etc. » Melius visum est si triplici adjectivo, *adulta, flava, sterilis,* substantivus *seges* non fuit oneratus. Cur, insuper, non bene diceretur, « Ceres adulta? »

50. *Tremat.* Omnes fere MSS. 6377, 8034, 8055, et edd. vetustæ, Philol. Scriv. Petr. Raph. ipse Farnab. *cremat.* Nos et recentioribus et veræ, ni fallimur, lectioni adhæremus.

52. *Nec ulla pars immunis.* Antea non male, ut ait Gruter. legebatur, « Pars nulla regni immunis exitio vacat; et omnis, etc. » Sed præter exemplaria manu exarata (quorum reverentiam cur temere patiamur exolescere?), nata illa lectio, quod in nonnullis codd. verb. grat. 8028, 8033,

exstaret: « nulla pars immunis. » Itsque, ne rueret versus, interjecere *regni*, correctores librarii.

56. *Planctuque.* Vulgo *fletuque.* Quo admisso locus non est sequentibus:

> Quin ipsa tanti pervicax clades mali
> Siccavit oculos; quodque in extremis solet,
> Periere lacrimæ.

Scriptum putat Bothius *planctuqne, phlactuque, flatuque, fletuque* quemadmodum *p* at *f* literæ sæpe sibi invicem offecere. Et nos omnino assentimur.

57. *Quin ipsa.* MSS. 8260, 8032, Philol. Scriv. Petr. *q. ista.* Sed τὸ *ipsa* ex Psll. cum probatissimis editor. recipere placuit Badenio, quem seqnimur.

60. *Mater amens.* 8261, *mat. amans.* Non inepte omnino, qnamquam sit, procul dubio, calami lapsus; sed nequaquam ponderanda lectio, et statim ejicienda.

61. *Repetat.* MSS. fere omnes et compl. edd. *regerat.* Sed lectionem nostram dat cum Lipsiano optimus codex. Et insuper hæc sane sententis est: Parens a funere properat ad funus, et petit alium quem comburat. — *Ragum.* Ita MSS. In duobus e nostris, 6377, 8034, *locum.*

63. *Suæque.* Unus tantum, nec in promptu habemus, *duæque.* Confutat Gruterus. Unus e nobis 6377, *quæque.*

66. *Sancta.* Voluit Heinsius scribere, *functa.* — *Discreti.* Opponuntur sibi « tumuli indiscreti » et « ossa sancta. » Male igitur plures MSS. et pauculæ edd. *discreta.* — *Tegunt.* 8034 sol. *gerunt.*

69. *Non vota*, etc. Hic versus a vetustis MSS. nonnullis abest. — *Correptas.* 8032 sol. *corruptas.* — *Levant.* 8261, *levat.* De quibus quidem duabus lect. dicere est quod supra, in vs. 60.

72. *Præcurram ut prior.* Heinsius malebat *prævertam.* Sed *præcurram*, commodius respondet præcedenti, « matura poscens fata. » P. Burmannum *præcurram precor* legere tentantem bene refellit Burmannus secund. ad t. II Anth. Lat. p. 189.

73. *Contacta.* MS. aliquot, ait Commelin. et Interpres, *contracta*, i. e. conquisita. — *Linque lacrimas, funera.* Proponit Bothius, « linque lacrimaus. »

79. *Cæl. vitia.* MS. 8260, *vitio.*

80. *Profuge.* MS. id. *perfuge.*

84. *Labet.* Sic MS. 8260, 8032, et plurimi. Sic Seb. Gryph. Alii *labat* ex quibus Gronov. Bad. Nos, ut postulat hic ordo grammaticus, sequimur Bothium.

90. *Feros.* MS. 8261 solus, *ferox.*

91. *Gigantes.* In Florentino legitur *gigantas*, quod accipit Badenius solus. Idem pro *obvias*, ab omnibus recepto, scribit ex eod. cod. *obviam.*

93. *Vatis infandæ.* MS. 6377, 8034, 8055. Sic Philolog. et Scriv. Sed Raph. Farnab. Gronov. Bip. Both. Bad. *vatis.*

94. *Sparsis.* MS. 8028, 8033, *sparsi.* Vix adnotanda lectio.

95. *Superba.* Sic MSS. omnes, et omnes fere editi, except. Gronov. qui rescripsit *superna*, sequente Bothio. Nescit J. Lipsius, an *supera* melius.

96. *Aptaret alas verbere.* Lipsius proponit, « aptaret alas, verbera et caudæ movens. » Scriverius, « aptaret alas, verbera et caudam moveus. » Bothius: « aptaret alas verbera, et caudam moveus. » Et *aptare* sumit eo sensu, *parare.* « Non hic sermonem agi de alis Sphingis tergo componendis, tanquam otiosæ, quæ alas plauderet in pugnam, ut item solent aves. » Nos cum plurim. sequimur correctionem Scaligeri, « aptaret alas verbere, et caudam mov. » Vid. cæter. ad not. — *Caudam.* MSS. 8028, 8038, *cauda.*

97. *Conciperet.* MS. 8034, 8055, *concuteret.* Sic edd. quædam quod probat Gruterus, causatus, concussu caudæ minas sibi excitare Sphinga, jam quasi sopitas, ut in silice flammas.

100. *Unguis.* Heinsius corrigit *ungui.*

101. *Sortis.* Unus e MS. Lips. *fortis*, quod falsum esse videt lector.

102. *Triste.* MS. 8034, *strictum.*

103. *Mortis.* Vulgato *mortis*, non videmus, cum Badenio, melius esse *morti*, quod Heinsio placuit.

105. *Hæc merces datur.* Erasmus notam interrogatoriam, volentibus MSS. et plerisque editionum.

106. *Dirus.* Solus 6377, *durus.*

109. *Ostendit.* 8260, *ostendat.*

113. *Bacche.* MS. 8261, *Bacchus:* notat Commel. dari a MS. et ab Interprete, *Bacchi.* Autumat Bothius fuisse fortasse *Baccheu;* et proponit.

117. *Cinnami silvis Arabes beatos.* MS. 6377, 8034, 8055: « Cinnamia silvas Arabum beatas. » Sic et nonnullæ edd. inter quas Farnab.

118. *Et versas equitis sagittas*, etc. Ait Dan. Heinsius: « quare non viderunt scribendum esse, *et versis equitum sagittis.* Nam ne *equitis* scriberent, absterrebat eos similis desinentia. »

119. *Fallacis.* Legitur in MS. 8055, *conversi*, quod recipiunt mult. edd. Suspicabatur Jan. Gruterus, *non versi.* Nos cum Fabric. Farnab. Bip. Gron. Both. Bad. *Fallacis*, quod est in optimo codice et Vossiano, quia paulo ante dictum fuit *versas sagittas.*

123. *Inficit Indos.* Legitur additum in MS. 6377, 8055, 8034, *igne vicino*, aut *igne furtivo*, quod nullus editt. recepit.

131. *Juncto.* MS. 8029 dat *merito.*

133. Idem, *texit*, pro *tetigit.*

137. *Aureo.* MS. 8261, *aurea.*

139. In fine hujus versus Both. ponit interrogationem. — *Resoluta.* MS. 8261, *revoluta.*

142. *Segnior cursu.* Heinsio tentatum *circi.* Sed displicet « circi sonipes

in ipso circo. » Hac nimirum redit » circi sonipes in ipso gyro. » Sextos autem casus jungi, non est novum.

144. *Prodidit.* MS. 8260, *condidit.* — *Armo.* MS. 8034, 8055, *arvo.*

145. *Incubant pratis.* In Florentino est *agris.* Sed *prata* pecudibus aptiora.

148. *Tabidos.* MS. 6377, *timidos.*

152. *Perdidit.* MS. 6377, 8034, 8055, *perbibit;* 8032, *prœbibit.* Lectio quam recepimus provenit ex correctione Delrii, quam non absurdam quidem, sed supervacuam declarat Gruterus. Pro ea nihilominus stant omnes fere edd. et nos item.

153. *Aret, et sicco,* etc. Ab Heinsio legitur *arida et sicco.*

156. *Virent.* Hic Gronov. « si qua me subornaret antiqua manus, facile admitterem *nitent.* »

158. *Curat.* MS. 8260, *curat,* absque ullo sensu.

162. *Motam.* MS. 8034, 8055, *motum;* Styga autem feminino genere quis nesciat? MS. 8026, *motura;* absque sensu.

163. *Miscuit undis Styga Sidoniis.* Scribendum putat Bothius : « miscuit undam Styge e Sidonia. » Eleganter Styga Sidoniam vocari Ismenum fluvium, calore solis (vid. sup. 39 sqq.) arescentem et corruptione aquæ tam perniciosum factum, ut igneus admixtus ei Phlegethon, ipseque conversus in Stygiam paludem esse videatur.

164. *Mors alta.* Heinsius corrigit *atra.*

167. *Durus senis.* MS. 8034, 8055, 6377, *durus senior.*

168. *Navita crucus.* MS. unus *crudo.* Alii, « navita crudo vix assiduo. » Pro lectione quam recipimus, substituere alii, *navita Charon :* et ita est in aliquot MSS. 8034, 8055. Sed labat versus, et meliores favent vulgatis. Si quid vitii est, putarit Gruterus ortum ex vocula remotiore. « Forsan, addit, *navita Porthmeus.* » Sed quo fundamento nixus?

170. *Vectare.* Quidam, et ii numero pauci, *portare* legunt. Vulgata confirmatur ex Virgilio, Æn. VI, 391 : « Corpora viva nefas Stygia vectare carina. »

172. Versum hunc sic disponit MS. 8028 : « Rup. fama, et nostris canem. »

173. *Errare.* Sic Flor. « ut etiamnunc fieri intelligatur, » inquit Gronov. quod fortius vulgato *errasse.*

175. *Majora viris.* Nihil est mutandum. Sed et Justus Lipsius etiam hic excusandus est, ut qui aliud tum ageret, quum reposuit, *majora veris;* syllabæ plane immemor. Dan. Heins.

177. *Bis turbatam.* MSS. 8034, 8055, *jam turb.* — *Turbatam.* Wakefieldus ad Lucret. I, vs. 86, emendabat *turpatam* ex Virgilii Æneid. X, 832 : « Sanguine *turpantem* comptos de more capillos. »

186. *Tendit.* MS. 6377, 8034, 8055, *tingit;* quod sequuntur Petr. Bip. Gron. Etiam MS. 8261, *cingit.*

192. *Gemitus stridens.* MS. 8260, *gemitu str.* — *Tunc amplexu.* Duo codices, *jamque amplexu,* quod Delrius frustra explicare conatur. Cætera

ita distinguit Rapheleng. « jamque amplexu Frigida presso saxa fatigant, Quos liberior domus elato Custode sinit, petitis fontes, etc. »

194. *Petitis fontes.* Perquam ingeniose hic Scaligerus, si non vere. « Legimus hic *petit is fontes.* Quorum, inquit, custos elatus est, qui ægrotorum effrænos impetus coercebat, eorum alii, tanquam libertatem nacti post servitutem, saxa frigida amplectuntur : alius petit fontes. Tantus in visceribus, tam in illis quam in hoc æstuat ardor.

196. *Alitur.* MS. 8033, *aliter*, quod adnotare vix debuimus. — *Ingesto.* MS. 6377, *ingesta.*

197. *Turba per aras.* MS. 8034, 8055, et plurim. codd. *turba cadentum.* Sic et Henr. Petr. Scriv. Philol. Sed multo ineptius quam lectio a recentt. recepta.

303. *Creo.* Observandum quod in manuscripto scribitur sic terminatione latina, non *Creon.*

205. *Adest petitus*, etc. Libri aliquot iambum hunc attribuunt OEdipo, inepte. Sibi ipsi respondet Chorus, ut infr. vs. 910; Hipp. 830; Med. 176; Herc. OEt. 1130, 1755. Baden.

206. *Quatior.* MS. 8260, *quatiar.*

207. *Afflictu.* Heinsius *affectu* malit, si per vetustos codices detur, vel, *in eventu.* Sed, auctore Florentino, reposuimus cum Bothio et Badenio, *afflictu.* Vide notas.

214. *Ambage flexa.* Mult. MSS. et edd. inter quos Gron. Bip. *nexa.* Quod recepimus ex Cruseriano codice, cum multis, *flexa*, videtur vero propius. Lucan. I, 637 : « *flexa* sic omina Tuscus Involvens, multaque tegens ambage canebat. » Et Stat. Theb. IV, 641 : « hæc ubi fatus, Labitur et *flexa* dubios *ambage* reliquit. » Eodem adde Pacuvianum illud ex Peribœa : « *Flexa*, non falsa, autumare dictio Delphis solet. » Baden.

215. *Arcana tegere.* ord. *Fare.* Singulariter admodum MS. 8260 : *arc. tegere arce.*

217. *Cædem:* Alii, *sedem*, ut indicat Commelinus.

220. *Haustusque tutos.* MS. 6377, *totos.*

221. *Ecquis.* Volt legi ex MSS. quibusd. Bothius, *Et quis.*

222. *Quem memoret.* MS. 8029, *quem memorat.*

223. *Sit precor*, etc. Variant admodum MSS. et edd. in lectione hujus versus. MS. 6377, 8034, « Ait, precor, dixisse tuum visu et aspectu horrido. » MS. 8055, « Ait, precor, dixisse tuum visu et auditu horrido. » Nihil autem est melius, quam consentire Fabricio dicenti : « hic trochaicus plane dissolutus fuit, quem ex Caietano et Avantio in hunc modum restituisse videor, *Sit precor*, etc. nec aliter vetus manuscriptum. »

224. *Torpor insedit.* Perperam *incedit* Heinsius, quod horrori, tremori, pallori, similibusque perturbationibus vix, ignavo ac desidi torpori nullo modo conveniat. Bad. — MS. 8029, *incidit.*

227. *Trucem sonitum.* Florentinus, *trucem fremitum*, variatione et alibi obvia. Sequitur Bothius.

230. *Letoa vates.* Deteriores libri *Phœbea.* Et vulgatum, *Lethæa* ridi-

culum est; quamvis quidam explicent: « Dira, vel sui et decoris oblita, » quidam: « quia post responsum omnia obliviscebantur. » In Etrusco optimo codice, *læta vates*, unde Nic. Heinsius conjecit *repleta*, quod aliis dici solet, *plena Deo*. Sed *repleta*, præter quam quod longius recedit a scriptura codicum, per se potestatem eam non habet. Egregia videtur Bothio Jacobi emendatio, *luctata;* et tamen, quamvis multa afferat argumenta, quæ apud ipsum videas, non recipit in textum. Nos denique, omnino assentimur, ut fere facimus, Badenio legenti *Letoa*. Et hunc audi: « Minima mutatione litteris transpositis castigandum *Letoa vates*, h. e. Apollinea, Phœbea. Nam *Latous* a Latone matre Phœbus, sive ut in pervetustis Horatii ac Nasonis ostendi scriptum, *Letous*, Λητῶ, Λητῶος, Λατὼ, et Dorice Λατῷος καὶ Λατοῖος. In Varronis versibus Λατὼ occurrit. Apud Horatium, lib. I, Od. 31: « frui paratis et valido mihi, Letoe, dones. » *Letoa* igitur *vates*, pro vate Latoi. Sic Statio in Silvis, *Cyllarus, Ledæus*, quum Cyllarus non esset revera equus Ledæ, sed Castoris, qui Ledæ filius. »

231. *Nondum*. Intellige, si potis es, MSS. 8261, dantem, *nudum*.

238. *Bella relinques; Turpis*, etc. Non est inscite suspicatus Heinsius: « bella relinques turpia. »

241. *Ne soncta quisquam*, etc. MS. 6377, *ne sacro q.*

242. *Tuenda maxime*. MS. 8260, *max. tuendum est.*

243. *Queritur*. MS. 8032, *quærit*. Personarum discrimen mutandum censet Lipsius, et sic instituendum:

> CR. Queritur peremtum nemo, quem incolumem timet.
> ŒD. Curam peremti major excussit timor.
> CR. Pium prohibuit ullus officium metus?
> ŒD. Prohibent nefandi, etc.

246. *Sphinx et nefandi*, etc. MS. 6377, 8034, 8056, « Prohibent nefandi. »

250. *Tuque*. MS. 8260, *tu quoque*.

253. *Tuo*. MS. quem citat Commelinus, *suo*.

255. *Cærulos*. MS. *cæruleos*.

258. *Non quieta*. MS. 8260, *non quietum*. Et sic invantum in Pall. recipit Commelinus. — Malebat Heinsius *ovita*.

262. *Numquid*. Proponit Raphel. *nam quid*.

264. *Quæque*. Simpliciter MS. 8260, *quæ*. — *Gero*. Commel. *fero;* et notat se cum tali lectione, malle legere, *sceptra*.

267. *Geminus*. MS. 8260, *gemino*. — *Alludis*. MS. 8032, *illudis*.

270 sq. *Summ. diem securus alt. reddat in sol. p.* Locus sane tortuosus ob diversitatem lectionum. MS. 8034, 8055, *regat*. Quod quidam volunt, *degat*, novitium declarat Gronovius. Lipsii codd. *reddat*, cui proxime accedit Coloniensis, in quo *rodat*. Ergo accepimus *reddat*. Dubitantem vero Gruterum, an dicatur latine, *reddere summum diem*, recurrere

juberemus ad Val. Maxim. IX, 12, *lucem reddere*, et Lucret. VI, 1196, *reddere vitam*. Nec accipimus, quod ille proponit, *cludat*.

272. *Solasque*. MS. 8032, *solaque*. — *Noverit*. MS. 8261, *venerit*.

273. *Eripiet*. MS. 8028, *eripiat*.

274. *Nefandum*. MS. 6377, *nefastum*.

275. *Memorato*. Idem MS. *memorate*.

277. *Arctis*. MS. 8032, *alte*; MS. 8260, *altis*; quod pluribus placitum recepimus. Heinsius conjicit *hirtis*.

280. *Unde altus ima deserit*. Duo e nostris codices, 6377, 8034, *arva*. Sic et plures edd. Non placet, quum statim vox illa sequatur; nec præterea agnoscant MSS. Gruteri novem.—Singulariter admodum legit, MS. 8026, « unde altus prima deserit cælum parens. » Denique luculentior est oppositio inter *ima* et *cælum*, quam inter *arva* et *cælum*.

281. *Parnassos*. Sic generaliter scriptum, græca desinentia. MS. 8261, *Parnassus*.

282. *At una bimares Sisyphi terras adit, Olenia in arva: tertius trames cava Convalle serpens tangit errantes aquas, Gelidumque dirimit amnis Elei vadum*. Mira hic Senecæ geographia. Olenus non potest esse Bœotiæ, quam faciunt: nam Corinthus contraria Bœotiæ via aditur. Est ergo Olenus Achaiæ, quam intelligit Seneca. Sed quid sibi vult hic amnis Eleus, quem nisi Alpheum interpretari non possumus? at eadem via, quæ e Phocide Corinthum ducit, etiam ducit in Elidem, in remotiori Peloponnesi parte positam. Pausanias Σχιστὴν vocari ait viam, in qua Laius occisus, et sic dirimi, ut alia in Bœotiam, alia Corinthum, alia in Atticam vertatur. Ergo Atticæ nominari hic amnis debet, et aut fallor, aut is est Ilissus: ut scripserit forsan: « amnis Ilissi vadum. » Cujus *errantes* dicit *aquas*, quia et in Hippolyto cum Mæandro comparaverat. MSS. quidam (et inter eos, noster 8260. Ed.) non *Elei*, sed *Elidis*, vel *Ellidis*. Valde autem vereor, ne Ilissum acceperit pro Cephisso, in quo γέφυρα et γεφυρισμοί. Gron. — Reposuimus, cum Badenio, correctionem necessariam et certam. « Productio syllabæ occasionem, hic ait, interpolandi dedit librariis, qui similiter allucinati sunt in Hipp. vs. 504: « niveo corpus *Ilisso* fovet. » Ubi vide. Cæterum Σχιστὴν illam alii aliunde deducunt. » Legendum censet Bothius, *Olenio ab arvo*. Idem respuit *Ilissi*, et servat *Elei*, dein versum exsistere declarat pulcherrimum hunc:

Gelidumque dirimit amnis Eridani vadum.

284. *Serpens*. MS. 6377, 8055, *serpit*.

285. *Ilissi*. MS. 8260, *Elidis*.

288. *Phœbea*. MS. 8260, *plebeia*. Absurde, ut liquet.

289. *Genu*. MS. 6377, 8034, 8055, *gradu*.

291. *Phœbo*. MS. 8033, *Phœbi*.

293. *Quod tarda fatu est*, etc. MS. 6377, 8034, et quædd. edd. « quod tardo fatum, lingua quod q. mor. » Sed quid hoc loco sit: *tardare fatum*! Præcesserant autem verba OEdipi:

Responsa solve, fare, quem pœnæ petant.

Apte itaque reponit Tiresias,

Quod tarda fatu est, etc.

295. *Carenti.* MS. 8261, *carentem*, et sic plur. codd. quod magis implet aures, ait Burmannus. Sed, secundum quod recepimus, Plautus sane Varroque et Cicero loquuntur. Quibus adde Silium, lib. XII, « hostique propinquo Roma latet. » Auson. Id. II : « Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars. »

298. *Exciperem.* Flor. Voss. 6377, 8034, 8055, *excuterem;* spernenda lectio, nam *excutere deum* esset non *vaticinari*, quod h. l. intelligi debet, sed furere ac vaticinari desinere.

302. *Socii.* Vox illa omittitur in MS. 8260.

304. *In vota.* MS. 8034, *invoca.*

308. *Lumine.* MS. 8034, 8260, *lumen;* sed minus bene, quia *refulsit* referri debet ad *flamma*, vs. præced.

309. *Et nitidus stetit.* Tres MSS. *viridis.* Id vero paucis placebit, quamvis defendant Pontanus et Vossius, ille, ob ταυτολόγον vocum *clarus* et *nitidus*, hic, quum aliis de causis, maxime propter Flacci *flammam virentem*, Epod. XVII, 33. Wakefield. ad Lucret. IV, 679, emendat, « rigidus st. »

310. *Rectusque.* Haud nauci est aliorum (et inter eos Pontani), *recensque*, neque eis quisquam accedit exemplarium nostrorum, vid. not.

312. *Circa serpit.* Both. cum plerisque MSS. Delrii, *circumserpit.*

318. *Quisve.* MS. 8260, *quidquidve.*

320. *Ultima.* Plerique omnes libri, et MS. 8260, *ultimum*, sed Gron. « optimus, inquit, elegantius : *ultima in tenebras abit.* Ut apud Terentium *prima fabula*, apud Ciceronem, *prima provincia*, pro primis partibus fabulæ et provinciæ. »

322. *Se scindit.* MS. 8261 omittit *se.*

327. *Et nube tensa.* Sic nos, Badenio, contra omnes MSS. et editt. non autem contra rectam rationem, ut quidem autumamus, fideliter adhærescentes. Et ille *tensa* scribit, ne idem vocabulum tantillo intervallo, vid. vs. 325, repetatur. Citat Homer. Iliad. XVI, 365, XXI, 7; Quintum Calabr. II, 346; Curtium, IV, 35, et VIII, 13, « nubes *intendere se cœlo;* » quid frequentius autem quam *tensus* et *densus* in MSS. commutari?

328. *Fari.* Heinsius conjicit *effari*, ut respondeat τῷ *effare.* Sed neque auctor ea sede tolerat anapæstum, nec prius replicari necesse est. BADEN.

329. *Vagus.* Rectius sic quam *vagos*, ex Florentino legitur. Vid. Not.

332. *Prolatum.* MS. 8032, *perlatum.*

333. *Iras.* MS. 6377, *aros.* Et ita interpres : « abscondunt ea quæ significantur. » Utrumvis eligas, non diu ambigitur.

334. *Propere.* Liber unus, *prope.*

336. *Placido.* MS. 8260, *placida.*

339. *Solis*, etc. MS. 8034, 8055, 6377, *obliquat.* Sic et Seb. Gryph. Alii et Both. Sequimur nos MS. Lipsian. Flor. Bip. Gron. Baden.

341. *Imposito.* MS. 6377, 8034, Scriver. Grut. Lips. Both. *opposito.* Nos Delrium et Bip. Gronov. Baden. sequimur. Vid. Not. Quod legit MS. 8055 *ruit*, pro *induit*, vix indicandum.

343. *Perpessus.* MS. 8261, *propessus.*

347. *Hujus.* Quum sic, aut *unius*, aut *vivus* in libris invenisset Gruterus, elegit *unius.* Stat Gronov. pro *vivus.*

362. Distinguit Both. post *membrana;* nec post, *negans.*

363. *Insurgit.* MS. 8260, *insurgat.*

367. Hic versus desideratur in MS. 8260.

369. *Non læva cordi regio.* Elegantiorem hanc Florentini lectionem prætulimus vulgato, *cordis.*

370. *Viscerum.* Sic reposuimus, contra Baden. et MS. unum, qui legunt *visceri.* MS. 6377 legit *viscera.*

372. *Scrutemur.* MS. 6377, *scrutetur.* — *Rigor.* MS. 8034, 8055, *livor.*

373. *Innuptæ.* Pauci quidam, *infaustæ*, inter quos 6377.

375. *Cum gemitu.* Alii, inquit Commelinus, *cur gemitu.*

377. *Atras.* Admiserunt alii *arctas.* Vid. Not.

378. *Turpes mobilem.* MS. 8261, ordine inverso, *turpem mobiles.*

380. *Manum.* Sic tres MSS. Unus præterea, *manus.* Vulgabatur, *manu.*

382. *Resonant.* Lipsius, *mugiunt*, cujus ejiciendi, ait Dan. Heinsius, causa palam est. « Et pueri vident, qui syllabarum rationem non ignorant. » MS. 6377, et Pall. dant *fugiunt*, quod minus cum tota sententia consonat.

383. *Immugit aris ignis.* E pravorum codicum turba subjectum erat, *immugit ara segnis*, *imm. aræ segnis*; *crepitant foci.* Sed optimus quisque et codd. et edd. stat pro lectione, quam recepimus.

385. *Solent suprema facere securos mala.* MS. 6377, 8034, 8055, *Extrema sec. f. m. solent.* Cui lectioni paucæ assentiuntur editt.

389. *Contaminarit.* MS. 8260, *contaminavit.*

390. *Quæ levi penna secant.* Recte, ait Gronovius, scripturam improbaverunt summi viri, *penna quæ levis secat.* Illa enim verior est in Flor. quam recepimus. Et ita, duo codices, in Germania nobis visi, et Vossiani, et Heinsianus alter, minore forma, quem nunc demum adhibere incipio: nisi quod hi, *secat.* Nec necesse cum viro docto scribere, « quæ leves pennæ secant. »

391. *Vivis rapta.* MS. 8026, *viv. sacra;* 8262, *viv. tracta;* 6377, 8034, 8055, *minus parta;* 8034, *vivis parta;* et glossator, ad hanc lectionem : « id est, accepta de vivis pectoribus. »

392. *Ciere.* MS. 8261 addit, per merum glossema, « occisoris nomen. »

403. *Nutante.* MS. 8260, *mutante;* absurdius, ut liquet. Alibi mens erat Heinsii, quum reponeret *nodante.*

404. *Mollia Nysæis.* MS. 8261, *mollia jusseris.* — *Armatus.* MS. id. *armati.* Quem sequitur Philolog. et Raphcleng. Legitur *armatæ* in cæteris omnibus, præter Bothium, qui dat *armate;* et Badenium, e quo recepimus *armatus.* Et hanc quidem lectionem notat Gronovius invenisse se in optimo codice. Præterea variat ordo versuum; et qui apud nos 404, apud alios inscribitur 405.

411. *Te decet vernis comam,* etc. Notat Commelinus editor, alios sic legere, « Te decet cingi comam floribus vernis. »

414. *Baccifera.* MS. 8260, *bacciferam.* Quidam substituere, *Bacchifera,* atque interpretantur, quæ fertur a Baccho et Bacchis. Haud recte, ait Gruterus.

421. *Luteam.* MS. 6377, 8034, 8055, *lutea.*

422. *Inde.* MS. 8260, dat *unde,* quod recipiunt nonnullæ edd. At nos tollimus interrogationis notam; et scribimus cum Florent. Mog. et Crus. quem sequuntur Bip. Gronov. Both. Baden.

425. *Regeres,* pro hac voce, quam *longa vestis* exigit, MSS. 6377, 8034, 8055, exponunt *regeres;* et multo ineptius 8262, *premeres.*

429. *Te senior.* Solus omnium nostrorum 8055, *te leviar.* — *Turpi.* Bothius, infra textum, proponit *tardo.*

430. *Turgida,* etc. In MS. 8055, 8260, et aliis nonnullis, ab hoc versu usque ad 472, hiatus est.

433. *Edoni.* Sic legendum, ut servetur lex metri, non *Edonii.*

443. *Remissæ.* MS. 6377, *Remissa;* sic et MS. 8034.

445. *Ponti regnu.* MS. 8034, qui Cruseriani similis esse nobis videtur, dat *fontis regn.* Quod ego prætulerim, ait Isac. Pontanus, præsertim quum proxime sequatur: « Jus habet in fluctus magni puer advena ponti. »

450. *Et tumidum.* Florent. et membranæ Gronovii, errore tralaticio, quem amplectitur, mirantibus nobis, Badenius, *timidum,* « quasi reverentia Bacchi, » inquit Gronovius; et Badenius congerit ad hunc sensum exempla. *Timidum* etiam Caiet. quæ editio, una omnium quas vidi, maxime scatet vitiis typographicis. Both.

451. *Mutat.* Jacob. Gronov. in schedis Dietz. « Hoc, inquit, nemo dixit ab Nereo factum, sed ab ipso Baccho. Leg. *mutas* vel *mutant* neutrale pro *mutantur.* » Ergo Both. infra textum, proponit *mutant.* — *Remus.* Sic opinante Raphelengio, pro *ramus;* applaudit Gruterus; quia, quum proxime præcesserit *ramos,* odiose hic repetatur *ramus.* Sequitur Bip. Gronov. Both. servavit Baden. vulgat. *ramus.*

466. *Et sequitur.* MS. 8032, *tunc sequitur.*

467. *Pactolus.* Florent. et alii, *Pactolos.*

472. *Te Dacum.* MS. 8030, *Edacum,* MS. 8055, *Zedacum,* quem plures sequuntur editores, et inter eos Henr. Petrus. Reposuimus quod censuerunt Raphelengius, Scaliger, Delrius, Gronov. Baden. Rectum haud dubie proclamat Bothius, quod præbet Florentinus, *Zalacum,* idque

in ordinem recipiendum esse existimavit. Quem vide in Annotationibus suis.

475. *Frigida.* Quidam, et inter eos, MS. 6377, *frigido.* Florentinus, *rigido*, qui, quomodo gentes alluere possit, vix liquet.

481. *Graves.* Vox illa abest a tribus nostr. MSS. 6377, 8034, 8055.

483. *Mænades factæ.* Vulgares libri, et MSS. 6377, « mites sunt factæ. » Sed nullus probatorum edd. lectionem hanc prætulit ei quam recepimus.

484. *Inundavit.* MS. 8260, *undavit.* Sic quoque Bothius; et hic quidem totum illud, et verba et versuum contextum aliter exponit.

> Positisque tandem levibus sagittis
> Mænades factæ.
> Sacer et Cithæron sanguine undavit
> Amphioniaque cæde.

Grotius castigabat *Echioniaque.* Nam Pentheus Echionis filius aut nepos. Sed vide Notas.

486. *Et Argos*, etc. MSS. 6377, *et agros.*

487. *Præsente.* MSS. 6377, 8034, 8055, *Præsentem.* Quod ratione carminis, ut putat, habita, delevit Fabricius, et supposuit, *Præsidem.* Delrius malit *Vindicem;* aut *Præsidem* jubet intelligi, Naxi. Pulchre et vere liber optimus exhibet lectionem quam nos cum omnibus fere recepimus.

491. *Pumice sicco Fluxit*, etc. E duobus his versibus unum concinnat Bothius, et legit præterea *Pumice ex sicco*, quod exhibet MS. 8261.

494. *Combibit.* Alii, *quum bibit;* et versu sequenti, *lacus candidos;* sic MS. 6377, 8034, 8055.

499. *Edit.* Vocem hanc versui præcedenti tribuit Bothius, et pro ea, MSS. 8034, 8055, *canit*, quod sapit glossatorem.

500. *Concutit.* MS. 8034, 8055, *concinit.*

502. *Oditque.* Vulgabatur antea, *condidit;* elumbi sententia, ut ait Gruter. et vide Notas.

509. *Etsi ipse.* Plerique, *et ipse.* Coloniensis, *ut ipse.*

510. *Exprome.* Sic nos post Both. et Baden. ex Florentino; et illud Annæi stylum magis sapere probat Baden. multis exemplis. MSS. fere omnes, Philolog. 1513, Bip. Gronov. *expone.*

513. *Nosse quæ nimium expet.* Solus omnium Both. notat Burdegalensem apud Delrium minime inepte legere, « Nescire cupies, *scire* quæ nimium expetis. » Tò *nosse* videtur esse correctorum, a repetitione verbi non inerti abhorrentium.

516. *Indicium obrues.* Heinsius malebat *abnues.* Sed *obrues* accipe pro, celabis, non ostendes vel patefacies.

523. *Nulla libertas minor A rege petitur.* Florentinus per interrogatio-

nem : « *Ulla* libertas minor A rege petitur ? » At sic, ait Badenius, bis idem quæritur. Mox enim infert, vs. 526 :

> Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet ?

524. *Sæpe vel lingua magis.* Locus valde contortus. MS. 6377, *sæpe vilis lingua mag.* et Philolog. recepit hanc lectionem. 8034, 8055, *vili linguæ.* Fabricius vult legi : « Sæpe quam linguâ, magis Regi, etc. » sed versu repugnante, ut ait Commelinus.

527. *Imperia.* MSS. 6377, 8034, 8055, *Imperium.* Sic et Philolog. et vetustt. quædd. edd.

529. *Ulline pœna vocis expressæ fuit ?* Heinsius conjiciebat : *Ulline pœnam vocis expressæ luunt ?* Vel, « Ullusne pœnas vocis expressæ luit ? » Sed nulla opus est mutatione. *Fuit* enim ἀορίστως græco more sumitur.

532. *Exserens.* Solus omnium MS. 8030, *exstruens.*

535. *Hujus abrupit latus Edax vetustas.* Hæc verba absunt a Fernand.

536. *Illa.* MS. 8261, et post eum, Philolog. *silva.* — *Jam fessa.* Pro *fessa*, in Florentino est *spissa*, quod ortum videtur e scriptura obsoleta *phessa* vel *pessa* : nam *f*, *ph*, *p*, *b*, denique confunduntur.

538. *Amara.* Philolog. sol. *amare ;* errore prorsus typographico. — *Baccas.* Sic nos ex Florent. post Gronov. Bip. Both. Baden. MS. 8034, 8055, *baccis*, et sic quædd. editt.

540. *Motura remos.* Ascens. Ald. *motur. ramos :* sic et Philolog.

542. *Umbra gravi.* MS. 8032, *gravis.*

543, 544. *Silvas minores urget*, etc. MS. Col. et MS. 6377, sic legunt hos versus :

> Silva minore surgit, et magno ambitu
> Diffusa ramis umbra defendit nemus.

545. *Lucis et Phœbi.* Ἓν διὰ δυοῖν. Neque huc facit *lucus* codicum Cantabrig. Cruser. MS. 6377, 8034, 8055. Quam novissimam lectionem sic tamen defendit Pontan. rectam vocans sanamque. « Nam Poeta, postquam totius nemoris circumstantiam habitumque depinxisset, et ipsa veluti loci secretiora adumbrasset, additur digito quasi intento, juxta illa et illam umbram, tristis et feralis hic lucus. Receptam lectionem vitii arguat vel illud « lucis et Phœbi inscius, » tautologum ineptumque. »

546. *Restagnat.* MS. 6377, 8034, 8055, *hinc stagnat ;* Philol. *hic st.*

550. *Tunc fessa tellus.* MS. 6377, et Philol. *T. effossa tellus.*

551. *Ipse.* Non videtur necessarium, ut *ipsa* faciamus, et Manto interpretemur eum Grutero et Barthio ad Statii Thebaid. IV. Neque agnosco, quod ille fingit hic ταυτολόγον. Etsi enim præcesserit Tiresiæ funesto amictu tegi corpus et pallam lugubrem sive pullam discincti pedes ferire, tamen belle sequitur : « squallente cultu mœstus. » Non enim vestimentum ejus notat hic versus, sed quæsitam tristitiam frontis et illuviem impexamque barbam. Infra : « *Pædore* fœdo squallidam ob-

tentus comam. » Non sntem *Palla* semper muliebris : nam et Apollinis Arionisqne et eithsrœdorum commemoratur *Palla*. Msnto non nominat ille quidem, sed quia nihil sine ills Tiresis, intelligendam relinquit. Sufficit infra notari, vs. 595 : « Ipss, qnæ ritus senis artesque norat, stupuit. » GRONOV.

552. *Frontem*. Sie MSS. fere omnes, et Gronov. Bipont. Both. Florentinus, et deinde Philolog. sed Bsden. *frondem*, quod multis defendit exemplis. Et ipse Gruterus lectionem hanc esse eodd. meliorum contendit, et sddit, « qui hic invehunt *frontem*, nondum ostendernnt qnomodo *quati* queat *frons*. At frondem quatit, quam tenebat msnn, insigne tantum non vatum peculisre. » Melius tamen nobis τὸ *frontem* placuit.

557. *Retro trahuntur*. Vid. Not. sd hunc versum.

560. *Letalis lacus*. Heinsius volebst *Lethæi lacus*. Vid. Not.

561. *Rabido*. MS. 8029, *Rapido*. Et sic alii tres libri. Sed *rabidum*, accommodatius vati, præsertim minaci, ut ait bene Badenins; et sffert in argumentum, Virg. Æneid. VI, 102; et Stat. Thebaid. IV, vs. 504 sq. ubi vide.

563. *Sanguinem libat facis*. Altera est leetio, « irrigat sanguis focos, » pro qua stat numerus fere æqnalis et MSS. et edd. inter quos H. Petr. Philolog. Baden. Sed nostrsm credimus, ut dicit Fabrieius, meliore forma, adsentiente Gronovio, qui sie edidit.

564. *Libat et niveum*, etc. MSS. sic distiuguunt, « libst, et niveum insuper Lactis liqnorem fundit, et Bacehnm manu Lævs, etc. »

568. *Citat*. Ita scribimus ex Florentino, post Both. Baden. Sed plnres MSS. et edd. Philol. Henr. Petr. Rsph. Bip. Gron. *ciet*. Vox *citat* hoc loco præpollens, et usitata.

569. *Turba*. *Ter*. etc. MS. 8260, *turbatur*, nullo sensu.

572. *Fudi*. MS. 8032, *fudit*.

573. *Populo*. MSS. 6377, 8034, 8055, et multt. edd. *populis*.

574. *Subsedit*. Gronovius *subsidit*; sed haud sane interest multum.— *Comam*. MS. Florent. *comas*; quod quidsm accipinnt, sed est slterum efficacius.

582. *Terra*. Solns omnium MS. 8261, *tellus*.

585. *Gelidus in venis stetit*. MS. unus e nostris, *Gelid. immotus stetit*. In MS. 8055, vox *stetit* desideratur.

588. *Dente Dircæo satæ*. Errore prorsus singulari MS. 8260, *dicente Dircæo sati*.

589. *Popul. pestis Ogygii mal*. MS. 6377 omittit *pestis*.

590. *Torva*. MS. 8032, *tata*.

592. *Evellens*. Tres e nostris MSS. et qnædam edd. *avellens*.

593. *Sustinens*. MS. 8260, *sustinet*. — *Lassum*. Sie omnes nostri MSS. Sed inveniss *lapsum* in vetustioribus editis Philol. Henr. Petr. Raphel.

596. *Artes*. MS. 6377, *artus*; et fere non indicanda lectio.

600. *Eryx*. Alii, scilicet MS. 6377, 8034, 8055, et ex edd. Philol,

et Scalig. *OEta*. Sed hic *Eryx*, ait Badenius, aptius uominatur, quia, secundum Nasonem, Fast. IV, 278, « Zephyro semper apertus patet. »

603. *Nectitur densum*. MS. 8029, *vertitur versum*.

606. *Tepente*. Sic plurimi et MSS. et edd. Attamen MS. 8260, et Philolog. *torpente*, quod, si credideris Grutero, commode quis defenderit, ut notet tempus hiemale quo torpet Nilus, quum tameu fluvii alii fere tunc maxime tumescaut: nam sub brumam Ægyptum peti a gruibus certum est; item Nilum demum augeri ipsis Etesiis.

608, 609. *Pavidæ lat. nem. umbr. pet. animæ trementes. Primus*, etc. Marklandus ad Stat. Silv. V, 1, 111, emeudat: « Avide latebras uemoris umbrosi petuut. » Heinsius, « auimæ ac trementes. » Bothius distinguendum proponit post *animæ*; et legi: « Tremente primus emergit solo. » Philolog. denique et Heur. Petr. *Pavide lat.* Offeudebat uempe omnes, quod duo epitheta uni substantivo jungautur. Et, alia ex parte, hoc uon raro fit, et iu primis ubi alterum est participium. Attameu ea esset Philolog. et Henr. Petri lectio, quam præpoueremus, « Pavide latebras, etc. si liceret per aliquot MSS.

611. *Zethus*. Cruseriauus noster, ait Pontauus, uon *Zethus*, sed *OEtus* legit: additurque ad oram: « OEtus fuit socius Jasonis ad quærendum aureum vellus; consilio Medeæ taurum devicit. » — *Sustinens*. MS. 6377, 8034, 8055, et edd. quidd. *sustinet*.

614. *Grave*. Nos contra plurimos, ut fatemur, et codd. et edd. repouimus sic ex Floreut. et Heinsiano minore post Bothium. Sordet euim vulgatum, *gravi*; præsertim quum defendit sic Badenius: « *gravis* molestum significat; et citat Euripidem, Hippol. 94, Ciceronemque, Verr. V, 36, ubi dicitur, *odiosam esse arrogantiam*. » Sed uostro loco, omnia ad spectaculum oculorum propouuutur, uihil ad odium quod inspirare debet regiuæ fastus.

617. *Bacchas*. Florent. *Bacchis*. Sed vulgata defendi potest. — *Lacer*. Philol. *sacer*; errore, pæue dicam, typographico.

619. *Pudibundum*. MS. 8032 et Philolog. *pudibundus*. — *Extulit*. Hic F. F. F. Rapheleng. « Nec dictio istæc, *extulit*, hoc loco mihi placet; uec mutare tamen quid audeam. Sensus tale quid postulat, sequentia repudiant. Si mecum libri, censeam legendum: Sæpe *pudibundum occulit caput*. Ecce enim submittit: *Atque ab omni desidet turba procul, celatque semet*. » Contra quæ possis oppouere Gruterum: « Non erat uecesse. Nam hæc elatio capitis refereuda ad productionem Laii ex inferis, vi carminum facta. At vero ubi dicitur, *celare semet*, spectat conscientiam jam emersi, minime sustiueutis erigere caput præ pudore. »

620. *Dissidet*. Sic plurimi MSS. et omnes editi, ante Lipsium, et ille: « Illustra, et scribe, *desidet*, cum meo libro. Nempe vult Laium, qui iuvitus et vi violenta carminis protractus ad Superos, procul se removisse ab aliis et solum resedisse seque occultautem. » Sed, ut confutat Gronovius, mox ipse Seneca, vs. 624, *stetit*. Quomodo igitur resedit? Nam

quod ait procul se removisse, id vero significat *dissidere*, non *desidere*. MS. 8029, *discedit.*

622. *Efferat.* MS. 8032, *afferat.*

623. *Opertos.* MS. 8261, *apertos.*

624. *Stetit per artus.* Quidd. MSS. et cum eis Philolog. *Stetitque artus* — *Harridus.* Hoc loco Bothius : « Parum placent tam vicina *horreo* e *horridus*, neque sic, puto, Seneca. Fortasse fuit :

Stetit per artus sanguine et fuso oribus,

id est, *in ora.* Tò *h* temere nunc additum, nunc omissum esse multis in locis librorum constat; nec semel in hac voce lapsi sunt descriptores. »

625. *Obtentus.* Alii et MSS. et edd. *obtectus.*

626. *Rabido.* MS. 8261, *rapido;* quam confusionem vocum jam supra vidimus, vs. 561.

628. *Enthea.* MS. 8030, 8261, *Penthea.*

631. *Gravi.* Idem MS. 8261, *gravis.*

634. *Pretia.* Olim hic legebatur sine mente *prima.* Lectum fuit deinde *præmia.*

638. *Egit qui.* Multi codd. 8032, 8261, etc. vetustiores edd. *Egitque*, ad vitandam scilicet asperitatem. Sed frequens est talis vocum trajectio.

639. *Quique vix mos est feris.* Pro *vix* quidd. et MSS. et edd. *necnon ;* alii τὰ *vix mos est feris* includunt parenthesi, quod intricatum est præ lectione quam recepimus.

642. *Geris.* MS. 8032, *regis.*

644. *Erinnys.* Contracte pro Erinnyas. Heinsius malebat « Erinnyn pronubam, » credens, unam tantum pronubam adhibitam fuisse, non plures. Falso; nam et Apuleius, Metam. VII, pag. 161, dixit : « Ultrices habebis pronubas. » Baden. — Dat ipse Bothius *Erinnyn*, et ideo vs. sq. *sonantem ;* et quoque *verbere*, pro *verbera*, quod solœcum proclamat et ineptum ; et tamen facillime per græcismum potest illud explicari.

645. *Incestam.* MS. 8055, *incertam ;* ubi nescitur quis sit maritus, quis filius : quæ sit uxor aut quæ mater, inquit interpres. Codex Cantsbrigiensis, ait Pontanus, legit *incretam domum. Incretam* scilicet, quia ex matris et filii impia mixtione constabat. Festus : *increta*, *indivisa.* Nonne hæc, quamvis satis jucunde detineant, nimis sunt e longinquo petita ?

646. *Impia Marte.* Pontanus malebat *Impios.* Sed bene habet vulgata.

647. *Regem.* MS. 8261, *regam.*

648. *Quodcumque* Gruterus, *quacumque*, ut et Fabricius edidit. In Florentino, *quocumque*, quod sequitur Badenius. At quanto angustius est hoc quam *quodcumque.* Illud viam vel semitam aut tramitem, qua iturus est, alterum omnem regionem et tractum significat.

650, 651. *Reparabit herbas ; spirit. puros dabit vital. aura ; Ven.* Vult Gruterus rescribi, « Reparabitur herba, spir. puras dab. vitales auras

etc. » Quas mutationes confutat Gronovius, et obiter Gruteri verbum quoddam paulo juvenilius dictum cum gravitate et dignitate prorsus germanica, reprehendit et damnat. Necnon sæpius occurrit apud commentatores illud digressionum genus, per quod ad personam a verbis, ad homines a rebus deflectentes, iram vere et σφοδρὸν πάθος commentariis infundunt, auctorem suum vel lectionem suam pugnis et calcibus, ut aiunt, prope defensuri.

652. *Lues.* MS. 8261, *Luctus.*

656. *Repet.* MS. 6377, 8034, 8055, *reptet.* Et sic Philolog. Henr. Petr. Rapheleng. In MS. 8031, *repetet.*

658. *Præripite.* Florentinus, *Eripite*, quod correctoris, cum Badenio, habemus; recepit tamen Bothius.

659. OED. *Et ossa et artus*, etc. Hunc versum MSS. Creonti tribuunt; sequentes OEdipo. — *Tremor.* MS. 6377, *timor.*

660. *Quidquid.* MS. 8029, *quod.*

661. *Abnuit.* MS. idem, *obruit.*

665. *Bœota.* MS. 8261, *Bœotia.*

670. *Despondet.* MS. 8260, *spondet.*

675. *Libeat.* Sic nos contra omnes, ut fatemur, et MSS. et edd. ut Bothium sequamur. Audi scilicet eum: « Male vulgo *liceat.* Cur illud pondus exuere OEdipo non *liceat?* Sæpe hæc vocabula confusa, ut observat Henr. Stephan. Epist. ad Jacob. Dalecampium, pag. 100. » Affert insuper idem Both. locum, vs. 838, infra, ubi male rursus *libeat* scribitur. Sed suo quæque judicentur loco.

676. *Ne.* Florentinus, *nec*, ut totum sit voti; idque rectius existimat Bothius, et sic legit.

679. *Suadeam.* MS. 8261, *suaderem.*

681. *Tibi jam necesse est ferre.* Alii, « tibi jam necesse ferre, » omisso, *est.*

683. *Otium ac somnum loqui.* MS. 6377, 8024, 8055, *sequi;* sic quoque Philol. Henr. Petr. Probant τὸ *loqui*, Lipsius et Commelinus; improbat Gruterus, « scilicet simulationem illam non in nuda voce, sed in tota vita; nempe dixisse alterum, parum esse regnum, et alii sermone detrectare, nec illud tam facile re adsequuturos, nisi ipso instituto et factis segnitiem simulent. » Hæc sophistarum sunt.

685. *Fides.* Iidem MSS. 6377, 8034, 8055, *Dies*, et iidem quoque editi, sicut in versu sequenti; defendit pariter Gruterus. « Sed, ut bene adnotat Gronovius, quamvis *dies* æque experimentum sit hominum quam fides, non tamen quævis longa dies defendit; » et inducit exemplum furis qui diu potest tremuisse, quem tamen longa dies non defendit. Denique Grutero acrius instanti dicentique, Creontem vixisse in otio, ubi rarior producendæ fidei occasio: « Ergo, respondet Gronovius, non possunt exhibere documenta fidei, nisi summæ reipublicæ et status administri, et præfecti exercituum ac provinciarum? Immo fidem imperanti populo vel principi præstant omnes maximi minimi, qui aut sem-

per fuerunt in fine aut in fidem venerunt, quum in fide manent. Nam *Fides* obsequium omne superiori debitum. »

686. *Nocendi.* Bad. *nocenti.* Lapsu, ut opinamur, typographorum.— *Præstat fides.* Iidem fere b. l. proponunt *dies*, qui proponebant vs. præcedenti, et utrinque prioribus similia jactarentur argumenta.

693. *Rear.* MS. 8260, *reor.*

694. *Quod deest : secunda*, MS. 6377, 8034, 8055, Philolog. Henr. Petr. Raphel. « Quod res secundæ non hab. etc. » Lectio quam recepimus est acutior, et data a probatissimis edd.

696. *Num ratio.* MS. 6377, *non ratio.* MS. 8261, *nam rat.*

697. *Num aud.* Id. MS. 6377, *non audita*, etc.

698. *Sequor.* MS. 8029, *sequar.* Flor. *ut sequar.* Posset etiam legi : *facitis : exemplum sequor.* Sed vulgata potior est lectio.

701. *Veros meretur.* MS. 6377, 8034, 8055, edd. Philol. Henr. Petr. Raphel. *ver. fatetur.* Vide notas.

702. *Dimissus odit omne, quod dubium putat.* Locus vexatissimus, et tenebræ in hac sententia ; quas miraturum se dixit Lipsius, si quis penetrabit. MS. 8261, pro *odit omne*, dat *omne odit.* Vix flocci faciendum discrimen. Sed Florentinus, « Dim. odit. Omne, quod obvium est, est; » unde Baden. sic versum refinxit, « Omne quod dubium est, eat. » Ut τὸ *eat*, sit idem quod *pereat*, et citat, ad hunc sensum, Euripid. Med. vs. 699; Heracl. vs. 456, et Lucret. III, 525. Lipsius sic corrigit : « Quisquis in culpa fuit Dimissus, odit. Omne quod dubium, puta; » et sic confirmari credit : « Sententia biceps. Primum ait, omnem qui accusatus et dimissus, odisse eum apud quem, et ob quem fuit in periculo. Deinde universe hoc regibus præcipit : de quo ambigis, pro certo habe : et culpam ambiguam, puni ut veram. » Facile ipsa refutat obscuritas. Denique Bothius, qui, si non prudentissimus, at certe ingeniosissimus omnium in novandis lectionibus : « Fortasse scriptum, *quod burum obstitit*, pro *quod purum obstitit*, litera *p* versa, sic degeneravit. *Purum* sanctum, quodque abest a culpa : quod, purum quum sit, ei obstitit. » Nos vulgatam præferre debuimus, quamvis paulo difficilius videatur incedere. Sed vide tamen notas.

706. *In auctorem.* MS. 8029, *in auctores.*

710. *Petunt.* Sic Nos post Bothium et Baden. contra plurimos quidem et codd. et edd. sed cum optimo quem citant Florentino. Scilicet, verbum illud bene quadrat cum sequentib. vs. 712, et expressum videtur e græco Sophoclis OEdip. tyr. vs. 470, ἐπενθρώσκει.

711. *Veteres.* MS. 8261, *verteres ;* quod tam insulse scriptum debuimusne indicare?

717. *Sub nostra pavidus constitit arbore.* MS. 6377, 8034, 8055, « sub nostræ ramis constitit arboris. » Sic quoque Philol. Henr. Petr. et Rapheleng. Sequimur et Florent. et Gronov. Bip. Both. Baden. Pro *constitit*, MS. 8034, *substitit.*

718. *Prædonem venerans suum.* Quidam legit *prædones*, et interpreta-

tur, socios suos : alios legere ait *prædonem*, quod sit, serpentem, qui deprædatus fuerat socios : alios *memorans*, et tunc intelligi Jovem. Quidam *numerans* (et ex iis, nostri MSS. 6377, 8055. Ed.), spatia a se emensa *prædonem* insequuto : alios leg. *memorans*, id est, ubinam inveniret prædonem. Non potest nisi inepte explicari : itaque cautius illi qui transeunt silentes. Quid moror lectorem ? Scribe cum unicis membranis : « Prædonem venerans suum. » Gronov.

725. *Protulit*. MS. 8260, *Pertulit*. Ex hoc loco, ad vs. 750, variat distributio versuum in Bothio ; et hic quidem explicat, qua metri religione observata, ab omnibus omnino edd. se discrepantem fecerit. Videsis in ejus annotationibus.

729. *Cæruleum*. Both. *cærulum*. — *Erexit*. MS. 8032, *Exerit*.

734. *Stridulos*. MS. 6377, *stridores*.

736. *Ling. agiles et auram voc. ign*. MS. 6377, 8034, 8055, « Linguas alias et arma. » Sic Philol. Heur. Petr. Raphel. Duo viri illustres, Rutgersius, « Anthedon linguas alias et arma Phocis ignota. » Grotius, « Agenorei linguas, et arma vocis » interpretatur *verba*. Gronov. Bip. Baden. » Ling. agiles et ora vocis ign. » Nos, vix intelligentes cum Bothio, quid sibi velint *ora vocis*, legimus cum eodem, *auram v*. id est, spiritum. *Au* nempe et *o*, ipsaque vocabula *aura* et *ora*, sæpius confusa.

740. *Die*. MS. 8260, *diem*.

742. *Occidit*. Pars librorum *decidit*. Sed occidit, notabiliorem habet cum *ortus* dissimilitudinem, et ita variare solent codices. Vide Burmann. ad Ovid. Heroid. IV, 94. Baden.

744. *Recentis*. Lugdunens. ferme soli, *ruentis*. Non placet. Delr.

752. *Quum vivacis*. MS. 8260, *quid vivaci*.

758. *Zephyris*. Both. ex Fern. et Caiet. *Zephyro*, quo recepto numerus τῶ *s* finitarum vocum minuatur.

764. *Revolvit*. MS. 6377, *Resolvit*. Quo nihil poterat importunius veræ lectioni adversari.

768. *Redit memoria*. Sic fere omnes et MSS. et edd. Heinsius proponit, *sedit memoriæ*. Both. scribit *Redi memoria*, nescimus an errore typographico, quum adnotet : « Fern. Caiet. *Redit memoriam*. Scribam : *Redeo in memoriam*. Locutio æque bona, numeri validiores. »

769. *Stipitis pulsu*. Ita omnes MSS. nisi si quibus versus iste abest, quorum unus Palatinus, alter Coloniensis. Quidd. (e nostris, sol. Henr. Petr.) *impulsu*, quod minus metro favet.

770. *Datumque Diti*. MSS. 6377, 8034, 8055, Philol. Henr. Petr. non autem Raphelеng. *Datum est Diti;* et qui præcedit versus abest a Coloniensi. — *Juvenem*. MS. 8026, *juvene*.

771. *Thebis*. MS. 8055, et quidd. al. *Thebas*.

772. *Scindit*. MS. 8260, *scinditur*.

776. *Inter senem juvenemque*. Ita MSS. modulate magis, quam quod alii editi, « inter juvenem senemque. »

777. *Cinxit*. MS. 6377, *cingit*.

779. *Paucos fidelis curribus junxit labor.* MS. 8029, « Paucos fideles curribus vincit labor. »

782. *Decima jam.* Barthius ad Stat. Theb. I, vs. 297, malebat *vigesima* vel *tricesima metitur seges;* quia, quum se excæcaret OEdipus, jam regnare poterant filii incesto nati. Sed excusatius tragicus in temporum rationem quam carminis legem peccat. Vide Lessing. Hamb. Dramaturg. part. I, p. 185. Baden.

787. *Edissere agedum.* MS. 6377, 8034, 8055, *edissere mihi;* sic et Henr. Petr. et Philol. — *Cadat.* MS. unus, *cadit.*

793. *Discutient.* MS. 8032, *discutiunt.*

794. *Repetam paterna regna.* Both. « paterna repetam regna. » Meliore versus regione positurus, ut ait, vocem graviorem.

797. *Tangis, en, ipsos metus.* MS. 6377, « Tangis an ipse met. » Fere mallent Gruter. et Lipsius, « Tangis, heu, ipsos met. »

800. *Admonitu.* MSS. Pall. et 6377, 8034, 805, et Philolog. Henr. Petr. *monitu.* Sed antiquissimum *admonitu* retineatur.

803. *Subditivi.* Quidam MSS. nota minus bona, *subditicii.* MS. 6377, *subditum.* — *Petiit.* Alii, *petit*, male.

804. *Regnum superbum : liberi adstringunt f.* Plures, « Regnum : superbam liberi adstringunt f. » Baden. « Regum superbam lib. adst. fid. » Sed in utraque lectione explicanda, ait Bothius quem sequimur, ne ipsi quidem sibi satisfaciunt interpretes. Et *fides regum*, non videtur bene explicari posse per *fides debita regibus.* Quamvis ergo non placet omnino illa correctio Bothii, quod est *regnum superbum*, prætulimus tamen vulgatis. Vide not.

811. *Adice.* Philol. Henr. Petr. *adjice.*

812. *Vestigia.* MS 8260, *fastigia.*

825. *Occulit.* MS. 8260, et quidd. alii, *abstulit.*

831. *Utrinque paria.* Sic plurimi et MSS. et edd. Attamen Philolog. Paphel. Henr. Petr. *utrinque patria.* Vide notas.

832. *Ut nil lacessas, ipsa se fata explicant.* Florentinus, « Nihil lacessas : ipsa se fata explicent, » quod ab emendatore putet esse Badenius. MS. 6377, 8034, « Ut nil arcessas; » et solus e nostris edd. Philolog. Both. reponit, ut numerus sit vividior : « Nihil ut lacessas, etc. »

834. *Movetur.* 8030, *moretur.*

837. *Vel pœnitendi sanguinis*, etc. MS. 8034, 8055, Philol. Raphel. Henr. Petr. « nec pœnit. sang. » Sed unde scire poterat OEdipus, non pœnitendum fore sanguinem suum? Quin jam fatis ipse pepercerat, se quærere cujus inventi pœniteret. Lectio igitur ea potior est, quam recepimus.

838. *Si nosse liceat.* MS. 6377, 8034, 8055, et quidd. edd. « Sed nosse certum est. » Vulgati, « si nosse libeat. » Sed hoc loco patet OEdipum non loqui de facultate quam habeat noscendi; nec enim tunc esset incertus; sed de cupiditate noscendi. Cf. sup. Animadv. 675.

843. *Regnum obtinente*, etc. Gronovius hos duos versus OEdipo assi-

gnandos censet, ne, hero præsente, servi præcedat oratio. At sic hero servus interloquitur, ut qni mox roget : *noscisne memet?* quum pergere deberet OEdipus : *noscisne senem?* Efficacior tamen ad agnitionem vulgaris est ratio, cui et favere videri possit Sophocl. OEdip. Tyr. vs. 1132. BADEN.

Act. IV, scen. III. PHORBAS. Aliis *Ithimales* dictus.

852. *Ad verum.* Ex Colon. MS. notavit Commelinns, *ad nervum;* quod adeo placuit viro docto, nt non dnbitarit hoc pro germano et gennino recipere. Plautnm aut Terentinm aut alium socco humilem, non cothurnatum Senecam versare se credidit. Eadem opera reposuisset *ad pistrinum.* GRONOV. — *Dolor.* MS. 8261, *color.* Cui bono?

853. *Infantem.* Florentinus, *infantis*, quod minus eleganter diceretur.

857. *Ferrum per ambos transactum pedes.* Eamdem verbi structnram adhibuit Silius, XIII, 376 :

Bellatorem alacer per pectora transigit ensem.

Quare non necesse est cum Heinsio scribere *transutum* pro *transactum.*

858. *Ligabat.* MS. 8030, *Ligatus.*

863, 864. PHORB. *Per tam cruentas vera quærentur vias? Ignosce quæso.* OED. *Si ferus*, etc. Vulgo legebatur, secundum omnes, ut fatemur, et codd. et editos :

fidem.
Per tam cruentas vera quærenti vias
Ignosce quæso, si ferus videor tibi,
Et impotens, etc.

Omnia snb OEdipi persona. Nos felicissimam Bothii correctionem et personarum descriptionem accipere non dubitavimus. Nam, nt ejusdem verbis utamur, quid attinet, ipsas vias suas dicere cruentas? et, fac dixisse, cur dubitanter addit : « si ferus videor tibi? » Jam, quis ferat tormenta minitantem, subjicere, *ignosce quæso?* Hæcne res ea, quam ignoscas? Delrins, non omnino quidem nobis consentit, sed tamen Phorbautis personam bis et ipse versibus interserit, et integros versus, 864, 865 ei tribuit. Improbat Gronovius, et ea Delrio objicit quæ contra nos objecisset, et quæ debemus referre. « Phorbantis hæc non possunt esse verba, nisi vates erat Tiresia promptior. Unde poterat ille scire paratam fore nltionem istam? unde, puerum illum fuisse, quicum ipse loquebatur? nam quod detrectat fateri, a quibus infantem acceperit, in reginæ facit gratiam. Ergo omnia continuantur ab OEdipo, jam certo suæ calamitatis, et, ut ille ait, terebratum pertundente. Patere me tibi instar feri et impotentis tyranni imperare : prope est tibi solatium, mihi pœna. Providebat enim, si verum diceret, quod satis exspectabat, nullam dubitationi latebram relictum iri. Id quod statim evenit. »

865. *Parata*, etc. Both. « Jam parta vindicta : in manu est. » Sic et fere MS. 6377.

870. *Retro reversas generis ac stirpis*, etc. MS. 8261, « Retro versas gravis ac. »

871. *Infandum.* MS. 6377, 8034, 8055, *infestum.* Alii *infaustum.* Delrius, *incestum*, quod sequitur Bothius.

878. *Redde nunc animos, parens.* Vult Bothius legi, *animas pares.* Similes reddere, i. e. edere sive ostendere, se ipse jubet OEdipus animos, quam quibus patrem occiderit et cum matre concubuerit.

880. *I, perge.* MS. 8261, *I, piger.* — *Propera.* MS. 8037, *porro.* — Pro *gressu*, MS. 6377, 8034, 8055, *cursu.*

881. *Auctam domum.* MS. 6377, *auctam domo;* MS. 8260, *acta domo;* MS. 8034, 8055, *aucta domo.*

885. *Tremant.* Est cui melius videtur *gemunt*, ob adjunctum *pressæ.* Sed non est necesse.

886. *Lenis et modicum.* MS. 6377, 8034, 8055, « lenis sed modice. » Gronovius et plures, « lenis et modice flueus. » Sed *modicum* doctius et exquisitius. Sic Ovidio Ponticor. IV, 10, 43:

Notus, adverso tepidum qui spirat ab axe.

891. *Decurrens.* MS. 3034, *decurrente.* Et hic versus deest apud MS. 8055.

893. *Alta dum demens*, etc. Sic omnes omnium editiones usque ad Gronovium, qui ex Florentino scribens *astra*, veram lectionem in glossema corrupit. Baden.

894. *Fisus.* MS. 6377, 8034, 8055, *fidens.*

896. *Nimis.* MS. 8055, *minis.* — Fallitur Heinsius, qui *minus* legendum esse censet. Vid. Not.

897. *Pennis.* MS. 8262, *regnis.*

898. *Nomen eripuit freto.* In nonnullis (apud nos, 8055) abest hic versus. Alii legunt, « abstulit nomen freto. »

899. Hic versus et sequentes usque ad vs. 905, desunt in MS. 8026.

900. *Librans.* MS. 8028, *vibrans.*

902. *Suam.* MS. 8055, *suum;* et sic Bothius.

911. *Postes sonant.* Delrius, « postes sonat; » nec admissa interpunctione refert ad *famulus*, vs. sq.

912. *It.* Delr. Gron. et plurimi *et.* Both. *en.*

913. *Quassans.* Alii *quassat.*

915. *Infand. genus.* MS. 6377, 8034, 8055, « infandum scelus; » et sic Philolog. Probat Raph. Excludunt cæteri omnes.

917. *Damnavit ipse; regium*, etc. Sine nervis, in prioribus, legebatur, « damnavit : ipse regiam, etc. »

920. *Jubam.* Malit quidam *comam.* Minus apte; nam juba est coma promissior.

922. *Gelid. fluit Sudor per artus.* Audaciore figura Pall. omnes (et ex nostris, 6377, 8055), *volat Sudor p. a;* quod et in scholiaste reperias;

neque valde damnem. Grut. — MS. 8033, *natat* pro *fluit*. — *Gelidus*. Heinsius volebat « gelidos artus. ». — *Gemitus, et altum murmur*, Both. Sic vulgo. Arena sine calce, quod ille ait. Lege, *gemitus et altum murmur*, id est : murmur gemitus altum est, verbo substantivo repetito e superioribus.

926. *Quid pœnas moror (ait)*. Mallem, si quidem ullus adduceret codex, parva mutatione, « secum ipse sævus, grande nescio quid parans, Suisque fatis simile, quid pœnas moror? ut hoc scelestum pectus aut ferro petat! Aut, etc. » Sic tota προσωποποιΐα ab leniore principio fluit, absque fulcimento istoc, *ait;* quod nescio quomodo frigit. Deinde τὸ *ut* imprecantis erit sibi extrema quæque OEdipi. Quod ipsum cothurno aptum magis et personæ desperantis. Quo sensu Terent. Eun. II, 3, 302 : « Ut illum dii deæque senium perdant. « Schrod.

927. *Ait (hoc scelestum)*, etc. MS. 6377, 8034, 8055, « ut hoc scelestum; » et sic editt. nonnulli. Sed hæc OEdipi verba sunt, ab nuntio relata; et otiosum est τὸ *ut*.

931. *Tuis emitte silvis*. In Florentino corrupte legitur, *tuas*. Sic et in 6377, 8034.

936. *Breves*. Heinsius malebat « leves pœn. » At quis non videt, aptius contra *magnus* opponi *breves*, id est, parvas.

940. *Qui deinde matri*. MS. 6377, « quid demum mat. » Baden. « qui deinde mat. » Lapsu, ut autumamus, typographicorum.

942. *Solvendo non es*. MS. 6377, 8034, 8055, et nimis multi libri « solvenda non est illa. « Fatua verba, ait Gronovius. At agnosce ingenium maximi Grotii in pulcherrima emendatione : « solvendo non es. Illa quæ leges ratas Natura, etc. » Id est, non potes solvere pœnas, quantas debes. « (Et vide quæ in notis hujusce locutionis exempla addiderimus.) — At Schroderus, servans vulgatam, sublatāque distinctione legit : « solvenda non est illa, quæ leges ratas Natura in uno vertit OEdipode. » Et sic explicat : « hoc vult OEdipus naturam istam, quæ jam leges ratas in uno OEdipo vertisset, non esse dissolvendam, nec destruendam, sed servandum esse jugiter institutæ mutationis istius tenorem. Optat itaque, ut natura, postquam in OEdipo producendo statum, ordinem legesque suas migrasset, porro eadem velit esse, ac perpetuo mutabilis in sua supplicia. »

943. *OEdipoda*. Sic optimi et MSS. et edd. MS. 6379, *OEdipode*, vid. notas.

946. *Liceat; renosci semper*. Quid si legas, « liceat, ac renasci, » inquit Delrius. At Gruterus: vim et mucronem sententiæ auferas, si substituatur hoc, præsertim quum præcesserit *novetur*. Fortassis: « iterum vivere atque iterum mori libet, ac renasci. » Gron.

949. *Eligatur*. MS. 8260, *eligitur*.

951. *Citra patrem*. Manus illustris, ait Gronovius, *vita patrem*. Vide cæter. not.

952. *Subitus*. MS. 8260, *subditus*. — *En*, male pauci, *an*.

953. *Profusus.* Ita MSS. pæne omnes, oon ut est iu hactenos vulgg. *Perfusus.* Non multum refert, hoc ao illud substituatur : sed detur hoc antiquitati, ut vincat lectio, quæ mentis sauæ pluribus suffulcitur adminiculis. J. Grut.

954. *Hact. fundent.* MS. 8261, « fuderint hacteous. »

957. *Se retinent.* MS. 8029, *retinentur;* MS. 8024, *se retinentur.*

961. *Eruentis.* MS. 6377, *cruentus.*

962. *At contra.* Vir doctus, in margiue editioois Fabricianæ, coujicit, *haud contra*, sed frostra.

964. *Insequuntur.* MS. 8260, *insequantur.* — *Occurrunt*, MS. 8033, *occurrent.*

969. *Inanes.* MS. 8261, *inane.*

970. *Quam sat est.* Bothius, « quam satis est, » sequutus vett. edd.

975. *Omnes.* MS. 8033, *orans*, ut sit, *conclamat orans.* Lectio noo omoino spernenda. — *Heu, patriæ.* MS. 8261, *en patr.*

976. *Pœnas tuli.* Heinsius mavult *lui*, quod sic soleat Noster. Sed æque frequens in his tragœdiis « ferre pœnas. » Vide saltem Phœniss. 644; Med. 201, et Herc. OEt. 1466.

980. *Cedite fatis.* Ex MSS. 6377, 8034, 8055, et ex edd. solus Philologus, *credite.*

985. *Suæ decreta.* MS. 8028, *sua decreti.*

987. *Certo tramite.* Pauci, *septo;* alii, *secto.* Putat Grouovius fuisse *recto.* Sed nostram lectionem veram esse probat et nnanimus fere omnium eonsensus, et locus Senecæ quem citat Baden. Vide ootas.

990. *Carrunt.* MS. 8055, *occurrunt.*

993. *Metuisse.* MS. 6377, 8034, *timuisse.*

1000. *Perfandit.* Rectius sit, ait Bothius, *perfudit.*

1003. *OEdipoda.* Io Florentino est *OEdipodam.* Lege, nt Gronovius coujecit, *OEdipoda*, decliuatioue græca poetis adroodum familiari.

1004. *En, ecce.* Id solœce dici vult Bothius, pro quo legit *et ecce*, ut valeat, *ecce etiam.*

1007. *Sensitve raptam.* MSS. 6377, 8026, 8034, 8055, « sensimve (et MS. 8026, *sensumve*) raptum traxit affl. acc. » Quod vere fatuum est, ut prouuntiat Gronovius. *Traxit*, ex nulla historia est, nihil otiosius aut magis supervacaneum illo : « sensum (aut ut alii volunt *sursum*) raptum traxit. » Vid. not. ad huue locum.

1009. *Et hæret ore primo vox.* 10c. *Quid te vocem.* MS. 6377, 8034, 8055, Philol. Henr. Petr. et quidd. vetustiores : « Cupiunt et horrent ora, nam quid te vocem. » Et totum hunc versum Jocastæ tribuunt. Sed nemo postea hoc mentiooe dignum censuit, nisi vir quidam doetus, mixtom bouis malisque libris : « cupiunt, sed hærent ora. » Vult alius : « et hæret ore prima vox. »

1010. *Natum pudet.* Vetusti quidd. *nati pud.*

1011. *Invite loquere.* MS. 8034, 8055, *immitos aro.* Sic et Philolog. Sed nostram et optim. codd. et optimi edd. Nec habemus, cur spernamus.

1012. *Quis frui et tenebris.* MS. 6377, « quis me frui ten. »

1013. *Matris, heu, matris.* MS. 8032, « matris, en, matris; » et probat Lipsius.

1017. *Ac salem avium.* MS. 8030, « ac solum alium. » Lectio, saltem hoc loco non absurda, ut fit nimis sæpe.

1021. *Precor.* Florentinus solus, *peta;* et quamvis per hoc verbum efficacius rogetur, attamen noluimus Badenium sequi, neglectis omnibus omnino aliis, qui vulgatum hunc receperunt.

1033. *Fas ac nefas.* Sic in Florentino pro, « fas et nefas. » Sequimur autem hic Bothium et Baden. quorum hic, argute nimis: « *ac* arctius utrumque conjungit, decetque magis OEdipum, post mixtum et confusum nomen conjugis, nati, patris. »

1026. *Incesta, per te.* MS. 8034, « in certa parte; » MS. 8055, « incesto partu. »

1027. *Marere, et nefastum*, etc. MS. 6377, 8034, 8055, « morere, sed nefast. » Omnes fere *marere, ac nefast.* et Badenius: « Hic rursus pro *ac* in Florentino est *et*. Prius connectit, posterius explicat. Utrum igitur est præferendum, facile patet. »

1028. *Cancitans.* MS. 8029, *concitam in me.* — *Div. sator.* MS. 8261, e nostris, et ex iis quos citat Rapheleng. Ald. Paris. Lugd. Basil. *Div. pater.*

1029. *Jaculetur.* MS. 8260, *jaculantur.*

1032. *Agedum.* MS. 8261, *agendum.*

1036. *Pectori.* MS. 8025, *pectore.*

1037. *Jugulo.* Baden. *jugulu.* Error est typographorum.

1039. *Virum et natum tulit.* Flor. Voss. et omni fere, *et gnatos;* ut voluit Gruterus. Sed frustra κακόφωνον in verbo quærit. Gronovius emendat « virum e gnato tulit. » At, ut bene redarguit Bothius, si hoc verum esset, non filio nimirum nupsisset Jocasta, sed nepoti. Ipse tamen Bothius, in tanta luce quantam præbet lectio a nobis recepta, legit « virum gnatum tulit. » Et inde apud utrumque erroris labes, quod se quasi coactos crediderint intelligere *virum*, Laium. Et revera, sic intellecta voce, difficillimum est locum explicare. Sed *virum* et *natum*, unam eamdemque personam exhibent, OEdipum scilicet.

1042. *Fatidice.* MS. 6377, *fatidici.* MS. 8034, 8055, *fatidicum.* Quidam libb. aliter disponunt, « te fatidice, te præsidem. »

1047. *Fallentes.* Sic ex Florentino post multos bene alios legimus. Alii, ex quibus Both. *fallaces*, quod exhibet MS. 8032.

1050. *I, gradere.* MS. 8034, 8055, *ingredere.*—*Gradus*, MSS. iidem, *pedes.*

1053. *Pectora.* MSS. quos sæpe citavimus, et edd. quidd. *corpora.*

1054. *Relevate.* MS. 8260, *revelate.*

1056. *Levis.* Mallet quidem Heinsius, *Jovis*, id est, *auræ;* sed hoc in *viridos* per se intelligitur, adeoque superfluit.

1057. *Depositis.* Non, *dispositis*, ait Fabricius, ut in margine (nescimus autem quam dicat) annotatum, sed *depositis* legi debet. Sunt enim *depositi*, desperati, vel salutis desperatæ.

1058. *Terrarum.* MS. 6377, 8034, 8055, *terris.*

1059. *Morbi tremor.* MS. 8028, *mortis;* et sic Bothius, ut sit Furia quarta, quam dignam censuere Veteres, quæ ipsis Fatis comes adderetur.

1061. *Mecum ite, mecum*, etc. MS. 8029, « mecum ite, talibus uti ducibus licet. »

TROADES.

DRAMATIS PERSONAE.

HECUBA.
ANDROMACHA.
ASTYANAX.
HELENA.
AGAMEMNON.
PYRRHUS.
ULYSSES.
CALCHAS.
CHORUS TROADUM.
TALTHYBIUS.
SENEX.
NUNTIUS.
POLYXENA, MUTA PERSONA.

ARGUMENTUM.

Græci, exciso jam Ilio, reditum in patriam cogitantes, contrario vento detinebantur. Apparens noctu Achillis umbra solvere eos posse negat, nisi sibi debitis inferiis mactata Polyxena, cujus nuptiarum prætextu interfectus est. Non fert Agamemnon sibi amatam Polyxenam mactari. Qua de re orto cum Pyrrho jurgio, intervenit consultus Calchas, qui omnino immolandam pronuntiat, unaque necandum Astyanacta, quem a matre absconditum abducit Ulysses, et de Scæa porta dejicit. Polyxenam ab Helena auspice, ritu cultuque sponsæ deductam, ad patris tumulum Pyrrhus mactat.

L. ANNÆI SENECÆ
TROADES*.

ACTUS PRIMUS.

HECUBA.

QUICUMQUE regno fidit, et magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, et te, Troja : non unquam tulit
Documenta Fors majora, quam fragili loco
Starent superbi : columen eversum occidit
Pollentis Asiæ, cælitum egregius labor.

* *Troades*. De titulo tragœdiæ, vid. Animadv. — Non ausim, ait Heinsius, græcam Euripidis Hecubam, ullo modo, sive dispositionem spectes, sive πάθος, sive gravitatem et angustum pondus sententiarum, cum ista conferre. Etiam in choris Noster vincit, quos ex paucis græcis verbis, et quæ sparsim leguntur, fecit alios et plane divinos. Cf. tom. I, p. cxxxii.

Act. I, sc. 1. Luget Hecuba patriæ, mariti, liberorum, suamque ipsius calamitatem.

2. *Leves deos*. Id est, levitatem Fortunæ, cito munera sua transferentis; ut loquitur Noster, Consol. ad Polyb. cap. 28. BADEN.

4. *Me videat, et te, Troja*, ut jam tunc levitatem deorum metuat.

6. *Superbi*. Nobiles, potentes, quorum commune vitium est superbia. FABR. — *Columen Pollentis Asiæ*, civitatem indicat, cujus opulentia nitebatur opulentia totius Asiæ.

7. *Cælitum egr. labor*. Infr. v. 479. Exstruxerat quidem Ilus, sed Neptunus et Apollo mœnibus cinxerant Ilium. Notandum tamen non omni ex parte illa mœnia a diis exstructa. Nam, quum Fata statuis-

Ad cujus arma venit, et qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum primus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto;
Et quæ vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.
Excisa ferro est Pergamum : incubuit sibi.
En alta muri decora congesti jacent,

sent Trojam dirutam iri, et crederent inexpugnabilem futuram, si muros integros dii ædificarent, Æaco partem laboris demandarunt.

8. *Venit*, auxiliaris scil. ut arma sua cum Trojanis consociaret.

9. *Tanain*, flumen Scythiæ. Amazonas indicari putat Heinsius, sed Rhesus intelligitur qui auxilio Trojæ venit. Hom. Iliad. X, 435 sqq. Bad. — *Septena*, etc. Ex persona mulieris imperitæ, ait Farnab. tribuitur Tanai, quod Istri est : ut per septem ora in mare labatur. Et addit Delrius, inducta hac muliere geographiæ ignara, in hoc præclare decorum a Seneca servari. Nescimus an serio dicat : sed serius est noster Bolæus, Art. Poet. lib. III, vs. 135, quum has Hecubæ querelas acriter vituperat. Ed.

10. *Et qui renatum*, etc. Memnon ex India. Πρῶτοι γὰρ ἀνατέλλοντα τὸν θεὸν ὁρῶσιν Ἰνδοί, ut ait Achill. Tatius, IV, 5. Baden.

11. *Tepidum*, in regione tepenti. — *Rubenti*, i. e. sole rubescenti. Virgil. Georg. III, 359, de sole : « Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum. » — Alias autem secundo hallucinari feminam adnotat Farnab. Tigris enim in mare Persicum influit, non Erythræum.

12. *Et quæ*. Sc. et femina quæ. Hæc est Antiope, Amazonum regina, de quibus vid. Hippol. 398. — *Prospiciens Scythas*. Conversa ad Scythiam.

13. *Viduis*. Vid. Herc. Fur. not. ad v. 246, cur debeant appellari *viduæ*. — *Ferit*, pulsat, et, extenso sensu, calcat, habitat. Forsan, ut vult Bothius, referendum ad ungulas equinas, quibus campos pulsarint Amazones, ut quas equitatu non minus quam peditatu valuisse narrat Diodorus Siculus, III, 54. Simili omnino sensu Noster, de eadem Antiope, Hippolyt. vs. 100 : « Egit catervas, Atticum *pulsans* solum, Tanaitis, etc. »

14. *Pergamum*. Feminino extulit genere, quam sæpe urbem neutro et plurali numero exprimunt. Cæterum ab altitudine dicta, clarissima Troadis civitas. Alia Pergamus, Attalicis regibus nobilitata, et inventione pergameni, teste Plinio, XIII, 21, § 2 : aliud etiam Pergamum, Idæ promontorium, de quo Strabo. Servius etiam auctor est, ipsas arces Trojæ, atque adeo alta loca omnia, Pergama olim vocata ; ad quod alludens Noster, subdit, *en alta muri*, etc. — *Incubuit*

Tectis adustis. Regiam flammæ ambiunt;
Omnisque late fumat Assaraci domus.
Non prohibet avidas flamma victoris manus;
Diripitur ardens Troja, nec cælum patet
Undante fumo: nube ceu densa obsitus,
Ater favilla squallet Iliaca dies.
Stat avidus iræ victor, et lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis: horret afflictam quoque;
Victamque quamvis videat, haud credit sibi
Potuisse vinci: spolia populator rapit
Dardania: prædam mille non capiunt rates.
Testor Deorum numen adversum mihi,
Patriæque cineres, teque rectorem Phrygum,
Quem Troja toto conditum regno tegit,

sibi. I. e. rudera ruderibus cumulata sunt.—*En alta*, etc. Hæc, « alta decora muri congesti jacent, » accipimus, ut Gron. per hypallagen, ἀντὶ τοῦ *jacent congesta*. Ille excelsus et pinnis turribusque decorus et minax murus jacet inconditus acervus, ædificiis in cinerem versis. Scilicet *alta decora*, sunt πύργοι, ἐπάλξεις, turres, pinnæ.

16. *Regiam*, meam scil. et conjugis Priami.

17. *Assaraci domus.* Ilium, ubi regnavit Assaracus, Ili filius.

19. *Ardens.* Etiam quum ardet incendio. — *Nec cælum patet.* Et cælum non patet; prospectus cæli eripitur. Virg. Æn. II, 605 et seqq.

20. *Undante.* Undatim ascendente. Virg. ibid. 609.

21. *Favilla*, ferventi cinere.

22. *Avidus iræ.* Iræ explendæ avidus. — *Lentum*, tam longo temporis spatio expugnatum.

24. *Decem tandem ign: annis.* Sibi ipse ignoscit, non indigne fert, quod decem annos in civitate tam nobili et munita expugnanda absumpserit. FARN. — *Afflictam quoque*, etiam si jaceat afflicta.

26. *Potuisse vinci.* Simile Justini XXXII, 1, 8, hoc refert Badenius: « Philopœmenem in theatrum duci jusserunt, ut omnes contuerentur, quem potuisse capi incredibile singulis videbatur. » — *Populator.* Miles populabundus.

27. *Mille.* Numerus, alias, generalis; hoc loco, certus: qui nempe numerus navium ad Trojam appulsarum. Cf. Agamemn. 171.

29. *Teque*, Priamum.

30. *Quem Troja toto conditum regno tegit.* Ordo est, quem Troja tenet conditum toto regno; et intellige conditum, sepultum, ita ut sensus sit, super quem concidit totum Trojæ regnum.

Tuosque manes, quo stetit stante Ilion,
Et vos meorum liberûm magni greges,
Umbræ minores : quidquid adversi accidit,
Quæcumque Phœbas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, prædixit mala,
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.
Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus in vos sparsit, aut fallax Sinon.
Meus ignis iste est : facibus ardetis meis.
Sed quid ruinas urbis eversæ gemis,
Vivax senectus? respice infelix ad hos
Luctus recentes. Troja jam vetus est malum.
Vidi exsecrandum regiæ cædis nefas,

32. *Liberûm magni greges.* Quibusdam quinquaginta, aliis septem et decem, aliis duo et viginti Hecubæ liberi numerantur.

33. *Umbræ minores.* Quæ magnam quidem, minorem tamen præ Priamo, partem in dolore meo habetis. Explicat Gron. minores gloria in primis et dignitate, quamvis et ætate. Assentimur potius nos priori interpreti.

34. *Phœbas.* Cassandra, filia Priami, cui Phœbus amans vaticinandi peritiam dedit, dulcissimam pollicitæ mercedem. Promissis tamen non stanti donum auferre Deus quum non posset, fidem ademit, ut vaticiniis ejusdem nemo crederet.

35. *Credi Deo vetante.* Prohibente Deo, ne fides dicenti adderetur. Virg. Æn. II, 246.

36. *Vidi*, junge cum *quæcumque*, vs. 34. — *Prior*, ante omnes, ante Cassandram, quum scilicet Paridem utero gestaret. Incertus tragicus, citante Badenio : « Quia mater gravida parere se ardentem facem Visa est in somnis Hecuba. »

37. *Vana vates.* Inutilis et irrita; æque ac Cassandra non credita.

38. *Non*, absit jungas cum *cautus*, quod sequitur; sed referas ad *sparsit*, vs. sq. — *Ithaci comes nocturnus.* Diomedes, cui Ulysses in castrorum Thracum exploratione comes nocturnus. Farn.

39. *Aut fallax Sinon.* Cujus doloso ministerio receptus equus, laxatusque.

40. *Meus.* Intra somnium de Paride, mihi prædictus. — *Iste*, quo vos hodie, Trojani, consumpti ardetis. — *Facibus... meis*, quas gessi in utero. Virg. Æn. VII, 320.

42. *Vivax senectus.* Anus, misere longæva.

43. *Luctus recentes*, vers. 57. — *Troja*, Trojæ eversio.

44. *Regiæ cædis.* Priami a Pyrrho ad aras cæsi.

Ipsasque ad aras majus admissum scelus
Æacidæ armis : quum ferox, scæva manu
Coma reflectens regium torta caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;
Quod penitus actum quum recepisset libens,
Ensis senili siccus e jugulo rediit.
Placare quem non potuit a cæde effera
Mortalis ævi cardinem extremum premens?
Superique testes sceleris? et quondam sacrum
Regni jacentis? Ille tot regum parens
Caret sepulcro Priamus, et flamma indiget,
Ardente Troja : non tamen superis sat est.

45. *Majus*, quam malum Trojæ, vs. 43, quod jam vetus est.

46. *Æacidæ*. Pyrrhi, qui Achillis filius, et Æaci pronepos erat. Vid. Anim.—*Scæva*. Sinistra. Virg. Æn. II, 552 : « Implicuitque comam læva. » — *Ferox*, sævus.

48. *Alto vulneri*. Loquitur hic, sine ullo dubio, de Priamo, quem Pyrrhus interemit, non autem de Cassandra; ut volunt et alii, et interp. gallicus, qui *Ajacis armis* falso legunt.

49. *Libens*, nihil resistens.

50. *Ensis senili*, etc. Mens fuit : « Priamum, quum Pyrrhi gladium animose recepisset, tamen emisisse illum sanguine vix tinctum, debilem propter et frigidam senectutem. »

51. *Quem*. Referunt Farn. et alii ad ensem, aut ad Pyrrhum. Immo, *quem* tandem omnium hominum? nam animandum interrogatione : quem alium, ut a cæde temperaret, non repressisset ultima et jam per se dissolvens hominem senectus? et præsentes Dii? et penetrale regni, utcumque prostrati? Gron.

52. *Mortalis*. Nominativo casu : id est, homo; et opponi videtur *Superis*, vs. sq.

53. *Sup. testes sceleris*. Scilicet stantes ad aras, ubi cæsus est Priamus. — *Sacrum*, sacrarium, ara τῆς ἑστίας, vel τοῦ ἑρκείου Διός; ad quam inaugurandi reges suspicabantur. Agamemnon. vs. 8. Farn. — Totum autem hoc sic intelligi; et religio debita regno, regi prostrato, quæ quondam erat sacra.

54. *Regum*. Nobilium juvenum. Sup. vs. 32. Farn.

55. *Caret sepulcro*. Proprium sepulcrum Priamus non habuit; sed truncus ejus, quum aliquando in litore abjectus jacuisset, tandem Hectoris sepulcro fuit illatus. Delr. — *Fl. indiget*. Unde corpus combustum, justa accipiat funera. Vid. Virg. Æn. II, 557.

56. *Non tamen superis sat est*. Certe non Junoni sat est. Venus apud Virg. Æn. V, 781 sq. « Junonis gravis ira, nec exsaturabile pectus... Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla; Nec Jovis impe-

Dominum, ecce, Priami nuribus et natis legens
Sortitur urna : præda quem vilis sequar?
Hic Hectoris conjugia despondet sibi;
Hic optat Heleni conjugem; hic Antenoris;
Nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat.
Mea sors timetur : sola sum Danais metus.
Lamenta cessant? turba, captivæ, mea,
Ferite palmis pectora, et planctus date,
Et justa Trojæ facite : jumdudum sonet
Fatalis Ide, judicis diri domus.

rio fatisve infracta quiescit. Noo media de gente Phrygum exedisse nefaodis Urbem odiis satis est, nec pœnam traxe per omnem Reliqnias : Trojæ cineres atque ossa peremptæ Inseqnitur, etc. »

57. *Dominum Priami nuribus et natis legens.* Iodicans quis futorns sit Priami nuruum et natorum dominns. Infr. vs. 972.

58. *Vilis.* Quia vetola. Tacitus, Hist. III, 43 : « Graodævos seoes, exacta ætate, feminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant, etc. »

59. *Hic.* Aliquis, sc. Pyrrhus.

60. *Conjugem*, priorem. Nam Pyrrho cæso, Andromache Heleno nupsit. Farn. — *Antenoris.* Theano.

61. *Nec deest tuos*, etc. Etiamsi infensum tibi habeas Apollinem.

62. *Timetur.* Timet unusquisqoe ne ipsi ego sorte obtingam.

63. *Lamenta cessant.* Vox indignaotis et interrogantis cur desinant flere, quum talis sit locus flendi. — *Turba mea*, sen quas genoi, si designet filias suas; seu, quibus quondam imperavi, quas quondam fovi, si indicare velit omnes Troadis.

64. *Ferite*, pectora tundite, pro more lugentium.

65. *Et justa Trojæ facite.* Supremos hooores Trojæ urbi reddite. — *Jamdudum*, diu, sinè remissione, sine intervallo. — *Sonet*, lamentis vestris resunet.

66. *Fatalis Ide*, etc. Ida *fatalis* vocatur, quia in eo monte Paris Veoeri, tanqoam pulchriori, aureum adjudicavit malum; et inde multas calamitates fata congesserunt in Trojanos. Vid. Animadv. — *Diri judicis*, Paridis. Et proprie, *diri*, quasi deorum ira ad sententiam illam ferendam electi.

CHORUS TROADUM, HECUBA.

CHOR. Non rude vulgus lacrimisque novum
Lugere jubes : hoc continuis
Egimus annis, ex quo tetigit
Phrygius Graias hospes Amyclas,
Secuitque fretum pinus matri
Sacra Cybellæ.
Decies nivibus canuit Ide,
Ide nostris nudata rogis;
Et Sigeis trepidus campis
Decumas secuit messor aristas;
Ut nulla dies mœrore caret,
Sed nova fletus causa ministrat.
Ite ad planctus,
Miseramque leva, regina, manum.
Vulgus dominam vile sequemur.
Non indociles lugere sumus.

Act. I, sc. II. Chorus Iliadum cum Hecuba excidium patriæ, Hectoris et Priami mortem lugentium.

67. *Rude*, inexpertam lugendi turbam. — *Lacrimisque novum*, recentem in lacrimando.

68. *Jubes*, tu Hecuba. — *Hoc*, flere.

70. *Phrygius hospes*. Paris. — *Graias Amyclas*. Urbs est Laconiæ; et *Graias* dicit, ad distinctionem Amyclarum, quæ in Campania.

71. *Secuitque*. Et ex quo secuit.

72. *Pinus sacra Cybellæ*. Decisa scilicet ex Ida, qui Phrygiæ mons Cybellæ sacer.

73. *Decies*, per decem hiemes.

74. *Nostris nudata rogis*. Spoliata arboribus ad comburenda interfectorum e nostris cadavera. FARN.

75. *Sigeis*. Trojanis, a Sigeo, Trojæ promontorio. — *Trepidus*, ne inter secandas fruges deprehenderetur a prædatore hoste.

77. *Ut*, accipe, quasi esset, *ex quo*. Tacit. Ann. XIV, 53 : « annus est... octavus, *ut* imperium obtines. »

78. *Sed*, adde, nunc; ut opponatur decem jam elapsis annis.

79. *Ite*. Alloquitur Troadas. Vid. Animadv.

80. *Miseram leva manum*. Præito nobis, et more præficæ elevata manu modum luctus, et planctus signa dato : nos lugendi dociles sequemur. FARN.

HEC. Fidæ casus nostri comites,
Solvite crinem: per colla fluant
Mœsta capilli tepido Trojæ
Pulvere turpes: paret exsertos
Turba lacertos: veste remissa
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus: cui conjugio
Pectora velas, captive pudor?
Cingat tunicas palla solutas.
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus: placet hic habitus,
Placet: agnosco Troada turbam.
Iterum luctus redeunt veteres.
Solitum flendi vincite morem.

84. *Solvite crinem.* Præscribit Hecuba luctus formulam sumptam ex Euripidis Troade, nec dissimilem illius Lucani, lib. II, 36 sqq. « ... quarum una madentes Scissa genas, planctu liventes atra lacertos, Nunc, ait, o miseræ contundite pectora matres, Nunc laniate comas, etc. » Lugentes enim mulieres solutum nodo crinem cinere adspergebant, vestimenta lacerabant, pectora et humeros nudatæ, unguibus, pugnis, palmis in se sævientes ejulabant: solo insuper affligebant pectora, humum crinibus verrentes, ταῖς κόμαις τὰ θεῶν ἱερῶν ἕδαφη πλύνουσαι. FARN.

85. *Tepido Trojæ Pulvere turpes.* Cinere nondum frigefacto; ex recenti Ilii incendio. Sic enim mox Chorus: « Sparsitque cinis fervidus ora. »

86. *Paret exsertos Turba lacertos.* Turba paret exserere lacertos.

87. *Veste remissa.* Chorda seu fascia demissas vestes supra uterum nectebant, ne deciderent. FARN.

88. *Substringe.* Turbam Iliadum alloquitur.

89. *Cui conjugio*, etc. Procatalepsis. Neque enim amplius conjugibus velandæ sumus. Cui autem domino servemus pudorem, captivæ?

91. *Cingat tunicas palla solutas.* Id est, tunicæ solvantur, aperiantur, sinum jam non tegant, contineanturque solummodo per cincturam quam facit palla. — Dicta sic *palla*, quod palam sit et foras; sub ea tunica sumebatur.

92. *Planctus.* Percussionis. Lucan. II, 24: « Exigit ad sævos famularum brachia planctus. »

93. *Placet hic habitus.* Modus placet ille nudandi membra, ut vobis præcipio.

95. *Veteres.* Sup. 65, 69.

96. *Vincite.* Superate. Id est, in lacrimas effusius prorumpite.

Hectora flemus.
CHOR. Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.
Coma demissa est libera nodo;
Sparsitque cinis fervidus ora.
HEC. Complete manus : hoc ex Troja
Sumsisse licet. CHOR. Cadit ex humeris
Vestis apertis, imumque tegit
Suffulta latus. HEC. Jam nuda vocant
Pectora dextras : nunc, nunc vires
Exprome, dolor, tuas.
Rhœtea sonent litora planctu.
Habitansque cavis montibus Echo
Non, ut solita est, extrema brevis
Verba remittat; totos reddat
Trojæ gemitus : audiat omnis
Pontus, et æther : sævite, manus,

99. *Lacerum multo funere.* Quem jam antea, lugentes plurima nostrorum funera, laceravimus.

100. *Demissa est.* De more funereo; quem Noster et Med. v. 803; tangit. Ovid. Heroid. X, vs. 137: « Adspice demissos lugentis in ore capillos. » Met. VI, 289 : « ... stabant cum vestibus atris Ante toros fratrum demisso crine sorores. » Fast. VI, 441 : « Attonitæ flebant demisso crine ministræ. »

101. *Cinis fervidus.* Ex Troja ardente.

102. *Complete manus*, cinere. — *Hoc ex Troja*, etc. Ex omni Troja opibusque quondam Trojanis hoc sumsisse licet. Quod dicens, tollit cineris manipulum. FARN. — Habitus illarum ergo hic fuit : primum crinem nodo solvebant, et cinere adspergebant : tum pectus nudabant et humeros : et vestem non manu, sed chorda vel fascia aliqua supra uterum nectebant, ne decideret, ne patefierent quæ natura operuit : sic utero tenus nudæ ejulabant, et unguibus, palmis, pugnis, in se ipsas sæviebant. DELR.

103. CHOR. *Cadit ex humeris.* Vid. Animadv. — *Apertis*, detectis.

104. *Imum latus*, partem trunci inferiorem.

105. *Suffulta*, subligata, suffibulata. — *Vocant dextras.* Ad planctus et verbera.

107. *Rhœtea.* Rhœtus, promontorium est Trojæ. — *Planctu*, verberibus : ne autem intelligas, gemitibus.

Pulsu vasto tundite pectus.
Non sum solito contenta sono.
Hectora flemus.
CHOR. Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos.
Tibi nostra caput dextera pulsat.
Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent : fluit, et multo
Sanguine manat, quamcumque tuo
Funere feci, rupta cicatrix.
Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras; humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos :
Tecum cecidit : summusque dies
Hectoris idem patriæque fuit.
HEC. Vertite planctus. Priamo vestros
Fundite fletus : satis Hector habet.

115. *Solito sono.* Sono quem edunt vulgares planctus; planctus a dolore vulgari exciti.

117. *Tibi*, in tuum honorem, o Hector. — *Lacertos*, partem brachiorum superiorem.

118. *Sanguineos.* Humano sanguine placari defunctorum animas credebant.

119. *Tibi.* Conf. vs. 117.

120. *Tibi maternis ubera palmis*, etc. Vel intellige : ubera matrum, Troadum (et vox est bene consecrata), jacere laniata propriis ipsarum palmis. Vel alludi per τὸ « maternis palmis, » ad matrem Hectoris Hecubam, quæ excitat captivas ad planctus, et suis propemodum palmis eas laniat.

123. *Rupta*, novis plagis rescissa.

124. *Mora fatorum*, qui nempe decem annis instantia Pergamis fata et excidium distulisti.

126. *Tu murus eras.* In Pintadii epigrammate, VIII (Poet. L. M. n. ed. vol. II, pag. 329), legitur : « Defensor patriæ, juvenum fortissimus Hector, Qui murus miseris civibus alter erat, Occubuit telo violenti victus Achillis; Occubuere simul spesque salusque Phrygum. » Auctor est Hyginus Achillem, quum Hectorem raptaret, exclamasse, Expugnavi Trojam. DELR.

127. *Illa.* Patria, vs. 124.

130. *Vertite planctus.* Mutate causam plangendi. — *Priamo*, in luctum et reverentiam Priami.

CHOR. Accipe, rector Phrygiæ, planctus :
Accipe fletus, bis capte senex.
Nil Troja semel te rege tulit.
Bis pulsata Dardana Graio
Mœnia ferro ; bisque pharetras
Passa Herculeas : post elatos
Hecubæ partus, regumque gregem,
Postrema pater funera cludis;
Magnoque Jovi victima cæsus
Sigea premis litora truncus.
HEC. Alio lacrimas flectite vestras.
Non est Priami miseranda mei
Mors, Iliades. Felix Priamus,
Dicite cunctæ : liber Manes
Vadit ad imos; nec feret unquam
Victa Graium cervice jugum.
Non ille duos vidit Atridas,

133. *Bis capte senex.* Prius Podarces vocabatur; sed quia ab Hesiona sorore, dato Herculi, in lytrum, aureo flammeo, redemptus, et in libertatem restitutus fuit, Priamus nominari cœpit. Apoll. Bibl. lib. II. Bis autem captus, semel ab Hercule, et iterum auspiciis Atridarum. DELR.

134. *Nil semel tulit.* Vel, alio modo, binas semper infelicitates vs. sq. perpessa fuit.

135. *Bis pulsata*, etc. Semel ab Hercule perfidiam Laomedontis ulto, cui promiserat rex triginta equos, propter servatam a marino monstro filiam Hesionem : denuo jam ab Atridis. FARN.

136. *Bisque pharetras Passa Herculeas.* Fatale enim erat Trojam non posse secundo capi sine Herculis sagittis. Ipse Hercules in Sophocl. Philoct. Τὸ δεύτερον γὰρ τοῖς ἐμοῖς αὐτὴν χρεὼν Τόξοις ἁλῶναι. Philoctetes itaque, quum sciret solus sagittis Herculis uti, ad secundum bellum Trojanum ductus est.

137. *Elatos*, ad sepulturam. Vox solemnis.

138. *Partus*, filios. — *Regum*, regis filiorum. Et iidem sunt, quos jam designavit, « Hecubæ partus. »

140. *Magno Jovi.* Ad aram enim Jovis Hercei cæsus. FARN.

144. *Felix Priamus.* Præ nobis. Ille enim liber, nos captæ.

148. *Non ille duos vidit Atridas*, etc. Similis huic fere sententia apud Cicer. de Oratore, lib. III, cap. 2 : « Sed ii tamen rempublicam casus consequuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immor-

Nec fallacem cernit Ulyssem.
Non Argolici præda triumphi,
Subjecta feret colla tropæis.
Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit; currusque sequens
Agamemnonios, aurea dextra
Vincula gestans, lætis fiet
Pompa Mycenis. CHOR. Felix Priamus,
Dicimus omnes : secum excedens
Sua regna tulit; nunc Elysii
Nemoris tutis errat in umbris,
Interque pias felix animas

talibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exsilium generis, etc. » Livius, lib. XXVI, 13 : « Cruciatus contumeliasque, quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte, præterquam honesta, etiam leni, possum. Non videbo Ap. Claudium et Q. Fulvium, victoria insolenti subnisos, neque vinctus per Urbem romanam triumphi spectaculum trahar, etc. Nec dirui incendique patriam videbo.» Tacitus in Vita Agricolæ, cap. 44 : « Potest videri etiam beatus; incolumi dignitate, florente fama, salvis adfinitatibus et amicitiis, futura effugisse.» Et 45 : « Non vidit Agricola obsessam curiam, et clausum armis senatum. » — *Non Argolici præda triumphi*, etc. Cui Hecuba hic gratulatur, quod non satis diu ad tanta mala vixerit, nec sævis hostibus fuerit ludibrio, eumdem infelicissimum proclamat Juvenal. Sat. X, 265 : « Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit Eversa, etc. »

151. *Non subjecta feret colla tropæis.* Intellige, non videbit captivus statui de se tropæum; vel inter triumphi fercula se portari, instar tropæi, cum sua imagine sedentis, supplicis, nudi et alligati.

152. *Non.* Junge cum *dabit*, et supple ante *fiet*, vs. 155.

156. *Mycenis.* Urbi Agamemnoniæ. — *Felix Priamus.* Apud Ovid. Metam. XIII, 520, Hecuba : « . . . quis posse putaret Felicem Priamum, post diruta Pergama, dici? Felix morte sua, nec te, mea nata, peremptam Adspicit; et vitam pariter regnumque reliquit. »

158. *Sua regna tulit.* Abstulit secum suam regis dignitatem, qua, dum viveret, nunquam fuit destitutus.

159. *Tutis errat in umbris.* Vera enim solaque pax, quum demum mortui in sedibus beatis et perpe-

Hectora quærit. Felix Priamus!
Felix, quisquis bello moriens
Omnia secum consumta videt!

tua serenitate virtutum præmia receperunt. Vide descriptionem camporum Elysiorum in sexto Æneid. libro, 638 et seqq. et quæ notavimus in tomo septimo nost. edit. pag. 636 et seqq. ad excusandam Virgilii mentem, qui per *locos lætos et amœna vireta fortunatorum nemorum*, inter *pias animas*, ut ait noster Seneca, *errantem* cum suo *Hectore Priamum* ostendere venienti Æneæ noluit. Ed.

163. *Omnia secum consumpta videt!* Leg. alii *tulit*, cui nullus hic locus. Bene ad rem Claudian. in Ruf. V, vs. 19: « Everso juvat orbe mori; solatia leto Exitium commune dabit. » Baden.

ACTUS SECUNDUS.

TALTHYBIUS, CHORUS TROADUM.

TAL. Quam longa Danais semper in portu mora,
Seu petere bellum, petere seu patriam volunt!
CHOR. Quæ causa ratibus faciat et Danais moram,
Effare: reduces quis Deus cludat vias.
TAL. Pavet animus: artus horridus quassat tremor.
Majora veris monstra vix capiunt fidem.
Vidi ipse, vidi. Summa jam Titan juga
Stringebat; ortus vicerat noctem dies:
Quum subito cæco terra mugitu fremens
Concussa, totos traxit ex imo sinus.
Movere silvæ capita, et excelsum nemus
Fragore vasto tonuit, et lucus sacer.
Idæa ruptis saxa ceciderunt jugis.

Act. II, sc. 1. Narrat Talthybius apparuisse Achillis umbram, exprobratsque Græcis ingratitudine, postulasse, ut Polyxena, cujus nuptiarum prætextu ipse interfectus est, ad tumulum suum pro inferiis mactaretur, alias Græcos non habituros ventum ad reditum.

165. *Petere bellum.* Sicut quum ex Aulide solvere parabant, ad bellum Trojæ inferendum. — *Petere patriam*, redire in patriam, ut nunc volunt, bello confecto.

167. *Reduces vias.* Vias, quæ nos reducere debent et possunt.

169. *Capiunt fidem.* Pro certis creduntur.

170. *Summa juga.* Montes, excelsa quæque terrarum loca.

171. *Stringebat.* Radiis novis contingebat. — *Ortus dies.* Nascentis lux diei. Vid. Animadv. — Matutinum hic elegit poeta, quo tempore, ut ait Farnabius, discussis vaporibus atque humoribus defæcatis, certiora apparent somnia.

173. *Totos traxit ex imo sinus.* I. e. aperuit inque lucem exposuit suos intimos recessus.

175. *Sacer*, Cybelæ.

Nec sola tellus tremuit : et pontus suum
Adesse Achillem sensit, ac stravit vada.
Tum scissa vallis aperit immensos specus;
Et hiatus Erebi pervium ad superos iter
Tellure fracta præbet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Thessalici ducis,
Threicia qualis arma proludens tuis
Jam, Troja, fatis stravit : aut Neptunium
Cana nitentem perculit juvenem coma :
Aut quum inter acies Marte violento furens,
Corporibus amnes clusit; et quærens iter
Tardus cruento Xanthus erravit vado:
Aut quum superbo victor in curru stetit,
Egitque habenas, Hectorem et Trojam trahens.

177. *Et.* Singularem hujus voculæ emphasin, plus quam *etiam* significantis, jam observavit Burm. ad Propert. II, XIX, 31. BAD. — *Suum*, quia nempe Achilles erat Thetidis filius, Nerei nepos.

179. *Tum scissa vallis*, etc. Significat primum desedisse paululum terram, et quasi vallem fecisse, dein eo ipso loco disruptam.

180. *Hiatus Erebi.* Hoc est, Erebus dehiscens. — *Ad superos*, ad luminis auras.

181. *Tumulum*, sub quo recubat Achillis corpus. — *Levat*, sublevat, diducit.

182. *Ingens.* Seu umbras respicias, quæ notis semper majores apparent, Thyest. v. 674, et Œdip. vers. 175; seu Achillis staturam, quam novem cubitorum altitudinem æquasse ferunt. FARN. — *Thessalici ducis.* Achillis in Thessalia a Chirone educati.

183 sq. *Qualis.* Tam animosus, tam nobili ferocieus gestu, quam quum, etc. — *Proludens tuis fatis, Troja.* Præludium faciens excidio Trojanorum. — *Threicia arma stravit.* Thracum auxiliares a Cissæo Hecubæ patre copias, et Mysorum ducem Telephum fudit.

185. *Neptun. juvenem.* Cycnum, Neptuni filium, Trojanis socium, et ab Achille interfectum. — *Cana nitentem coma.* Propter olorem, in quem versus est Cycnus.

187. *Clusit.* Interclusit.

188. *Tardus cruento*, etc. Cadaverum vi Xanthum et Simoenta fluvios oppletos tarde fluere fecit. Agamemn. vs. 210. FARNAB. — *Cruento*, cadaveribus cruentis ita congesto, ut fluctus tardati errarent, nec jam haberent iter. Vid. Virgil. Æneid. lib. V, vers. 806, et seqq.

190. *Egit.* Gubernavit, rexit. — *Hectorem et Trojam.* Troja scil. olius Hectoris adminiculo stabat.

Implevit omne litus irati sonus:
« Ite, ite inertes : debitos manibus meis
Auferte honores : solvite ingratas rates,
Per nostra ituri maria : non parvo luit
Iras Achillis Græcia : at magno luet.
Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, et tumulum riget. »
  Hæc fatus, alta nocte divisit diem,
Repetensque Ditem, mersus ingentem specum
Coeunte terra junxit : immoti jacent
Tranquilla pelagi : ventus abjecit minas,
Placidumque fluctu murmurat leni mare.
Tritonum ab alto cecinit hymenæum chorus.

191. *Litus*. Sigæum, ubi sepultus fuerat Achilles. — *Irati*, supp. ducis, sup. v. 182.

192. *Manibus meis*. Umbræ meæ. Delrius intelligit *manus*, ob metrum (vid. Animadvers.), i. e. res gestas, robur, victorias manu partas.

194. *Nostra*. Matris meæ. Supra vs. 176. — *Non parvo luit*. Magnis calamitatibus luere coacta est. *Luit*, præterito sumitur; et ad tempus alluditur quo experti sunt Græci iras Achillis, quum, rapta per Agamemnonem Briseide, sineret ab Hectore impune vexari et cædi Græcos. Dein : « Majores experiemini, nisi sponsam et pactam mihi vivo Polyxenam, Pyrrhi manu mactatam, tumulo mecum jungatis. »

195. *At magno luet*. Si nempe manibus meis debiti non reddantur honores, quos auferri vetat, quum dicit : « Ite, ite inertes. » Dicit enim εἰρωνικῶς, ut apud Virgilium, Æneid. IV, 381, Dido : « I, sequere Italiam ventis... »

197. *Tumulum riget*. Meum sepulcrum suo sanguine irriget.

198. *Alta nocte divisit diem*. I. e. altas tenebras interposuit luci. Sic « diffindere diem insititio somno meridie, » pro, interponere somnum negotiis diurnis dixit Varro, de Re Rust. II, 5. BADEN.

199. *Mersus*. Se iterum visceribus terræ immergens. — *Ingentem specum*, etc. Hiatum, qui egresso cesserat, regressus clausit.

200. *Immoti jacent Tranq. pelagi*. Quiescunt jam maria immoti fluctus, et sternuntur.

203. *Tritonum*. Deorum marinorum, et Nereidum materterarum Achillis. Adnotat hic Gronovius : « Triton vocalissimus fingitur, et bucciuator atque adeo cantor. Ideo elegantissime miraculum miraculo auget, et quasi indictis nuptiis, accidisse narrat ab alto mari modulatos sonos : et chorum Tritonum, velut symphoniacorum, cecinisse hymenæum Achilli et Polyxenæ.

PYRRHUS, AGAMEMNON, CALCHAS.

PYRRH. Quum læta pelago vela rediturus dares,
Excidit Achilles : cujus unius manu
Impulsa Troja, quidquid adjecit moræ,
Illo remoto, dubia quo caderet, stetit.
Velis licet, quod petitur, ac properes dare,

Omnia fiunt ad extenuandam invidiam cædis. Regiam et innocentem puellam, quod ea Trojania illecebra fuerat perdendi Achillis, ignobili vindicta interficere gestiebant. Fingunt igitur umbram ducis poposcisse non ut inferias, sed ut conjugem. Quæ ut confirmetur opinio, etiam dii id approbant, et Tritones canunt hymenæum. » — Subjungit Baden. ita esse in nuptiis Jovis et Europes, Luciano (ed. Bip. t. II, pag. 126), descriptis in Dialogo marino, qui inscribitur *Zephyri et Noti*. Τό τε τῶν Τριτώνων γένος, καὶ εἴ τι ἄλλο μὴ φοβερὸν ἰδεῖν τῶν θαλαττίων, ἅπαντα περιεχόρευε τὴν παῖδα.

Act. II, sc. II. Agamemnonis cum Pyrrho jurgia super Polyxena compescit Calchas. Hoc jurgium magna ex parte desumtum ex jurgio Teucri et Atridarum in Sophoclis Ajace.

204. *Læta vela*. Dicit læta, propter partam de Ilio victoriam. — *Pelago dares*, ventis et fluctibus committeres.

205. *Excidit*, e vita; occidit, Phœbo dirigente Paridis sagittam.

206. *Impulsa Troja, quidquid*, etc. Vid. ante omnia Animadv. — Sensus rotundus expeditusque est: cujus manu in occiso Hectore labefactata Troja, quidquid superfuit post mortem ejusdem Achillis (hoc enim est, *illo remoto*) non stetit firma et nixa vestigiis suis; sed extraxit breve momentum titubando, et quasi deliberando quam in partem procumberet. Solet hoc evenire labantibus, ut paullum temporis sumant, seque sustineant minando in diversas partes lapsum. Et aggerit Gronovius exempla ex Thyeste, vs. 725; Ovid. Met. lib. X; Stat. Theb. lib. IX; Senec. Natur. Quæst. VI, 1 et 9, etc.

208 sq. *Velis licet*, etc. Sensus est : « etiam si tu libens accedas ad id quod a te petitur, quod ego posco, et etiam si properes, properaturus sis dare, tamen sero nimis daturus es illud; quandoquidem suum cuncti duces tulere pretium. — *Quod petitur*, vel, quod ego, filius Achillis, posco, vel quod jus poscit. Longe dissimiliter locum hunc intelligit interpres gallicus, et vertit : « Mais, ô roi d'Argos, quelque désir que vous ayez de mettre à la voile, vous ne pourrez le faire avant d'avoir satisfait les mânes du héros. »

Sero es daturus : jam suum cuncti duces
Tulere pretium. Quæ minor merces potest
Tantæ dari virtuti? an is meruit parum,
Qui, fugere bellum jussus, et longa sedens
Ævum senecta degere, ac Pylii senis
Transcendere annos, exuens matris dolos,
Falsasque vestes, fassus est armis virum?
Inhospitali Telephus regno impotens,
Dum Mysiæ ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit,
Fortemque eamdem sensit et mitem manum.

209. *Jam*, etc. Ergo serus eris, in dando pretio.

210. *Quæ minor*, etc. An illi, supra cæteros merito, minus quam cæteris debetur pretium? Farn.

214. *Et longa sedens Ævum*, etc. Et jussus, sedens per otium, degere ævum longa senecta.

213. *Pylii senis*. Nestoris.

214. *Transcendere*, numero superare. — *Matris dolos*. Quasi diceret cultum mendacem, et habitus dolosos, quibus mater ipsum abscondere tentaverat.

215. *Armis*. Delectu quem fecit armorum, inter varias res ab Ulysse ex industria oblatas, apud Lycomedis aulam.

216. *Inhospitali*, etc. Telephus, Mysiæ rex, quum Græcos Trojam proficiscentes prohiberet, ne per Mysiam iter facerent, ab Achille vulneratus, sanari non potuit ex oraculi responso, nisi peteret auxilium unde vulnus tulit; conciliatum itaque Achilles sanavit, dato e rubigine cuspidis emplastro. Farnab. — *Impotens*. Insolens, ferox.

217. *Mysiæ*. Cui nomen inditum a Myso fluvio, qui eam perfluit.

218. *Rudem*. Belli inexpertam, tironis tum Achillis. — *Cruore regio*, cruore suo, ut erat scilicet rex. — *Dextram imbuit*, perfudit; et intelligi debet, perfudit invitus, propter vulnus ab Achille sibi illatum.

219. *Fortem*. Vulnere; *Mitem*, medela. — *Et mit. manum*. Quod affirmetur Telephus curatus fuisse ferrugine hastæ Achilleæ, inde confictum putat Delrius, quia siderite herba, a se inventa, Telephi vulnus Achilles sanavit. Vir quidam eruditus, arbitratur fabulam natam inde quod, vel Aristotele auctore, vulnera telis æreis inflicta, quia causticam et siccam exhalationem in vulnere relinquunt, facilius curentur. Id confirmari videtur eo, quod cuspis hastæ Achilleæ, ut et ensis Memnonis, et cætera heroum arma, tradita sint ærea fuisse; et æs illos eam ad rem temperatura quadam indurare solitos, sed ea amissa ad usum ferri rediisse homines referunt Proclus et Zet-

Cecidere Thebæ : vidit Eetion capi
Sua regna victus : clade subversa est pari
Apposita celso parva Lyrnessos jugo;
Captaque tellus nobilis Briseide,
Et, causa litis regibus, Chryse jacet;
Et nota fama Tenedos; et quæ pascuo
Fecunda pingui Thracios nutrit greges,
Syros, fretumque Lesbos Ægæum secans,

ses in Hesiodum. Medicinam Achilles a Chirone didicit, et, ut verisimile est, chirurgicam, quæ tunc forte sola in usu.

220. *Thebæ*. In Cilicia.— *Eetion*, Andromachæ pater.

221. *Sua regna*. Eam Ciliciæ partem, in qua Thebæ. — *Pari*, sicut Telephus, sicut Eetion.

222. *Apposita celso jugo*. I. e. sub Idæo monte sita.—*Parva Lyrnessos*. Urbs Troados.

223. *Nobilis Briseide*. Cui nomen fuit et laus genuisse Briseida, Hippodamiam, filiam Brisei.

224. *Chryse*. Postquam Chryse, Ciliciæ oppidum, capta est, e præda Agamemnoni data est Astynome Chrysæ, Apollinis sacerdotis, filia, quam pater pretio et prece repetens a rege est repulsus : injuriam hanc Apollo peste ultus est, non cessatura, nisi reddita virgine; ab Achille itaque, consilii ejus auctore, abstulit Agamemnon Briseida : unde ἔχθος ἀνάκτων.

225. *Nota fama Tenedos*. Virgil. Æneid. II, 21 : « Est in conspectu Tenedos, notissima fama Insula... » — *Et quæ*. Junge cum *Syros*, vs. 227.

227. *Syros*. Non est hic *Scyros*, in qua, matris astu, latuerat Achilles, sed Ægæi maris insula, Pherecydis patria, ab Achille capta. Quod autem Syros illa Thracios greges nutrire dicatur, laudes ejus sunt, Odyss. XV, 404 : Ἀλλ' ἀγαθὴ μὲν, Εὔβοτος, εὔμηλος, etc. Latinus tragicus εὔμηλον vertit « nutrientem Thracios greges, » seu oves, quarum fecundus in Thracia proventus : ovesque e Thracia in Syria pascua transmissas, latiores amplioresque redditas significat. — *Fretumque Lesbos Æg. secans*. Relicta Scyro (non de qua agitur in textu) Achilles, priusquam se reliquæ classi Ilium petenti adjungeret, Lesbum contendit, eamque insulam expugnavit, occiso prius Trambelo Telamonis filio, qui illic habitabat, et propterea quod Apriatem puellam diligere cœperat, et Achilli se rivalem opposuerat; ut ex Euphorione narrat Parthenius, Erotic. c. 26. Ibi illi Methymna urbs moram obtulit, neque illa potiri posse videbatur, nisi Pisidice, regis filia, ipsius amore correpta, urbem, nuptias pacta, prodidisset; quam tamen merito postea supplicio affecit, milites jubens proditricem lapidibus obruere. Hoc narrat poeta ignotus, qui Lesbiaca scripsit; fragmentum exstat in Parthenio. Dalr.

Et sacra Phœbo Cilla : quid? quas alluit
Vernis Caycus gurgitem attollens aquis :
Hæc tanta clades gentium ac tantus pavor,
Sparsæ tot urbes, turbinis vasti modo,
Alterius esset gloria ac summum decus :
Iter est Achillis : sic meus venit pater,
Et tanta gessit bella, dum bellum parat.
Ut alia sileam merita, non unus satis
Hector fuisset? Ilium vicit pater,
Vos diruistis : inclitas laudes juvat,
Et clara magni facta genitoris sequi.
Jacuit peremtus Hector ante oculos patris,
Patruique Memnon, cujus ob luctum parens

228. *Sacra Phœbo Cilla.* Urbs Troados, quam vocat Homer. Il. I, 38, ζαθέην. — *Quas alluit.* Supple et præpone : « jacent urbes quas, etc. » vs. 224.

229. *Caycus.* Mysiæ amnis. — *Gurgitem attollens*, pro simplici, *fluens*. — *Vernis aquis*, quæ dulcissimo frigore amœnam veris temperiem ætheri addunt.

231. *Sparsæ*, non *stratæ*; eleganter ob seq. comparationem. Vid. Animadv. — *T. vasti modo.* Ad instar turbinis vasti, ut fecisset turbo vastus : Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, celeritate, quæ in rebus bellicis plus valet quam virtus : unde, ut vult Farnabius, πόδας ὠκὺς dictus Achilles.

233. *Iter est Achillis.* Hæ omnes victoriæ Achilli tantum gradus fuere ad bellum; adeo hæc in transcursu et obiter gessit. Racin. Iphig. act. I, sc. 2 : « La Thessalie entière, ou vaincue, ou calmée; Lesbos même conquise en attendant l'armée, *De toute autre valeur éternels monuments*, Ne sont d'Achille oisif que les amusements. » — *Sic*, præcedente tali rerum gestarum fama. — *Venit*, ad Trojæ muros.

234. *Et tanta gessit*, etc. Hæc sunt quæ tam admiranda gessit bella. — *Bellum*, fatale, maximi ante cætera omnia momenti.

235. *Hector.* Scilicet victoria super Hectore reportata.

236. *Ilium vicit pater.* In Hectore vincendo. Supra, vs. 125 sqq. et 190.

238. *Sequi*, relatione. Id est, persequi, narrare. Propertius, II, VIII, 23 : « Hæc ego castra sequar vates. »

239. *Peremtus*, dextra Achillis.

240. *Patrui.* Et hac voce idem designatur Priamus, qui et pater, filii sui Hectoris, et patruus, sui nepotis Memnonis, mortem vidit. Priamus scilicet fratrem habuit Tithonum, Memnonis patrem. — *Parens*, mater, Aurora.

Pallente mœstum protulit vultu diem,
Suique victor operis exemplum horruit;
Didicitque Achilles et Dea natos mori.
Tum sæva Amazon ultimus cecidit timor.
Debes Achilli, merita si digne æstimas,
Etsi Mycenis virginem atque Argis petat.
Dubitatur etiam? placita nunc subito improbas?
Priamique natam Pelei nato ferum
Mactare credis? at tuam natam parens
Helenæ immolasti : solita jam et facta expeto.
AGAM. Juvenile vitium est, regere non posse impetum.
Ætatis alios fervor hic primæ rapit,
Pyrrhum paternus : spiritus quondam truces,

241. *Pallente mæstum*, etc. Ovidius de Aurora, et Memnonis morte, Met. XIII, 578 : « Cura Deam propior, luctusque domesticus angit Memnonis amissi; Phrygiis quem lutea campis Vidit Achillea pereuntem cuspide mater. Vidit, et ille color, quo matutina rubescunt Tempora, palluerat; latuitque in nubibus æther. »

242. *Suique victor*, etc. Ordo est : « et victor horruit exemplum operis sui. » Explica : et Achilles, post victoriam, horruit, dum Memnonis exemplo videret se, licet Dea natum, posse et ipsum mori.

244. *Sæva Amazon*. Penthesilea ab Achille occisa. Claud. XI, 33 : «*Sævas* petisses pulcher Amazonas. » — *Ultimus timor*. Quem ultimum tibi timorem sustulit. Ovid. Fast. I, 551 : « Aventinæ *timor* atque infamia silvæ. »

245. *Debes Achilli*. Absolute dictum : nihil est quod tu non debeas Achilli.

246. *Etsi Mycenis*, etc. Etiamsi ex tuis Mycenæis aut Argivis aliquam virginem peteret.

247. *Dubitatur etiam*. Hæc adjuvanda sunt gestu Agamemnonis hæsitanti similis. — *Placita nunc subito improbas*. Sive quod tergiversaretur tradere Polyxenam, quam olim desponderi Achilli placuerat : sive potius, quod immolare virginem dubitaret, quum id in sua ipsius filia olim Agamemnoni placuisset.

248. *Ferum credis*. Reputas esse immanitatem.

250. *Helenæ*. Ut venti adspirarent euntibus ultum Helenam. — *Solita jam et facta*. Sacrificia tibi haud inusitata.

252. *Hic fervor ætatis*. Proficiscens solum ab ætate. In aliis, inquit Agamemnon, fervor iste vitium juvenile est, in Pyrrho paternum. Alii ab ætate hæc habent, Pyrrhus a patre.

253. *Quondam*. In jurgio super

Minasque tumidi lentus Æacidæ tuli.
Quo plura possis, plura patienter feras.
Quid cæde dira nobiles clari ducis
Adspergis umbras? noscere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat, victus pati.
Violenta nemo imperia continuit diu:
Moderata durant; quoque Fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosque casus tremere, metuentem Deos
Nimium faventes. Magna momento obrui
Vincendo didici. Troja nos tumidos facit
Nimium ac feroces? stamus hoc Danai loco,

Chryseide remittenda. Vid. Iliad. I, vs. 12 sq.

254. *Lentus*, placidus. Et opponitur τῷ *tumidi*.

255. *Quo plura possis*. Generaliter dictum: Quo quis possit plura. — Apte hæc omnia inter se nexa. Reddit enim Atrides rationem pulcherrimam, et regum rege, jam sene, dignissimam, cur superbiam Achillis patienter tulerit. Delr.

256. *Quid*. Quem ad finem. — *Cæde dira*. Polyxenæ. — *Clari ducis*, Achillei. — Graviter plurali numero Noster utitur; sic in Hercule furente, vs. 495: « Umbræ Creontis et Penates Labdaci. » Pari modo, Virgil. Æneid. VI, 510: « Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris. » Et Ovid. Metam. VI, 541, ex Philomelæ persona: « ...vacuas habuissem criminis umbras. »

258. *Vict. pati*. Suppl. *quid debeat*.

259. *Continuit*, retinuit, servavit.

260. *Quoque altius*. Et quo altius.

261. *Levavit*. In altum extulit. — Simile Tiberii dictum refert Tacitus, Annal. I, 72: « Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans. » Quintil. Declam. IX, 17: « Et hercle quo quisque plus potest, quoque latius patet ad fortunæ incursus, hoc magis cogitare debet atque respicere, quantum in nos fortunæ regnum sit, quam instabili sede humana consistant. » Badan.

262. *Se supprimere*, se deprimere, humiliores sensus concipere.

264. *Nimium faventes*. Qui nimios largiuntur favores. — *Magna*, quasque maximas res. — *Momento*, brevissimo temporis intervallo.

265. *Vincendo*, Trojam opulentam adeo et adeo florentem nuper. — *Troja*, capta.

266. *Stamus*, etc. Responsum est ad ea quæ ipse interrogavit: « posse ne fieri ut tumentes nos faceret Troja capta? — *Hoc loco*, eodem, nec altiori, potentiæ fastigio.

Unde illa cecidit. Fateor, aliquando impotens
Regno ac superbus, altius memet tuli;
Sed fregit illos spiritus hæc, quæ dare
Potuisset alii, causa, Fortunæ favor.
Tu me superbum, Priame? tu timidum facis.
Ego esse quidquam sceptra, nisi vano putem
Fulgore tectum nomen, et falso comam
Vinclo decentem? Casus hæc rapiet brevis;
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem:
Non omnibus Fortuna tam lenta imminet.
Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua,
Argiva tellus, liceat) affligi Phrygas
Vincique volui: ruere, et æquari solo,
Etiam arcuissem: sed regi frenis nequit
Et ira, et ardens hostis, et victoria

269. *Hæc, quæ dare Potuisset*, etc. Ordo: Hæc causa quæ potuisset alii dare spiritus, illos fregit: nempe fortunæ favor, de quo vid. Horat. Od. I, 34, 14; III, 29, 50.

271. *Tu me superbum, Priame? tu timidum facis.* Ut est locus, quo posuimus interrogationem, sensus est: « Aliis hæc victoria ferociam et immanes spiritus daret: me vero tu, o Priame, superbum facere? tantum abest, ut etiam timidiorem facias. — Si interrogationis nota hinc tollatur, sensus erit: « nostra de te, Priame, victoria non tantum efferre, sed et deprimere animum meum valet. Dum enim te tuamque fortunam intueor, exemplum mihi præbes inconstantiæ rerum humanarum: ut, si quando gloria efferat, statim me cohibeam, moderansque animos, metuam adversos casus. Cæterum, utrovis modo legas, sententia fere eodem redit.

274. *Falso vinclo decentem.* Quod diademate decoratur mendaci: etenim lætitiam et felicitatem extrinsecus, angores autem intus et curas habet. — *Casus brevis.* Vel rapidissima fortunæ immutatio.

275. *Nec mille ratibus*, etc. Supple *cum*, aut *adjuvantibus:* nec erit forsan opus comparare mille rates, consumere annos decem.

276. *Fortuna.* H. e. fortuna adversa. — *Tam lenta*, quam Trojanis. — *Hoc*, scilicet, quod arcuissem Trojam æquari solo.

278. *Affligi.* De nimio potestatis fastigio detrudi.

280. *Etiam.* Idem ego qui volui afflictos Phrygas et devictos. — *Arcuissem*, prohibere voluissem, prohibuissem si potuissem. — *Regi frenis*, temperari ulla lege.

Commissa nocti : quidquid indignum aut ferum
Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor,
Tenebræque, per quas ipse se irritat furor,
Gladiusque felix, cujus infecti semel
Vecors libido est. Quidquid eversæ potest
Superesse Trojæ, maneat; exactum satis
Pœnarum, et ultra est : regia ut virgo occidat,
Tumuloque donum detur, et cineres riget,
Et facinus atrox cædis ut thalamos vocent,
Non patiar; in me culpa cunctorum redit :
Qui non vetat peccare, quum possit, jubet.
PYRRH. Nullumne Achillis præmium manes ferent?
AGAM. Ferent; et illum laudibus cuncti canent;
Magnumque terræ nomen ignotæ audient.
Quod si levatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygii colla cædantur gregis,

282. *Commissa nocti.* Cujus nox omnem licentiam opacitate sua protegit et adjuvat.

283. *Hoc fecit.* Inter Græcos debacchantes in Trojanos. — *Dolor*, raptæ Helenæ vindicta.

284. *Tenebræque*, etc. Noctis qua capta est Troja. — *Per quas ipse se irritat furor, Gladiusque felix.* Similia fere et similiter dicta reperiss in tragœdia nostratis *Racine*, cui titulus, *Andromaque*, act. I, sc. II, ubi Pyrrhus : « La victoire et la nuit, plus cruelles que nous, Nous excitaient au meurtre, et confondaient nos coups. » — *Felix*, victor. — *Infecti*, cruore tincti.

286. *Vecors.* Insana, reponi nesciens. — *Libido*, licentia. — *Quidquid eversæ potest*, etc. In hac, quam jam citavimus, fabula, eodem sensu loquitur Pyrrhus ipse, dum Noster h. l. eum e contrario depingit Trojanarum miseriarum avidum, loco citato : « Mon courroux aux vaincus ne fut que trop sévère; Mais que ma cruauté survive à ma colère! Que, malgré la pitié dont je me sens saisir, Dans le sang d'un enfant je me baigne à loisir! Non, Seigneur! Que les Grecs cherchent une autre proie, Qu'ils poursuivent ailleurs ce qui reste de Troie : De mes inimitiés le cours est achevé, etc. »

290. *Facinus atrox cædis*, etc. Et cædem, quod est facinus atrox, vocent nomine conjugii.

291. *In me redit.* Ni ego, rex omnium Græcorum, prohibeam.

295. *Ignotæ.* Ita remotæ, ut nobis sint ignotæ.

296. *Si levatur.* Si vere fit ut levetur, solatio donetur.

Fluatque nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est, quando in inferias homo est
Impensus homini? Detrahe invidiam tuo
Odiumque patri, quem coli pœna jubes.
PYRRH. O tumide, rerum dum secundarum status
Extollit animos; timide, quum increpuit metus!
Regum tyranne, jamne flammatum geris
Amore subito pectus, ac veneris novæ?
Solusne toties spolia de nobis feres?
Hac dextra Achilli victimam reddam suam:
Quam si negas retinesque, majorem dabo,
Dignamque quam det Pyrrhus: et nimium diu
A cæde nostra regia cessat manus,
Paremque poscit Priamus. AGAM. Haud equidem nego
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,

299. *Iste*, quem tu ibi prædicas. — *Mos quando*. Mos, quo jubente; mos, cujus auctoritate. — *In inferias*. Ad placandos Manes.

300. *Impensus homini*. Traditus, et ipse, et sanguis. — *Detrahe invidiam odiumque*. Arceas invidiam et odium a memoria patris tui. Sic Senec. de Benef. V, 16: « Quasi potentiæ suæ detracturus invidiam. »

301. *Pœna*. Supplicio regiæ virginis, et ejus quidem innocentis.

302. *O tumide, rerum dum... timide*, etc. Hæ sunt solitæ apud Latinos paronomases, quæ magnam sæpius vim habent. Et hoc loco, vividius quam frigidius opponuntur duo vocabula, sono propemodum similia.

303. *Increpuit*. Ab *increpo*, i. e. vel minimum reddit crepitum, quasi ædificii ruinam minantis.

305. *Amore subito*. Ut olim Chryseidos, mox Cassandræ, ita nunc Polyxenæ? — *Amore subito... ac Veneris novæ*. Pro, subito ac novo amore. BADEN.

306. *De nobis*. De nostra familia, vivo patri eripiens Briseida: mortui inferiis Polyxenam negans. FARN.—Bene ut credimus, intellexit *de nobis* Farnabius; non autem suspicatus est gallicus interpres: « Est-ce une dépouille que tu prétends ajouter à tant d'autres? »

308. *Majorem*. Te ipsum scil.

310. *Nostra*, manus abstinet diu nimium a regia cæde.

311. *Parem poscit Priamus*. Regem suæ mortis socium poscit Priamus, manu mea interfectus. Aut nos, sequuti Farnabium, valde erramus; aut gallicus interpres, qui vertit: « mais c'est trop tarder à verser le sang de cette princesse: Priam, immolé par moi, me demande sa fille. »

312. *Maximum*. Ironice.

Sævo peremtus ense quod Priamus jacet,
Supplex paternus. PYRRH. Supplices nostri patris
Hostesque eosdem novimus. Priamus tamen
Præsens rogavit : tu gravi pavidus metu
Nec ad rogandum fortis, Ajaci preces
Ithacoque mandas, clusus, atque hostem tremens.
AGAM. At non timebat tunc tuus, fateor, parens,
Interque cædes Græciæ, atque ustas rates,
Segnis jacebat, belli et armorum immemor,
Levi canoram verberans plectro chelym.
PYRRH. Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,
Cantus Achillis timuit : et tanto in metu
Navalibus pax alta Thessalicis fuit.

314. *Supplex paternus.* Cui supplici et filii sui Hectoris cadaver redemtum venienti, pepercit pater tuus. — *Supplices nostri patris Hostesque eosdem novimus.* Explica, *novimus*, quasi esset, *ego novi ; post eosdem*, supple, *esse*. Et totius sententiæ mentem sic accipe : « Male objiceretur mihi Priamum fuisse supplicem patris : nam quemadmodum supplex patris fuerat, ita quoque hostis erat; et quemadmodum supplici illi pepercit pater, ita ego hostem interfeci. Sic autem ego scio, id patri meo sorte datum, ut qui hostes illi forent, eidem fierent tandem supplices : quorum in numero, et tu, Agamemnon, fuisti. » Ad hunc etiam locum, aut negligentiæ insimulandus est, aut inscitiæ interpres gall. « Je reconnais les suppliants de mon père, comme je reconnais ses ennemis. »

315-319. *Priamus tamen*, etc. Et tamen Priamus, te animosior, venit ipse Achillem curam deprecaturus: tu non sustinens patris mei irati conspectum, Ajacem et Ulyssem cum muneribus et precibus misisti, ipse in tentoriis latens. FARN. — *Preces mandas.* Provinciam Achillis exorandi committis.

319. *At non*, etc. Scopticon est. — *Timebat.* Non eas adibat rerum occasiones, ubi posset timere; id est omnem timoris locum effugiebat, dum jaceret segnis in tentorio, comitesque suos exire ad pugnam vetaret.

320. *Interque cædes Græc.* Dum Græci catervatim conciderentur. — *Ustas.* Hectore et Trojanis faces in classem inferentibus.

322. *Levi*, etc. Iliad. IX, 186 sqq.

323. *Tunc.* Et tamen tunc etiam, tunc quum pater meus, ut dicis, jacebat segnis. — *Contemnens*, idem qui contemnebat.

324. *Cantus Achillis timuit.* Intellige, timuit Achillem qui cantabat, potius quam, timuit ipsos Achillis cantus.

AGAM. Nempe iisdem in istis Thessalis navalibus
Pax alta rursus Hectoris patri fuit.
PYRRH. Est regis alti, spiritum regi dare.
AGAM. Cur dextra regi spiritum eripuit tua?
PYRRH. Mortem misericors sæpe pro vita dabit.
AGAM. Et nunc misericors virgines busto petis.
PYRRH. Jamne immolari virgines credis nefas?
AGAM. Præferre patriam liberis regem decet.
PYRRH. Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.
AGAM. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
PYRRH. Quodcumque libuit facere victori, licet.
AGAM. Minimum decet libere, cui multum licet.
PYRRH. His ista jactas, quos, decem annorum gravi

325 sq. *Nempe iisdem*, etc. Nec sane erat cur timeretur, quum ausus fuerit Priamus hostis huc venire. FARN.

328. *Est regis alti*, etc. Ut plenior sit sententia, supple ante hæc: « quod dicis Priamum venisse apud Achillem sine periculo, non probat patrem meum non fuisse timendum, sed sibi revocavisse in animum, quam bene deceat regem altum, etc. » — *Spiritum dare*. Vitam dare. Perperam gall. interpr. « c'est qu'il est d'un grand roi de ranimer le courage d'un roi. »

330. *Sæpe*. In eis scilicet rerum articulis, ubi mors potior est vita extreme misera, et malum minus est. Eamdem sententiam pronuntiavit Seneca philosophus in De ira, I, 16, § 3 : « interim optimum misericordiæ genus est, occidere. » Et alibi sæpius. Exemplum vero Marianus ille servus, qui dominum suum, ut Sullanæ crudelitatis expertem faceret, gladio trajectum interemit: quum magus præmia sibi proposita videret, si eum victori tradidisset. Rem narrat Val. Maximus, VI, 8, 2, hoc addito : « Cujus dexteræ tam opportunum ministerium nihil eorum pietati cedit, a quibus salus dominorum protecta est, quia eo tempore Mario non vita, sed mors in beneficio reposita erat. » BAD.

331. *Et nunc misericors*. Ironia.

332. *Jamne*. Incipiens scilicet jam nunc talia admittere; quasi diceret : « ubi olim hæc mens, quando filiam tuam virginem immolasti? » Et nihil acerbius, crudelius, injustiusque poterat contra patrem objici.

335. *Quod non vetat*. Res quasdam quas lex non vetat fieri.

336. *Quodcumque libuit facere*, etc. Illud est τὸ *væ victis!* quod Brennus pronuntiavit.

338. *His ista jactas*, etc. Regerit Pyrrhus : « Annon te pudet hæc jactare apud Græcos, quos decem

Regno subactos, Pyrrhus exsolvit jugo?
AGAM. Hos Scyrus animos? PYRRH. Scelere quæ fratrum caret.
AGAM. Inclusa fluctu. PYRRH. Nempe cognati maris.
Atrei et Thyestæ nobilem novi domum.
AGAM. Ex virginis concepte furtivo stupro,
Et ex Achille nate, sed nondum viro.
PYRRH. Illo ex Achille, genere qui mundum suo,
Sparsus per omne cælitum regnum, tenet,
Thetide æquor, umbras Æaco, cælum Jove.
AGAM. Illo ex Achille, qui manu Paridis jacet.
PYRRH. Quem nec Deorum cominus quisquam petiit.
AGAM. Compescere equidem verba, et audacem malo
Poteram domare: sed meus captis quoque

annorum gravi jugo, longe dissimilis illi ipsi quem nunc agis, qui nunc tam graves sententias loqueris, intemperantissime pressisti? quosque adhuc premeres, nisi Pyrrhus, eversa Troja, imperio tuo finem attulisset? » — Tò *exsolvit* sic explicat Farn. « sacramento in militiam præstito absolvit, Troja scilicet capta, quæ fato capi non potuit sine uno ex Æacidarum genere. »

340. *Hos Scyrus animos?* Tantosne tibi animos suppeditat ignobilis patria. FARN. — *Scelere quæ fratrum caret.* Quæ tamen non habet reges scelestos fratres, quemadmodum habuere Mycenæ Atreum et Thyestem. FARN.

341. *Inclusa fluctu.* Insula mari angustata. — *Cognati maris.* In quo Thetis, patris mei mater. FARN.

342. *Atrei et Thyestæ*, etc. Prolepsis ironica. — *Nobilem domum*, domesticis odiis infamem.

343. *Ex virginis*, etc. Deidamiæ Lycomedis filiæ ab Achille, qui virgineo habitu latitabat, constupratæ. FARN. — *Concepte.* Vocativus est: o tu, concepte, etc.

344. *Nondum viro.* Ergo quem tunc gignebat filium, vir ipse nunquam esse debuit.

345 sq. *Genere mundum suo tenet.* Totum orbem, et Olympum devinctum necessitudinibus habet, divisus inter consanguineos deos: qui cælo, mari, inferis imperant. GRON.—*Omne regn.* omnia regna.

348. *Paridis.* Per emphasin: hominis mollis, effeminati.

349. *Quem nec*, etc. Præpone: « illo ex Achille. » — *Nec deorum quisquam.* Ne unus quidem inter deos. — *Cominus.* Verum contra eminus et per insidias.

350. *Malo.* Supplicio tuo, vel in malum tuum.

351. *Poteram.* Possem. — *Captis.* Captivis, ut Polyxenæ.

Scit parcere ensis : potius interpres Deûm
Calchas vocetur : fata si poscunt, dabo.
Tu, qui Pelasgæ vincla solvisti rati,
Morasque bellis, arte qui reseras polum,
Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,
Et stella longa semitam flamma trahens
Dant signa fati, cujus ingenti mihi
Mercede constant ora, quid jubeat Deus,
Effare, Calcha, nosque consilio rege.
CAL. Dant fata Danais, quo solent pretio, viam.
« Mactanda virgo est Thessali busto ducis;
« Sed quo jugari Thessalæ cultu solent,
« Ionidesve, vel Mycenææ nurus.
« Pyrrhus parenti conjugem tradat suo.
« Sic rite dabitur : non tamen nostras tenet
« Hæc una puppes causa : nobilior tuo,
« Polyxene, cruore debetur cruor,
« Quem fata quærunt : turre de summa cadat
« Priami nepos Hectoreus, et letum oppetat.
« Tum mille velis impleat classis freta. »

353. *Dabo.* Tradam Polyxenam Achilli immolandam.

355. *Arte qui reseras polum.* Id est, qui ex fulminum igniumve cælestium inspectione futura concipis, et potes augurium includere.

356. *Cui viscerum secreta.* Qui per extispicium fata rimaris. — *Cui mundi fragor.* Terræ motum vult Delrius : Farnabius, tonitru, ...mque, ait, et hoc ad aruspices ...ere nemo non novit. »

... *Stella*, etc. Stellas transvo... ...nuit. Virgil. Æn. V, 528 : ...emque volantia sidera du... Cf. Senec. Quæst. Nat. I, 1.

...8. *Cujus ingenti mihi mercede*, etc. Filia mea, sup. vers. 332, et Chryseide, vs. 224. FARN.

361. *Pretio.* Virgine cæsa.

362. *Busto.* Super bustum, ad bustum. — *Thessali ducis.* Achillis.

363. *Sed quo jugari*, etc. Explica : « sed ea virgo mactanda est, nonnisi postquam induerit cultum quo indui solent nurus Thessalæ, etc. quum jugantur, quum matrimonio junguntur. — *Ionides*, Argivæ, genus ducentes ab Io. BAD.

365. *Conjugem.* Polyxenam.

366. *Sic*, tradente Pyrrho. — *Rite*, ut decet, ut voluit Dei. — *Tenet*, retinet ad litus Iliacum.

368. *Cruor*, scilicet prolis unius

CHORUS TROADUM.

Verum est? an timidos fabula decipit,
Umbras corporibus vivere conditis?
Quum conjux oculis imposuit manum,
Supremusque dies solibus obstitit,
Et tristis cineres urna coercuit,
Non prodest animam tradere funeri,
Sed restat miseris vivere longius?
An toti morimur, nullaque pars manet
Nostri, quum profugo spiritus halitu
Immixtus nebulis cessit in aera,
Et nudum tetigit subdita fax latus?
Quidquid Sol oriens, quidquid et occidens
Novit : cæruleis Oceanus fretis

masculæ, Hectoreæ. — *Priami nepos Hectoreus.* Astyanax, Priami nepos, filius Hectoris. — *Mille velis.* Suis mille navibus classis mare occupet.

Act. II, sc. III. Chorus e mulieribus Trojanis, tam mente quam corpore captis, qui animam Achillis apparuisse negat, ex Epicuri sententia, quæ nec Stoicorum multo sanior, stulte et (ut semel de toto choro moneam) impie animam cum corpore interire aperit, nullamque nostri partem manere.

372. *Timidos.* Nos, mortales : ut timidi sumus.

373. *Umbras.* Animas. — *Conditis*, sepultis.

374. *Quum conjux oculis imposuit*, etc. Ubi conjux conjugis morientis oculos claudit, quod faciebant sanguine propinqui. FARNAB.

375. *Solibus*, luci vitali, ne viderent solem diemque.

376. *Urna*, quæ cineres combustorum capit.

377. *Non prodest*, etc. Interrogative dictum.—*Animam tr. funeri.* Funeri tradere corpus, quod modo vigebat anima; cf. inf. not. 380.

378. *Sed restat miseris vivere longius?* An restat vita post funus? quam quidem vitam miseram duxerunt Stoici. FARN.

380. *Quum profugo spiritus halitu*, etc. Hanc exponit opinionem, quæ fert animam (ex mente Chori) ex aere seu elementorum subtilissima parte concretam, redire in illa, unde orta sit.

382. *Nudum latus*, nudas tantum cadaveris inanimi reliquias.

Quidquid vel veniens, vel fugiens lavat,
Ætas Pegaseo corripiet gradu.
Quo bis sena volant sidera turbine,
Quo cursu properat secula volvere
Astrorum dominus, quo properat modo
Obliquis Hecate currere flexibus;
Hoc omnes petimus fata : nec amplius,
Juratos Superis qui tetigit lacus,
Usquam est : ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreæ disjicit impetus;
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil,
Velocis spatii meta novissima.
Spem ponant avidi; solliciti metum.
Quæris quo jaceas post obitum loco?

385. *Veniens vel fugiens*. Nempe in æstus reciprocatione.

386. *Ætas*. Tempus. — *Pegaseo*, veloci, ut fuit cursus Pegasi.

387. *Quo bis sena volant sidera turbine*. I. e. eadem turbinis violentia, qua sidera, etc. — *Bis sena sidera*, Zodiaci.

389. *Astrorum dominus*. Sol. — *Quo properat modo*, etc. Qua velocitate volvuntur duodecim menses anni; qua celeritate Phœbus et Phœbe peragunt cursum suum, ea properamus ad mortem : tantum enim vitæ, quantum tempori decedit. Dela.

391. *Hoc*, supp. *modo*. Eadem rapiditate. — *Nec amplius... usquam est*. Nec postea ullo loco, sub ulla forma exsistit.

392. *Juratos superis lacus*. Styga.

393. *Ut calidis fumus*, etc. Ordo est : « ut fumus sordidus ab ignibus calidis vanescit per breve spatium, sic spiritus, etc. » inf. v. 397.

395. *Gravidas*. Pluvia fetas. — *Quas modo vidimus*. Quæ uno tantum momento oculis nostris apparuerunt. Et *vidimus*, præterito dictum, quo sit imago vividior. Vix aspiciuntur, quum jam fuerunt disjectæ, jam fugerunt.

399. *Novissima*. Ultima.

400. *Avidi*. Cupidi mortis, qui sperant post eam præmia virtuti retribuenda.. — *Solliciti*. Qui pœnas scelerum post mortem metuunt. Sic, sublata spe et metu futurorum, augabatur Epicurus se genus humanum incomparabili beneficio affecisse : eo respicit, vel id sentit potius. Delr.

401. *Quæris, quo jaceas*. Quid futurum sit de te mortuo rogas.

Quo non nata jacent.
Tempus nos avidum devorat, et chaos.
Mors individua est noxia corpori,
Nec parcens animæ. Tænara, et aspero
Regnum sub domino, limen et obsidens
Custos non facili Cerberus ostio,
Rumores vacui, verbaque inania,
Et par sollicito fabula somnio.

402. *Quo non nata jacent.* Eris post obitum, quasi nunquam fuisses editus. Ab Euripide sumsit : Τὸ μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω. Sic Andromache in Troad. v. 631. —Torquatus apud Ciceronem, de Finib. I, 15 : « Robustus animus et excelsus, omni est liber cura et angore, quum et mortem contemnit; qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati. » Bad.

403. *Tempus nos avid. devorat, et chaos.* Successu temporis omnia in pristinum chaos revolvi censebant Stoici; et novos deinde mundos iterum interituros secundum cunctas sui partes, nasci iterum, mori iterum; nullumque istius circuli perpetui finem agnoscebant. Hæc illorum æternitas. Delr.

404. *Mors individua est noxia corpori.* Vocabulum *noxia* pro substantivo accipe, proque damno, labe, vitio; et intellige : mors est labes corporis, quæ ab eo dividi ac separari non potest.

405. *Tænara.* Descensus ad inferos. — *Aspero*, etc. Diti, qui est illacrimabilis, regnati inferi.

408. *Rumores vacui.* Supp. *sunt.*

409. *Sollicito somnio.* Vana sunt somnia, quæ falso metu sollicitant.



ACTUS TERTIUS.

ANDROMACHA, SENEX, ULYSSES.

ANDR. Quid mœsta, Phrygiæ, turba laceratis comas,
Miserumque tunsæ pectus, effuso genas
Fletu rigatis? levia perpessæ sumus,
Si flenda patimur. Ilium vobis modo,
Mihi cecidit olim, quum ferus curru incito
Mea membra raperet, et gravi gemeret sono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens.
Tunc obruta atque eversa, quodcumque accidit,
Torpens malis rigensque, sine sensu fero.
Jam erepta Danais conjugem sequerer meum,

Act. III, scen. 1. Hectoris uxor, viso territa, filium in tumulo paterno abscondit, quem sagacitate sua Ulysses latebris excitum ad mortem abducit.

413. *Si flenda patimur.* Si ejus naturæ sunt nostra mala, ut possint lacrimas nobis extorquere. Levium enim dolorum fletus est, ingentium stupor. — *Vobis modo*, jam tandem captis.

414. *Ferus.* Achilles.

415. *Mea*, mei Hectoris.

417. *Tunc obr. atq. eversa, quodcumque*, etc. Totum illud explica : « Ilium mihi olim cecidit, nimirum, quum Hector caderet, quum circum muros traheretur : tum ego eversa et obruta ruinis incidentis mihi calamitatis, quidquid postea supervenit, non sensi, tanquam minus. Eleganter autem, « obruta atque eversa, » quod et de homine et urbe recte dicitur. Gron. — Adnotat Badenius, Euripidis hæc esse, qui Andromach. v. 453 : ... ἐμοὶ δὲ θάνατος οὐχ οὕτω βαρύς. Ὡς σοὶ δέδοκται· κεῖνα γάρ μ' ἀπώλεσεν, Ὅθ' ἡ τάλαινα πόλις ἀναλώθη Φρυγῶν, Πόσις θ' ὁ κλεινός.

419. *Jam erepta Danais.* Voluntaria morte meipsam eripiens servituti Danaum. Male interpres gallicus, « Arrachée de mes foyers par les Grecs. » — *Sequerer*, apud inferos.

Nisi hic teneret : hic meos animos domat,
Morique prohibet : cogit hic aliquid Deos
Adhuc rogare : tempus ærumnæ addidit.
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
Nihil timere : prosperis rebus locus
Ereptus omnis; dira, qua veniant, habent.
Miserrimum est timere, quum speres nihil.
SEN. Quis te repens commovit afflictam metus?
ANDR. Exoritur aliquod majus e magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum stetit.
SEN. Et quas reperiet, ut velit, clades Deus?
ANDR. Stygis profundæ claustra, et obscuri specus
Laxantur : et, ne desit eversis metus,
Hostes ab uno conditi Dite exeunt.
Solisne retro pervium est Danais iter?
Certe æqua mors est : turbat àtque agitat Phrygas
Communis iste terror : hic proprie meum
Exterret animum noctis horrendæ sopor.

420. *Hic*, filiolns meus. Astyanaeta secum in scenam adduxerat. Vid. Rscin. Audr. III, 6, et passim.

424. *Nihil timere*, securitatem.— *Prosperis rebus locus*, etc. Regina deplorat miseriam suam, quod timeat, omni spe melioris sortis in perpetuum exelusa.

425. *Qua veniant, habent.* Locum et spatium in mea vita habent.

426. *Miserrimum est timere, quum speres nihil.* Timor enim, eui nil spei admixtum sit, desperstionem, malorum maximum, gignit. Nsm desperans meliorem sortem, jaeet omnino, neque se conatur erigere : et quia illis omnibus abstinet, quæ sslntem possint afferre, nunquam ex miseria eripitur.

429. *Nondum stetit.* Et ideo longius etiam debuit procedere.

430. *Ut velit.* Si modo velit.

432. *Eversis.* Genti nostræ sdeo miserabiliter excisæ.

433. *Hostes.* Indignanter, pro hostis; i. e. Achillis umbra, Polyxenam sibi inferias dsri petens.

435. *Certe æqua mors est.* Quum vero æqua sit mors, non video quominns psteat idem Trojsnis ab inferis iter. Sie dixit Ep. xxx : « Mors necessitstem babet æquam, etc. »

436. *Iste terror.* Ab Achillis umbra injectns de Polyxena.

437. *Noctis sopor.* Ἐνυπνίου ὄψις, somnium, seu potins ὕπαρ; quod ex narratione et eventu patet. FARNAB. — *Proprie*, præcipne. Elegan-

SEN. Quæ visa portent, effer in medium, metus.
ANDR. Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumque septem verterant stellæ jugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies,
Brevisque fessis somnus obrepsit genis;
Si somnus ille est mentis attonitæ stupor;
Quum subito nostros Hector ante oculos stetit:
Non qualis ultro bella in Argivos ferens,
Graias petebat facibus Idæis rates;
Nec cæde multa qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit.
Non ille vultus flammeum intendens jubar,
Sed fessus ac dejectus, et fletu gravis,
Similisque nostro, squalida obtectus coma.

1

ter vero etiam *communis terror*, et *proprius terror* sibi opponuutur. Cic. Epist. ad Fam. VI, 1, 4: « Nec debes tu, quum de tuis cogitas, aut *præcipuam* aliquam fortunam postulare, aut *communem* recusare. »

438. *Quæ visa portent, effer in medium, metus.* Construe et explica: « Effer in medium, denuntia, indica, quæ visa, quarum rerum adspectus, portent, injiciant, inspirent metus. »

439. *Alma.* Sic forsan dicta, quia somno et quiete mortales reficit recreatque, et quasi alit. — *Duas.* Græci in tres stationes seu vigilias noctem distribuebant: Romani in quatuor; arguit autem veritatem somnii a tempore. Vid. sup. v. 170.

440. *Clarumque septem verterant,* etc. Vide Herc. Fur. vs. 6, vs. 131, vs. 133 ed. nostr. vol. I, p. 4, 17.

441. *Ignota*, insolita.

442. *Genis*, oculis. Quo sensu vocem hanc sæpe Seneca usurpat.

443. *Si somnus*, etc. Ordo est: « Si ille stupor mentis attonitæ, est somnus. » Bene gallicus interpres: « Si cependant on peut appeler repos la stupeur d'une ame anéantie. »

447. *Nec cæde multa qualis.* Nec qualis post cædem multam. — *In Danaos furens.* Infensus Græcis.

448. *Ex Achille simulato.* Patroclo scilicet, qui heroem mentitus, Achillis arma induerat. Plane ab sensu errat interpr. gallic. « Couvert des armes du *trompeur Achille*, ravies à Patrocle. » Hæc ex Virgil. Æneid. II, 274: « Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis, Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes! »

449. *Intendens*, prætendens, præferens. — *Flammeum jubar*, majestatem vividam.

451. *Similisque nostro.* Vultui; scil. fletu gravis. Vs. præced. — *Squallida obtectus coma.* Virgil. II,

Juvat tamen vidisse : tum quassans caput:
« Dispelle somnos, inquit, et natum eripe,
« O fida conjux ! lateat : hæc una est salus.
« Omitte fletus. Troja quod cecidit, gemis?
« Utinam jaceret tota! Festina : amove
« Quocumque nostræ parvulam stirpem domus. »
Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit,
Oculosque nunc huc pavida, nunc illuc ferens,
Oblita nati, misera quæsivi Hectorem.
Fallax per ipsos umbra complexus abit.
O nate, magni certa progenies patris,
Spes una Phrygibus; unica afflictæ domus,
Veterisque soboles sanguinis nimium inclyti,
Nimiumque patri similis : hos vultus meus
Habebat Hector : talis incessu fuit,
Habituque talis, sic tulit fortes manus.

vs. 277 : « Squalentem barbam et concretos sanguine crines. »

452. *Juvat.* Lætor conjux amantissima. — *Tamen.* Etiam sic deformem, squalidum.

454. *Hæc una est salus.* Una est via salutis, scil. eum latere.

456. *Utinam jaceret tota!* Utinam ejus ruinæ modo posito tandem et periodo, non ulterius cædes grassaretur ! et sic innuit restare sibi in suorum, matris, uxoris et præcipue filii periculis, magnas adhuc timoris causas.

457. *Amove quocumque.* Transfer quo poteris, et propera abscondere.

460. *Misera quæsivi.* Quasi esset *misere quæsivi;* et intellige, seu, quæsivi, desiderio illius videndi misere deperdita; seu, quæsivi infeliciter, quem scilicet non inveni.

461. *Fallax per ipsos*, etc. Et frustra comprensa, manus effugit imago : Virgil. Æn. II, 793, et VI, 701.

463. *Spes una Phrygibus.* Usque ad invidiam et timorem hostium, ne superstes, patris et patriæ excidium ulciscaris.

464. *Nimium inclyti.* Namque splendor ipse et gloria majores attulit infelicitates. Racinius noster hos versus feliciter, ut solet, imitatus est, Androm. act. II, scen. 5.

465. *Nimiumque patri similis.* Et quia dolores meos renovas, et quia majorem Græcis metum incutis. — *Vultus*, etc. Virg. Æn. III, 490 : « Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. » Apud Homer. Od. IV, vs. 149, Menelaus Telemachum cum Ulysse comparat : Κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες, Ὀφθαλμῶν τε βολαί, κεφαλή τ', ἐφύπερθέ τε χαῖται.

Sic celsus humeris, fronte sic torva minax,
Cervice fusam dissipans lata comam.
O nate sero Phrygibus, at matri cito,
Eritne tempus illud, ac felix dies,
Quo Troici defensor et vindex soli,
Recidiva ponas Pergama, et sparsos fuga
Cives reducas? nomen et patriæ suum,
Phrygibusque reddas? Sed mei fati memor,
Tam magna timeo vota: quod captis sat est,
Vivamus. Heu me, quis locus fidus meo
Erit timori? quave te sede occulam?
Arx illa pollens opibus et muris Deûm,

469. *Cervice fusam*, etc. Construe, dissipans comam fusam lata cervice. Natura hoc affert, ait Gronovius, ut homines comati levi motu et jactatione crinem inæqualiter circumfusum, et aliqua in parte conglobatum discutiant et in suum locum redigant. Igitur hæc verba pronuntiantur cum gestu Astyanactis mota paulum cervice comam disjicientis; quod in puero est alacritatis signum.

470. *O nate sero Phrygibus*, etc. O tu qui natus es nimis sero quam ut, pro tua tenera ætate, possis subsidium esse et defensio patriæ, nimis autem cito, quia jamdudum mihi curæ et solliciti timoris causa es. Ibi quoque perperam gallicus interpres: « O mon fils! quand verrai-je le jour trop tardif au gré des Troyens, trop voisin peut-être pour le cœur de ta mère, etc. »

473. *Recidiva ponas*. Id est, restituas, iterum excites. Habet a Virgilio, qui, Æneid. IV, v. 344: « Et recidiva manu posuissem Pergama victis. » Est autem recidivum, idem quod renatum et a casu resurgens. Frustratur in hac voce lectores gallicus interpres, qui vertit: « Tu rebâtiras Pergame, qui doit être détruite encore. » Scilic. Servius testatur ad lib. X (vide Virgil. nost. Ed. vol. VII, p. 73), solummodo id *recidivum* dici, quod renascitur. Et hoc etiam explicandum est; nimirum, τὸ cadere, etsi persæpe mori ac perire significat, tamen est, ubi eam vim habet, quam nasci, provenire, oriri. Neque aliter, verbi gratia, recidivæ febres, quæ postquam cessarunt, resurgunt et rursus infestant.

475. *Sed mei fati memor*. Sed quum recordor et in memoriam revoco quum meum, tum publicum nostrum fatum, vereor ne improba et ideo irrita optem.

476. *Captis*, generaliter dictum.

477. *Fidus*. Junge cum *meo timori*. Fideliter servaturus illud propter quod timeo.

479. *Opibus*, potentia sua. — *Deûm*, Neptuni et Apollinis, qui conducti a Laomedonte, seu Ilo po-

Gentes per omnes clara, et invidiæ capax,
Nunc pulvis altus : strata sunt flamma omnia,
Superestque vasta ex urbe ne tantum quidem,
Quo lateat infans : quem locum fraudi legam?
Est tumulus ingens conjugis cari sacer,
Verendus hosti; mole quem immensa parens
Opibusque magnis struxit, in luctus suos
Rex non avarus : optime credam patri.
Sudor per artus frigidus totos cadit.
Omen tremisco misera feralis loci.
SEN. Hæc causa multos una ab interitu arcuit,
Credi periisse. ANDR. Vix spei quidquam est super.
Grave pondus illum, magna nobilitas, premit.
SEN. Ne prodat aliquis, amove testes doli.
ANDR. Si quæret hostis? SEN. Urbe in eversa periit.

tius, mœnibus cinxere Ilium. Sed et Æaco laboris pars demandata, ne πύργοι θεότευκτοι forent inexpugnabiles. FARNAB.

480. *Invidiæ capax.* Invidiæ objecta, cui potest invideri, invidenda. — Apud Ovidium, Epist. VII, 120, Dido : « Urbem constitui, lateque patentia fixi Mœnia, finitimis *invidiosa* locis. » BAD.

482. *Ne tantum quidem.* Ne loci quidem tantillum.

483. *Fraudi.* Dolo, sed non malo; scil. latebris ad filium occulendum. Infra vs. 499. FARN.

484. *Conjugis cari sacer.* Consecratus Hectori. *Sacer* eum genitivo struxit, exemplo Ciceronis in Verr. I, 18 : « Insula horum deorum sacra putatur. » BADEN.

485. *Verendus hosti.* Cui et hostis parcit, quem veneratur.

486. *Op. magnis*, magno sumtu.

487. *Patri.* Dictum pro, sedi quæ patri est consecrata.

489. *Omen tremisco*, etc. Vereor ne infausto sepulcri omine mortem illi prædixerim. Sic Nero in ultimo metu, hortante Phaonte, ut in specum congesta arena concederet, negavit se vivum sub terram iturum. Sueton. cap. 48.

490. *Hæc causa*, scilicet creditæ mortis, credi perisse, vs. seq. — *Multos*, etc. Sic ad hæc Baden. Ex multis unum nominasse sufficiat Orestem, qui apud Sophoclem, Electr. vs. 62 sqq. ait: Δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν. Ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς Λόγῳ μάτην θνήσκοντας· εἶθ', ὅταν δόμους Ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον.

492. *Grave pondus*, quid sit statim explicat, nempe *magna nobilitas*.

494. *Periit.* Dic Astyanacta in Trojæ eversione periisse.

ANDR. Quid proderit latuisse redituro in manus?
SEN. Victor feroces impetus primos habet.
ANDR. Quid? quod latere sine metu magno nequit?
SEN. Miser occupet præsidia, securus legat.
ANDR. Quis te locus, quæ regio seducta, invia,
Tuto reponet? quis feret trepidis opem?
Quis proteget? Qui semper, etiam nunc tuos,
Hector, tuere; conjugis furtum piæ
Serva, et fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate: quid retro fugis,
Turpesque latebras spernis? agnosco indolem.
Pudet timere: spiritus magnos fuga,
Animosque veteres: sume quos casus dedit.

495. *Redituro in manus.* Siquidem postmodum in manus hostium sit venturus. Namque noluisset unquam Andromache suum a se amovere Astyanacta; et ergo illam sequuturus ad Græcos, captivitatis maternæ comes, debebat hostibus serius ociusve tradi.

496. *Impetus primos.* Et innuit senex, ita esse de iis solummodo primis impetibus. Sic de Ira, II, 28: « Graves habet impetus primos. »

497. *Quid? quod*, etc. Addamne eum non posse latere, etc. Auxesis oratoria et vivida. — *Sine metu magno.* Ita ut, illo etiam tuto, etiam tum mihi timendum sit, vel propter fœditatem et horrorem ipsius loci. Errat h. l. gallicus interpres: « Et comment? où pourrai-je le cacher, sans que ma frayeur trahisse mon secret? »

498. *Occupet præsidia.* Obvia quæque et quæ occurrerint præsidia capessat, arripiat. FARNAB. — *Legat.* Qui non urgetur instanti periculo, salutis viam cautius eligat.

500. *Trepidis.* Mihi tibique.

501. *Qui semper*, etc. Qui semper suos protexit, idem etiamnunc proteget Hector, et hunc pathetice alloquitur.

502. *Tuere*, idem quod *tueris.*

503. *Fideli cinere.* Inter cineres, quorum fidei tuum meumque filium committo. — *Victurum excipe.* Excipias, ut mortem vitet, ut vivat.

504. *Quid retro f.* Hæc gestu adjuvanda sunt. — *Fugis.* Non propter metum aut horrorem, ut primo credit mater, sed propter indignationem, quia latebras spernit. Vs. sq.

505. *Turpes*, quæ natum Hectore non decere tu existimas. — *Indolem*, Hectoris ad filium transmissam; nobilem scilicet latebrarum et fugæ contemtum.

506. *Pudet*, scilic. te. — *Fuga*, abdica, depone, ejice animo.

507. *Veteres.* Prioris fortunæ. — *Quos casus dedit.* Sensus quos imposuit tibi præsens casus.

En intuere, turba quæ simus super,
Tumulus, puer, captiva : cedendum est malis.
Sanctas parentis conditi sedes, age,
Aude subire : fata si miseros juvant,
Habes salutem : fata si vitam negant,
Habes sepulcrum. SEN. Claustra commissum tegunt.
Quem ne tuus producat in medium timor,
Procul hinc recede, teque diversam amove.
ANDR. Levius solet timere, qui propius timet.
Sed, si placet, referamus hinc alio pedem.
SEN. Cohibe parumper ora, questusque opprime.
Gressus nefandos dux Cephallenum admovet.
ANDR. Dehisce tellus, tuque, conjux, ultimo
Specu revulsam scinde tellurem, et Stygis
Sinu profundo conde depositum meum.
Adest Ulysses; et quidem dubio gradu
Vultuque : nectit pectore astus callidos.
UL. Duræ minister sortis, hoc primum peto,

508. *Turba*, etc. Vide quali infortunio oppressi, nos, misera turba supersimus : Hector bellator invictus, nunc cadaver in tumulo; ego nurus regia, nunc captiva; tu, spes lætissima potentis imperii, nunc misellus atque imbellis puer. Respexisse videtur Ovidii locum, Heroid. I, 97 sq. ubi Penelope : « Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor, Laertesque senex, Telemachusque puer. »

511. *Fata si miseros juvant.* Si contigerit ut fata nostram adjuvent miseriam. Quum hæc dicit, Astyanacta introducit in tumulum Hectoris.

513. *Commissum*, depositum.

514. *Quem*, filium. — *Producat in medium.* Detegat.

515. *Diversam.* Aliam in partem vertendo gressus, hinc amove te.

516. *Levius.* Cum sollicitudine leviore. — *Propius*, prope ab eo propter quem, vel cui timet.

517. *Si placet*, si ita tibi videtur.

519. *Nefandos*, quia perniciosum quiddam, procul dubio, minitatur. —*Dux Cephallenum.* Ulysses, Iliad. II, 631, qui Cephallenes, insulæ Ionii maris, ad Trojam duxit. FARN.

520. *Dehisce tellus*, pande sinus tuos, ut puero latebras præbeas.

521. *Ultimo specu revulsam*, disruptam intimos usque in recessus.

523. *Dubio*, cunctabundo, nihil apertum prætendenti.

525. *Duræ minister*, etc. Talthybius, Euripid. in Troad. vs. 705 :

Ut, ore quamvis verba dicantur meo,
Non esse credas nostra : Graiorum omnium
Procerumque vox est, petere quos seras domos
Hectorea soboles prohibet : hanc fata expetunt.
Sollicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit, semper a tergo timor
Respicere coget, arma nec poni sinet,
Dum Phrygibus animos natus eversis dabit,
Andromacha. ANDR. Vester augur hoc Calchas canit?
UL. Et si taceret augur hæc Calchas, tamen
Dicebat Hector, cujus et stirpem horreo.
Generosa in ortus semina exsurgunt suos.
Sic ille magni parvus armenti comes,

Μή με στυγήσῃς· οὐχ ἑκὼν γὰρ ἀγγελῶ Δαναῶν τε κοινὰ, Πελοπιδῶν τ' ἀγγέλματα. Solemne vero est mali nuntii ministris mandatum præfatione molliendo, culpam a se avertere, in alios rejectam. FARN.

527. *Nostra*, mihi accepta.

528. *Seras*. Sero revisendas.

530. *Sollicita pacis incertæ fides*. Anxia semper et parum fida spes conservandi pacem dubiam.

531. *A tergo*. Ne sequatur ultor.

533. *Animos dabit*. Fiduciam audaciamque poterit inspirare.—*Natus*, tuus. Eadem fere verba facit Orestes, quum de eodem Astyanacte tradendo Pyrrhum alloquitur, *Racine*, *Andromaque*, act. I, scen. II : « Et qui sait ce qu'un jour ce fils peut entreprendre? Peut-être dans nos ports nous le verrons descendre, Tel qu'on a vu son père embrâser nos vaisseaux, Et la flamme à la main les suivre sur les eaux. »

536. *Dicebat*. Ita futurum esse prænuntiabat, dum viveret, Hector, et certe rebus præclare gestis, non habiturum se ostendebat filium sui degenerem.—*Et*, etiam.

537. *In ortus suos*. In hunc modum, qui proprius omnino est origini quam habent : generosum, si generosa fuerit origo. Revocant illa notissimos versus Horatii, Od. IV, IV, 29 : « Fortes creantur fortibus et bonis : Est in juvencis, est in equis patrum Virtus; neque imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam. »

538-545. *Sic ille magni parvus*, etc. *Quæ tenera*, etc. *Sic male relictus*. Hæc sunt, ut sæpius fit apud Nostrum loca, ubi in insulsitatem abeunt et vaniloquentiam sententiæ, primum nobiles et aptæ, mox accersitæ omnino et declamatoriæ, desinente in rhetorem tragico; nec commisit, ut tam inepta admitteret Racin. noster, qui potius Senecam quam Euripidem hic imitatus est.

538. *Armenti*, grandioris tauri. — *Comes*, et natus.

Primisque nondum cornibus findens cutem,
Cervice subito celsus, et fronte arduus,
Gregem paternum ducit, ac pecori imperat.
Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri tempore exiguo subit,
Umbrasque terris reddit, et cælo nemus.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit. Est quidem injustus dolor
Rerum æstimator; si tamen tecum exigas,
Veniam dabis, quod bella post hiemes decem,
Totidemque messes jam senex miles timet,
Aliasque clades rursus, ac nunquam bene
Trojam jacentem. Magna res Danaos movet,
Futurus Hector: libera Graios metu.
Hæc una naves causa deductas tenet;
Hic classis hæret. Neve crudelem putes,
Quod sorte jussus Hectoris natum petam:
Petissem Orestem: patere, quod victor tulit.

539. *Findens cutem.* Cornibus rumpens teneram frontem.

540. *Subito.* Fere ex improviso.

541. *Gregem paternum*, cui Taurus pater olim dux erat.

542. *Stetit*, sola arbori superstes.

543. *Matri.* Arbori, e qua hic surculus, seu planta fuit avulsa, aut excisa.

545. *Male*, incaute, inconsiderate.

547. *Exigas.* Omnia repones.

548. *Veniam dabis*, poscentibus sibi tradi Astyanacta. — *Quod*, propterea quod. — *Bella*, nova, alia, de integro sustinenda.

550. *Nunquam*, non. Ut millies, eo senso, occurrit apud poetas. — *Bene jacentem.* Funditus et radicitos eversam. Et supplendum: superstite Astyanacte in novi belli semina. Exemplo pari Mucianus Vitellii filium interfici jussit, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset, ut auctor est Tacitus, Hist. IV, 80.

552. *Futurus Hector.* Filius tuus, futurus alius Hector.

553. *Deductas*, e litore; et ad navigandum paratas.

554. *Hic.* Super hac re, in hanc rem, ad illud impedimenti.

555. *Sorte jussus.* Per sortem delegatus huic ministerio — *Hectoris*, hostis Græcorum, et patriæ meæ.

556. *Petissem Orestem.* Imperatoris scil. nostri Agamemnonis filium; porro addendum: « Si petisset communis Græcorum salus. »

ANDR. Utinam quidem esses, nate, materna in manu,
Nossemque quis te casus ereptum mihi
Teneret, aut quæ regio! non hostilibus
Confossa telis pectus, aut vinclis manus
Secantibus præstricta, non acri latus
Utrumque flamma cincta, maternam fidem
Unquam exuissem. Nate, quis te nunc locus,
Fortuna quæ possedit? errore avio
Vagus arva lustras? vastus an patriæ vapor
Corripuit artus? sævus an victor tuo
Lusit cruore? numquid immanis feræ
Morsu peremtus pascis Idæas aves?
UL. Simulata remove verba : non facile est tibi
Decipere Ulyssem : vicimus matrum dolos,
Etiam Dearum : cassa consilia amove.
Ubi natus est? ANDR. Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?
Ubi Priamus? unum quæris : ego quæro omnia.
UL. Coacta dices, sponte quod fari abnuis.

— *Quod victor tulit.* Quod Agamemnon in filia sua Iphigenia, sup. vs. 165. FARN.

557 sq. *Utinam quidem*, etc. Facta, per amorem maternum, fallax et dolis apta Andromacha, non respondet Ulyssi, et fingit se totam esse in deflenda sorte sui filii, quem velit reperire, et amissum deflet.

560. *Confossa.* Etiam si fuissem confossa.

561. *Maternam fidem.* Illam quam mater liberis debet fidem, non prodendi versantes in periculo.

564. *Errore avio.* Errans, et deflexus a recto itinere.

565. *Vapor.* Ignis; fumus ardens, erumpens ex incendio.

567. *Tuo lusit cruore.* Per ludibrium te, tantulum interfecit. FARN.

568. *Idæas*, vel montis Idæ; vel generaliter, Trojanas.

570. *Ulyssem*, astutia et calliditate omnibus excellentem. — *Matrum*, Clytemnestræ, quum peterem Iphigeniam. — *Dearum.* Thetidos, quum Achillem explorarem.

571. *Cassa*, irrita, vana, ad nullum felicem exitum perventura. — *Consilia*, me decipiendi.

572. *Ubi Hector? ubi*, etc. Tu, qui me interrogas, responde, ubi sit Hector, ubi Phryges, etc. Quasi nempe difficile sit puerum perire, quum Hector, Phryges omnes, Priamus perierint.

573. *Omnia*, supp. quæ meum habebant amorem.

ANDR. Tuta est, perire quæ potest, debet, cupit.
UL. Magnifica verba mors prope admota excutit.
ANDR. Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu,
Vitam minare: nam mori votum est mihi.
UL. Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui
Quodcumque celas, adiget invitam dolor,
Et pectore imo condita arcana eruet.
Necessitas plus posse, quam pietas, solet.
ANDR. Propone flammas, vulnera, et diras mali
Doloris artes, et famem, et sævam sitim,
Variasque pestes undique, et ferrum inditum
Visceribus ustis, carceris cæci luem,
Et quidquid audet victor iratus, tumens:
Animosa nullos mater admittit metus.
UL. Stulta est fides, celare quod prodas statim.
Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor,
Consulere parvis liberis Danaos monet.

575. *Tuta est*, secura, nihil supplicii timet.

576. *Magnifica.* Magnos actus prænuntiantia.

581. *Et pectore imo condita arcana eruet.* Supp. *dolor.* Et eruet arcana quæ statueras recondere, etc.

582. *Plus posse.* Majus imperium exercere. Et sensus est hoc loco: plus potentiæ habebit necessitas supplicii, ut te adigat ad loquendum, quam pietas materna, ut te ad silendum confirmet.

583. *Et diras mali doloris artes.* Quidquid ars invenit ad malum dolorem corporibus inferendum.

586. *Luem*, situm et tenebras.

587. *Animosa mater.* Generaliter dictum; mater, cui semper animos et constantiam addit ille titulus.

589. *Stulta est fides*, etc. Quasi dicat: Mox, adhibitis tormentis, excident tibi illi spiritus, et fateberis; stulte igitur nunc celas, quem statim proditura es.—*Fides*, silentium, quod existimas tibi tua fide, amore materno, imperari.

591. *Consulere parvis liberis*, etc. Sensus est: Eam præ te fers contumaciam, ut nulla sit aptior quam tu ad incendendum et ultionis cupidine replendum Astyanactis animum, si tibi is relinquatur; et ideo nihil est quo potentius ad eum intercipiendum excitari debeamus, quia optamus omnem a liberis nostris belli causam et originem amovere. Vel simpliciter hæc audiri possunt, ut facit Farnabius: « Amoris iste affectus, quo tam pertinaciter filio tuo prospicis, et nos monet nostris æque consulere. »

Post arma tam longinqua, post annos decem,
Minus timerem quos facit Calchas metus,
Si mihi timerem : bella Telemacho paras.
ANDR. Invita Ulyssi gaudium ac Danais dabo.
Dandum est : fatere, quos premis luctus, dolor.
Gaudete, Atridæ; tuque lætifica, ut soles,
Refer Pelasgis: Hectoris proles obiit!
UL. Et esse verum hoc qua probas Danais fide?
ANDR. Ita quod minari maximum victor potest,
Contingat, et me fata maturo exitu
Facilique solvant, ac meo condant solo,
Et patria tellus Hectorem leviter premat;
Ut luce cassus inter exstinctos jacet,
Datusque tumulo debita exanimis tulit.
UL. Expleta fata, stirpe sublata Hectoris,

Sed nonne hæc simplicius dicta, quam sunt apud Senecam tragicum ?

592. *Longinqua.* Procul a patria.

594. *Bella Telemacho paras.* Filio meo; si supersit Astyanax in ultionem.

595. *Dandum est.* Gaudium illud.

596. *Dolor.* Suum ipsa alloquitur dolorem.

597. *Ut soles.* Qui, exempli causa, Græcis annuntiasti olim a te detectum Achillem, a te devictam Agamemnonis pietatem, in Iphigenia cædenda hæsitantem, et multa alia.

599. *Qua fide.* Quo argumento, cui debeant fidem adhibere ?

600 sq. *Ita quod*, etc. Formula asseverandi rem, usitatissima apud Latinos, qua scilicet profitentur non magis vividam esse suam voti cujuslibet explendi cupiditatem, quam vera sunt illa quæ pronuntiant verba. Ergo : « Opto tam ardenter funus meum et requietem mei Hectoris in tumulo, quam profiteor vera, quum denuntio Astyanacta inter exstinctos jacere, etc. » — *Ita*, junge cum *ut*, vs. 604.

601. *Contingat.* In me adimpleatur. — *Maturo.* Qui mihi nimis semper serus, pro meis infortuniis, videbitur.

602. *Facili*, quod accipiam libentissime. — *Meo solo*, tellure in patria, non abductam ad Græcos.

603. *Hectorem leviter premat.* Vid. ultimum versum Hippolyti.

604. *Ut jacet.* Ut verum est illum jacere. — *Luce cassus, inter exstinctos.* Et ipsum sophistam Ulyssem pæne capit, ambigui sacramenti fallacia, dum jurat mater filium, in tumulo abditum, luce carere, et inter exstinctos jacere.

605. *Debita tulit.* Exsequias accepit, justa mortuis debita. — *Expleta*, esse.

Solidamque pacem lætus ad Danaos feram.
Quid agis, Ulysse? Danaidæ credent tibi?
Tu cui? parenti : fingit an quisquam hoc parens,
Nec abominandæ mortis auspicium pavet?
Auspicia metuunt, qui nihil majus timent.
Fidem alligavit jurejurando suam.
Si pejerat, timere quod gravius potest?
Nunc advoca astus, anime; nunc fraudes, dolos,
Et totum Ulyssem : veritas nunquam perit.
Scrutare matrem : mœret, illacrimat, gemit,
Et huc et illuc anxios gressus refert,
Missasque voces aure sollicita excipit.
Magis hæc timet, quam mœret : ingenio est opus.
Alios parentes alloqui in luctu decet :
Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
Quem mors manebat sæva, præcipitem datum
E turre, lapsis sola quæ muris manet.
ANDR. Me liquit animus, membra quatiuntur, labant,

607. *Feram.* Nuntiabo. Sequentia, e versu 6u8 ad 620, seorsum et secum dicit Ulysses.

6u9. *Tu cui?* Supp. *credis.* — *Fingit an quisquam hoc parens.* An quisqnam parens, sive pater, sive mater, tam irreligiosus et umuium coutemtur, ut, celandi filii causa, simulet eum murtuum? nec metuat hauc simulatiouem posse esse omen futuri exitii, posse in rem verti? Passim vestigia superstitionis ejus veterum. Gron.

610. *Nec abominandæ*, etc. Hunc versum præcedens versus explicat. Absit ergu ut intelligas cum Faruabio, *auspicium*, umen murtis immaturæ duræque et malorum quibus se jurejurando devovet.

612. *Alligavit.* Andromache. Hic versus est quasi ubjectio quam sibi propuuit, et quam versu sequente destruit.

615. *Totam Ulyssem*, h. e. umnes Ulyssis artes, techuas, astus. — *Veritas nunquam perit.* Nunquam exstinguitur sive puteutis, sive dissimulatiune : semper emergit, exseritque sese, utcumque pressa, aliquibus indiciis.

616. *Scrutare matrem.* Hæc secum, mulieris gestum advertens.

620. *Alios parentes*, etc. His Andrumacham subdule affatur.

723. *E turre, lapsis*, etc. E sola turre, quæ superest e mœuibus Trojæ.

624. *Me liquit animus*, etc. Sci-

Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
UL. Intremuit : hac, hac parte quærenda est mihi.
Matrem timor detexit : iterabo metum.
Ite, ite, celeres, fraude materna abditum
Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,
Ubicumque latitat, erutam in medium date.
Bene est : tenetur : perge, festina, attrahe.
Quid respicis, trepidasque? jam certe perit.
ANDR. Utinam timerem! solitus ex longo est metus.
Dediscit animus sero quod didicit diu.
UL. Lustrale quoniam debitum muris puer
Sacrum antecessit, nec potest vatem sequi
Meliore fato raptus, hoc Calchas ait
Modo piari posse redituras rates,
Si placet undas Hectoris sparsi cinis,

licet audientem quid necis genus meo Astyanacti victores pararent.

626. *Intremuit*, ad hanc timoris causam, quam ipse ego injeci. — *Hac, hac parte.* Hæc gestu adjuvantur, quum videat Ulysses ubi mater sæpissime oculos conferat.

628. *Ite, ite.* Hæc alta voce ad suos Cephallenios.

630. *In medium date.* Proferte in lucem.

631. *Bene est.* Fingit puerum inventum ab aliquo e suis abduci a tergo Andromachæ, quod illa timens respicit trepide, unde illam filium occuluisse conjicit. FARN.— *Attrahe.* Eum alloquitur, a quo fingit detectam fuisse Astyanactis sedem : « ad te trahe. »

632. *Quid respicis?* Mater enim, ne suspicionem injiciat, aut forte, ut objectu corporis sui quasi protegat ostium sepulcri, terga habet ad monumentum, vultum autem et pectora prætendit venientibus.

633. *Utinam timerem!* Jam recepit animos, paulisper conturbata genitrix, et excusat metum a metu diuturno profectum, non a justa causa; inquiens, utinam mihi viveret filius, essetque veri timoris causa!

635. *Lustrale quoniam*, etc. Quoniam puer morte sua prævenit sacrificium expiatorium quod debebatur muris, quum de turre fuerit dejiciendus.

636. *Vatem sequi.* Vatis oraculum et jussus adimplere.

637. *Meliore*, mitiore, quam si de turre præcipitaretur.

638. *Modo*, solummodo.

639. *Placet undas.* Æquoris planitiem substernat.—*Hectoris sparsi cinis.* Per hypallagen, pro *Hectoris sparsus cinis.*

Ac tumulus imo totus æquetur solo.
Nunc ille quoniam debitam effugit necem,
Erit admovenda sedibus sacris manus.
ANDR. Quid agimus? animum distrahit geminus timor:
Hinc natus, illinc conjugis cari cinis.
Pars utra vincet? testor immites Deos,
Deosque veros, conjugis manes mei,
Non aliud, Hector, in meo nato mihi
Placere, quam te: vivat, ut possit tuos
Referre vultus. Prorutus tumulo cinis
Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam
Disjecta vastis? potius hic mortem oppetat.
Poteris nefandæ deditum mater neci
Videre? poteris celsa per fastigia
Missum rotari? potero: perpetiar, feram,
Dum non meus post fata victoris manu
Jactetur Hector. Hic suam pœnam potest
Sentire; at illum fata jam in tuto locant.
Quid fluctuaris? statue, quem pœnæ extrahas.
Ingrata, dubitas? Hector est illic tuus.

641. *Ille*, Astyanax, quem jam suspicatur in tumulo patris abditum.

642. *Sedibus sacris.* Sepulcro Hectoris. *Sacrum* id Ulysses appellat, quod « verendum hosti » supra dixerat Andromache, vs. 485.

643. *Quid agimus?* Hæc secum. — *Distrahit.* Varias in sententias diversum et ambiguum trahit.

646. *Deosque veros, conjugis manes mei.* Et manes mei conjugis, quos solum pro Deis habeo, quum cæteri sint immitiores. Præsertim, singulari honore veteribus colebantur Dei domestici et suorum lares.

648. *Quam te*, quam quod te referat. Conf. sup. v. 465 sqq.

649. *Prorutus tumulo cinis*, etc. Vix hanc pronuntiavit sententiam quum jam piguit enuntiavisse. Fluctuat metu uxor et parens.

651. *Hic*, Astyanax, ut inf. v. 656.

652. *Poteris... videre?* Redit ad amorem Astyanactis.

654. *Missum rotari.* Suppl. videre. « Videre poteris illum missum et rotatum. »

657. *In tuto locant.* Tutum contra omnes dolores, ut est expers sensus.

658. *Extrahas.* Eripias.

659. *Ingrata, dubitas.* O conjux ingrata, dubitas postponere filium Hectori tuo, qui hic sepultus jacet?

Erras : utrinque est Hector : hic sensus potens,
Forsan futurus ultor exstincti patris.
Utrique parci non potest : quidnam facis?
Serva e duobus, anime, quem Danai timent.
UL. Responsa peragam : funditus busta eruam.
ANDR. Quæ vendidistis? UL. Pergam, et e summo aggere
Traham sepulcra. ANDR. Cælitum appello fidem,
Fidemque Achillis : Pyrrhe, genitoris tui
Munus tuere. UL. Tumulus hic campo statim
Toto jacebit. ANDR. Fuerat hoc prorsus nefas
Danais inausum : templa violastis, Deos
Etiam faventes : busta transierat furor.
Resistam : inermes offeram armatis manus.
Dabit ira vires : qualis Argolicas ferox
Turmas Amazon stravit; aut qualis Deo

660. *Utrinque est Hector.* Nun magis hic tumulus mihi meum servat Heeturem, quam ipse Heeturis filius. Et in tumulu, et in filio, ntrinque inveuiu eoujugem. Ergu præstet filii salus. — *Hic*, Astyanax. — *Sensus potens.* Vivus; compos animi et mentis.

662. *Utrique.* Hecturi, quem suus repræsentat tumulus, et filio. — *Facis.* Vivide, pro *facies.*

663. *Anime.* Seipsam alloquitur.

664. *Responsa peragam.* Exsequar quæ oraculum, per responsiunem suam, jussit fieri (vid. sup. 640). — *Busta.* Tumulum in quo cadaver ustum et cinefactum. Proprie enim cadaveris crematiu. Bustum dicitur ab autiquu *buro*, a πυρόω; lueus, *ustrina;* operis instruetiu, *sepulcrum;* inscriptiu, *monumentum;* strues lignorum, *rogus.* Ignis inflammatus, *pyra;* apparatus mortuurum, *funus.* FARN.

665. *Quæ vendidistis?* Interrogatiu est indignautis. Hectoris corpus, jusque illius sepeliendi Priamus ex Aehille magno pretiu redemerat. — *Summo aggere eruam.* De vasta mule dejiciam.

667. *Fidem Achillis.* Qui, dum viveret, pollicitus fuerat ab umni injuria tutas fure Hecturis reliquias.

668. *Campo jacebit.* Solu prorsus æquabitur.

669 sq. *Fuerat hoc prorsus nefas*, ete. Haeteuus a sepulcris viulandis abstinuistis, eætera utut furiusi.

671. *Etiam faventes.* Miuervam, exempli causa, cujus in templo et ad aram vim Cassandræ Ajax intulerat. Vid. Virgil. Æn. II, 4u3. — *Transierat.* Omiserat.

673. *Qualis Argolicas ferox*, etc. Similis feroci huic, reginæ Amazonum, Peuthesileæ, ete.

674. *Deo percussa.* Furore Baechieu percita.

Percussa Mænas, entheo silvas gradu
Armata thyrso terret, atque expers sui
Vulnus dedit, nec sensit; in medios ruam,
Tumuloque cineris socia defenso cadam.
UL. Cessatis? et vos flebilis clamor movet,
Furorque cassus feminæ? jussa ocius
Peragite. ANDR. Me, me sternite hic ferro prius.
Repellor? heu me! rumpe fatorum moras.
Molire terras, Hector, ut Ulyssem domes.
Vel umbra satis est : arma concussit manu.
Jaculatur ignes : cernitis, Danai, Hectorem?

675. *Mænas.* Agave. OEdip. vs. 616; Phœniss. vs. 17. — *Entheo*, afflatu numinis acto.

676. *Expers sui.* Mente abalienata, animi impos.

677. *Nec sensit*, ea fecisse, quæ ipsa intulit vulnera. OEdip. vs. 441 sq. « ... post laceros Pentheos artus Thyades œstro Membra remissæ, velut ignotum Videre nefas. »

678. *Tumuloque defenso cadam.* Et peribo, dum defendam tumulum. — *Socia cineris.* Meos, jam mortua, Hectoris cineribus conjungens cineres.

679. *Cessatis.* Hæc Ulysses ad suos, quos increpat.

680. *Cassus.* Ad nihilum recisurus. — *Jussa*, mea. Supra vs. 664.

681. *Hic*, super ipsum hunc tumulum.

682. *Repellor? heu me!* etc. Res tota in actione consistit. Objicit enim sepulcro se Andromache, et ruit in satellitum Ulysseorum gladios. Cui intercedit heros, ipsam repellit, et locum facit irruentibus in tumulum latronibus. « Me, me sternite hic ferro prius. » Agnoscis feminam suo commasculatam affectu audentemque plus quam muliebri audacia ingerere se strictis ensibus. At postquam Ulyssis manum sensit et vim viri se pellentis, sidunt isti animi, et sexum reminiscitur. Hinc voces flebiles : « Repellor? heu me! » ut in Thyeste : « Negatur ensis? » Rursus autem reviviscit opinio de marito, et, velut in rabiem efferata, mortuum invocat. Quam graphice figurat auctor, quum inducit dicentem : « Cernitis, Danai, Hectorem? An sola video? » GRONOV. — *Rumpe fatorum moras.* Exsurge a vinculis, quæ te coercent, funeris. Alloquitur Hectorem.

683. *Molire.* Disjice et aperi.

684. *Vel umbra satis est.* Duplici acumine, et quantus sit Hector, et quantulum judicet Ulyssem, exprimit. — *Arma concussit manu.* Vel in eorum terrorem fingit, vel per phantasiam videtur cernere Hectorem. FARN.

685. *Jaculatur ignes.* Ut quondam, naves Græcorum dum flammis peteret.

An sola video? UL. Funditus cuncta erue.
ANDR. Quid agis? ruina mater et natum et virum
Prosternis una: forsitan Danaos prece
Placare poteris; conditum elidet statim
Immane busti pondus: intereat miser
Ubicumque potius, ne pater natum obruat,
Prematque patrem natus. Ad genua accido
Supplex, Ulysse, quamque nullius pedes
Novere dextram, pedibus admoveo tuis.
Miserere matris, et preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme:
Misero datur quodcumque, fortunæ datur.
Sic te revisat conjugis sanctæ torus,
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laerta! sic te juvenis excipiat tuus,
Et vota vincens vestra felici indole,

686. *Erue.* Unum e suis rursus alloquitur Ulysses.

688. *Prosternis*, dum sic prosterni sinis.

689. *Conditum.* Filium absconditum. — *Elidet statim.* Opprimet et obteret brevi suo pondere.

691. *Ubicumque potius.* Vel de turre præcipitatus, aut ubicumque, modo ne in patris sepulcro pereat. —*Pater*, cujus sepulcrum ruderibus suis obruet filium. — *Natus*, qui cadavere suo cineribus patris incumbet.

692. *Ad genua.* Verecundiæ veteres frontem assignabant, impudentiæ os, sagacitati vel irrisioni nasum, judicio aurem, fastui supercilium, virtuti et fidei dextram, « misericordiæ genua, » quæ illius, cui se supplices ingererent, contingebant, ut et caput, seu mentum, et dextram. FARN.

696. *Quoque*, et quo. — *Lapsos.* Bene pergit in sequenda figura.

698. *Misero datur quodcumque, fortunæ datur.* Quidquid misero datur, id fortunæ datur; ut, si quando ipse miser fias, illa tibi beneficium acceptum referre jure teneatur. Sic Ovid. Trist. V, 6, 33: « Si mihi non parcis, fortunæ parcere debes. »

699. *Sic te*, etc. Formula optandi, quam jam explicuimus. — *Conjugis sanctæ.* Penelopes castæ et reditum tuum exspectantis.

700. *Dum te recipit.* Usque dum tu redieris.

701. *Laerta*, pater tuus. — *Juvenis tuus.* Telemachus filius.

702. *Vota vestra*, tui et Penelopes matris.

Ætate avum transcendat, ingenio patrem!
Miserere matris : unicum afflictæ mihi
Solamen hoc est. UL. Exhibe natum, et roga.
ANDR. Huc e latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miseræ.
Hic est, hic est, terror, Ulysse,
Mille carinis. Submitte manus,
Dominique pedes supplice dextra
Stratus adora : nec turpe puta,
Quidquid miseros Fortuna jubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magnique senis jura per omnes
Inclita terras : excidat Hector.
Gere captivum; positoque genu,
Si tua nondum funera sentis,
Matris fletus imitare tuæ.
Vidit pueri regis lacrimas
Et Troja prior, parvusque minas
Trucis Alcidæ flexit Priamus.
Ille, ille ferox, cujus vastis
Viribus omnes cessere feræ;
Qui perfracto limine Ditis

704. *Unicum afflictæ*, etc. Eadem dicit *Racine*, *Andromaque*, act. I, sc. IV : « Le seul bien qui me reste, et d'Hector et de Troie. »

705. *Exhibe*, trade. — *Et roga;* et eo tradito, preces tuas audiam.

708. *Hic est, hic est, terror*, etc. Androm. loc. cit. « ... Digne objet de leur crainte ! Un enfant malheureux, etc. »

710. *Stratus*, te prosternens humi.

713. *Pone ex animo*. Obliviscere.

714. *Magni senis jura*. Priami potentiam omnibus terris celebratam.

715. *Excidat*, ex memoria tua.

716. *Gere captivum*. Gestu te præbe captivum, gere te more captivi.

717. *Si tua nondum funera sentis*, etc. Si per te ipse non intelligis instare tibi mortem, imitare me, vel inscius ad quem finem facias.

719. *Pueri regis*. Priami, quem Hercules, lacrimis exarmatus, neci non dedit. Vid. supr. vs. 129.

720. *Prior*, hoc est, *prius;* veluti *serus*, pro *sero*. — *Alcidæ*. De hoc nomine, vid. Herc. Fur. vs. 356.

723. *Feræ*. Monstra domita.

Cæcum retro patefecit iter,
Hostis parvi victus lacrimis:
« Suscipe, dixit, rector, habenas,
Patrioque sede celsus solio,
Sed sceptra fide meliore tene. »
Hoc fuit illo victore capi.
Discite mites Herculis iras.
An sola placent Herculis arma?
Jacet ante pedes non minor illo
Supplice supplex, vitamque petit:
Regnum Trojæ, quocumque volet,
Fortuna ferat.

725. *Retro*, ut rediret ad lucem.

727. *Habenas.* Gubernacula, imperium.

729. *Fide meliore.* Quam pater Laomedon, qui perfide primum Deos urbis munitores promissa mercede, mox Herculem equis propter liberatam a monstro marino Hesionen pactis, fraudavit. Farn.

730. *Hoc fuit illo victore capi.* Hoc, nempe regnum accipere, et de fide, præcipuo regni fulcro, moneri, Priamo evenit ex eo quod captus fuit a tali victore. Hac loquendi forma sæpius Noster utitur; ex. gr. aduotat Gronovius, inf. vs. 949, ubi de Polyxena: « Mortem putabat illud, hoc thalamos putat. » *Illud*, nempe desponsari Achilli, aut Pyrrho, putabat mortem; *hoc*, ad Achillistumulum mactari, thalamos.

731. *Mites.* Id est, temperantes victoriæ. De singulari mansuetudine Herculis in hostes, vide quæ memorat Ælianus, Var. Hist. XII, 27. Baden.

732. *An sola placent Herculis arma?* An Herculis sagittæ in expugnanda Troja solæ placent vobis; solæ vobis imitandæ videntur iræ? Annon et mores, misericordia, clementia? Farn.

734. *Illo supplice*, Priamo. — *Supplex*, Astyanax.

735. *Regnum Trojæ*, etc. Sensus est, « quod est de regno, ad alium transeat; » non illud petimus, vita sola contenti, si concesseritis eam. *Andromaque*, I, iv: « Seigneur, tant de grandeurs ne nous touchent plus guère; Je les lui promettais tant qu'a vécu son père. Non, vous n'espérez plus de nous revoir encore, Sacrés murs, que n'a pu conserver mon Hector! A de moindres faveurs des malheureux prétendent, Seigneur; c'est un exil que mes pleurs vous demandent. »

ULYSSES, ANDROMACHA, ASTYANAX.

UL. Matris quidem me mœror attonitæ movet:
Magis Pelasgæ me tamen matres movent,
Quarum iste magnos crescit in luctus puer.
ANDR. An has ruinas urbis in cinerem datas
Hic excitabit? hæ manus Trojam erigent?
Nullas habet spes Troja, si tales habet.
Non sic jacemus Troes, ut cuiquam metus
Possimus esse: spiritus genitor facit?
Sed nempe tractus: ipse post Trojam pater
Posuisset animos, magna quos frangunt mala.
Si pœna petitur, quæ peti gravior potest?
Famulare collo nobili subeat jugum.
Servire liceat: aliquis hoc regi negat?
UL. Non hoc Ulysses, sed negat Calchas tibi.
ANDR. O machinator fraudis, o scelerum artifex,
Virtute cujus bellica nemo occidit,

Act. III, sc. II. Precibus minas et diras miscet Andromache, Ulyssem orans, nec exorans.

737. *Attonitæ.* Quam mœror perculit, quasi ictu fulminis.

741. *Hic*, infans, puellus.

742. *Tales*, tam macras, lentas, exiles. FARN.

743. *Non sic jacemus.* Non e strage tam parum desperata.

744. *Spiritus genitor facit?* Prævenit ea quæ possint objici: an timetis ne memoria patris illi superbiam et ulciscendi cupidinem injiciat? Rhein. Andr. act. I, sc. 2.

745. *Tractus.* Fœditas hæc supplicii satis potens esset ad deprimendam, si qua esset, filii ferociam. — Legunt alii *fractus*, sed alterum est invidiosius. BADEN.

746. *Animos, magna quos*, etc. Hic *animos*, sensu generaliter sumitur, fortitudinem quæ malis nimiis victa cedit.

747. *Si pœna petitur.* Si animus vobis est, ut a puerulo pœnam repetatis. — *Gravior*, quam quæ hodie illi incubat.

748. *Famulare jugum.* Servitutis onus. — *Servire*, servum esse. An hoc regi, regio puero, negabitur?

750. *Calchas*, interpres oraculi.

751. *O machinator fraudis*, etc. Deplorata salutis spe, se ad convicia et vindictam convertit.

752. *Nemo occidit.* Similiter vir-

Dolis et astu maleficæ mentis jacent
Etiam Pelasgi; vatem et insontes Deos
Prætendis? hoc est pectoris facinus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Jam solus audes aliquid, et claro die.
UL. Virtus Ulyssis Danaidis nota est satis,
Nimisque Phrygibus : non vacat vanis diem
Conterere verbis : ancoras classis legit.
ANDR. Brevem moram largire, dum officium parens
Nato supremum reddo, et amplexu ultimo
Avidos dolores satio. UL. Misereri tui
Utinam liceret! quod tamen solum licet,
Tempus moramque dabimus : arbitrio tuo
Implere lacrimis : fletus ærumnas levat.
ANDR. O dulce pignus! o decus lapsæ domus!

tulem Ulyssis extenuat Neptunus apud Lucianum, in Dialogo Marino, qui inscribitur, Cyclopis et Neptuni. BADEN.

753. *Maleficæ mentis*, tuæ.

754. *Pelasgi*. Agamemnon, sup. vs. 567; Palamedes, falsa proditionis accusatione oppressus, et Ajax, in contentione de armis Achillis victus. FARN.

755. *Prætendis*. Objicis, præfers in excusationem, et quidem falsam, crudelitatis tuæ.

755. *Nocturne miles*. Qui noctu solum expeditiones, seu furta potius exerces, ut in rapiendo Palladio, et Rhesi tentoriis deprehendendis. Supra vs. 38. FARN.

757. *Jam*. Nunc tandem, primum. — *Solus*, sine Diomede comite.

760. *Legit*. Retrahit in naves.

763. *Misereri tui*, etc. Et misericordiam profitetur Sophocleus ille Ulysses (Ajax, vs. 121): ... ἐποικτείρω δέ νιν Δύστηνον ἔμπης, καίπερ ὄντα δυσμενῆ. FARN.

766. *Fletus ærumnas levat*. Vetus est, « ærumnas fletu levari. » Ovidius, Trist. IV, 3, 38 : « Expletur lacrimis egeriturque dolor. » Seneca pater, Controv. V, 30 : « Nescio, quomodo miserum esse interdum in miseria juvat, et plerumque omnis dolor per lacrimas effluit. » Idem, Excerpt. Controv. IV, 1 : « Quousque, inquit, flebis? Est quædam in ipsis malis miserorum voluptas, et omnis adversa fortuna habet in querelis levamentum. » Euripides, Troad. vs. 604 : Ὡς ἡδὺ δάκρυα τοῖς κακῶς πεπονθόσιν, Θρήνων τ' ὀδυρμοί, Μοῦσά θ', ἣ λύπας ἔχει! Plutarchus, De ira cohibenda, cap. v : Αἵ τε τοῖς πενθοῦσιν ἐφέσεις τοῦ ἀποκλαῦσαι καὶ ἀποδύρασθαι, πολύ τι τῆς λύπης ἅμα τῷ δακρύῳ συνεξάγουσιν. BADEN.

Summumque Trojæ funus! o Danaûm timor!
Genitricis o spes vana! cui demens ego
Laudes parentis bellicas, annos avi
Medios precabar : vota destituit Deus.
Iliaca non tu sceptra regali potens
Gestabis aula; jura nec populis dabis,
Victasque gentes sub tuum mittes jugum:
Non Graia cædes terga : non Pyrrhum trahes;
Non arma tenera parva tractabis manu;
Sparsasque passim saltibus latis feras
Audax sequeris; nec stato lustri die
Solemne referens Troici lusus sacrum,
Puer citatas nobilis turmas ages :
Non inter aras, mobili velox pede,
Revocante flexo concitos cornu modos,
Barbarica prisco templa saltatu coles.
O morte dira tristius leti genus!
Flebilius aliquid Hectoris magni nece

768. *Summum Trojæ funus.* In quo exspirat supremum Troja.

770. *Annos ævi medios.* Priami ætatem mediam; id est, florentem opibus, regno, liberis; non optarem ejus senectutem, quæ miseriarum exemplum. FARN.

775. *Graia terga.* Græcos fugientes. — *Non Pyrrhum*, etc. In filio Achillis patrem tuum ultus. — *Trahes*, revinctum pedibus post tuos currus.

776. *Arma parva.* Exercitationes et prælludia bellica, venationes, Trojanum agmen, saltationes. FARN.

778. *Stato lustri die.* Nam fiebant singulis quadrienniis expletis.

779. *Solemne sacrum.* A nobilibus pueris equestribus et armatis peractum, quod describit Virgilius, Æneid V, vs. 547 sq.

781. *Inter aras, mobili velox pede.* Choreæ in Dindymenes sacris, saltando ad Phrygium modum, qui quatuor cæteris concitatior. Æolius enim simplex, et animi tempestates tranquillat; Doricus, honestus et gravis, pudicitiæ largitor; Ionius seu Iasius varius, intellectum obtusis acuit; Lydius querulus mentem curis defatigatam reparat et oblectat; Phrygius vero religiosus et ἔνθεος, pugnas excitat, et vatum furores inflammat. FARN.

782. *Flexo cornu.* Curva tibia.

783. *Barbarica*, Phrygia. — *Prisco*, avito, patrio.

785. *Flebilius aliquid*, etc. Auson.

Muri videbunt. UL. Rumpe jam fletus parens.
Magnus sibi ipse non facit finem dolor.
ANDR. Lacrimis, Ulysse (parva, quam petimus, mora est)
Concede, parvos ut mea condam manu
Viventis oculos. Occidis parvus quidem,
Sed jam timendus. Troja te exspectat tua:
I, vade liber; liberos Troas vide.
AST. Miserere, mater! ANDR. Quid meos retines sinus,
Manusque matris? cassa præsidia occupas.
Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum juvencus applicat matri latus;
At ille sævus, matre summota, leo,
Prædam minorem morsibus vastis premens,
Frangit, vehitque: talis e nostro sinu
Te rapiet hostis. Oscula et fletus, puer,
Lacerosque crines excipe, et plenus mei

Epit. Heroum, XV, 4: «... Iliaci, Neptunia mœnia, muri, Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.»

786. *Rumpe*, desine, mitte.

787. *Magnus sibi ipse non facit*, etc. Creontis vox est ad chorum in Sophoclis Antigona, vs. 899: Ἄρ' ἴστ' ἀοιδὰς καὶ γόους πρὸ τοῦ θανεῖν Ὡς οὐδ' ἂν εἷς παύσαιτ' ἄν, εἰ χρείη λέγειν; BADEN.

788. *Lacrimis*, meis.

789. *Parvos*. Vid. Animadv. — *Condam*, claudam, quod morientibus faciebant propinqui. Ovidius, Trist. III, III, 43: «Nec mandata dabo? nec, cum clamore supremo, Labentes oculos *condet* amica manus?» BADEN.

791. *Te exspectat*, simili fato interiturum.

792. *Liberos Troas vide*. Apud inferos, qui bello mortem oppetierunt, neque in servitutem redacti.

793. *Sinus*, aut gremium, ut inf. vs. 799, aut sinus etiam togæ.

798. *Prædam*, juvencum. — *Premens*. Lucret. III, 664: «Volneris ardenti ut morsu premat icta dolore.»

799. *Vehit*, secum abripit.

800. *Oscula*, etc. Vivo filio, sed morti destinato, justa solvit. Respicit autem ad ritum ossa componendi, qui talis: primo bustum vino exstinguebant, manes vocabant, lotis deinde manibus ossa legebant, lecta vino perfundebant et lacte, mox vento siccanda exponebant, siccata aromatibus et odoribus mixta in urnam reponebant, reliquiis lacrimas superfundebant. FARN.

801. *Lacerosque crines*. Conf. ad Hippolyt. vs. 801. — *Plenus mei*, scilic. coopertus meis osculis, meis fletibus, gerens meos crines.

Occurre patri : pauca maternæ tamen
Perfer querelæ verba : Si manes habent
Curas priores, nec perit flammis amor,
Servire Graio pateris Andromachen jugo,
Crudelis Hector? lentus et segnis jaces?
Rediit Achilles. Sume nunc iterum comas,
Et sume lacrimas, quidquid e misero viri
Funere relictum est; sume, quæ reddas tuo
Oscula parenti : matri hanc solatio
Relinque vestem; tumulus hanc tetigit meus,
Manesque cari : quidquid hic cineris latet,
Scrutabor ore. UL. Nullus est flendi modus.
Abripite propere classis Argolicæ moram.

803. *Perfer*, ad patrem.—*Manès*, mortuorum animæ.—*Habent*, retinent. — *Curas*, affectus.—*Priores*, quos in hac vita priori fovebant.—*Nec perit flammis.* In eodem rogo non aboletur quo corpus. Vid. Virg. Æn. VI, 655, et Tacit. Agric. c. 46.

807. *Rediit Achilles.* Sup. v. 430. — *Sume*, etc. Abrumpit verba quæ vult ferenda ad conjugem suum, ut iterum Astyanacta de suo materno amore alloquatur. — *Nunc iterum.* Modo vs. 801. — *Quidquid.* Sola quæ mihi supersint demonstrandi doloris indicia.

810. *Matris solatio.* Unde adsit tuæ matri aliquod solatium.

811. *Tumulus meus.* Scil. in quo reconditum est quidquid ego amavi. — *Hanc tetigit.* Vestis scilic. est, qua obvolutus, in sepulcro a matre absconditus fuerat.

812. *Manesque cari.* Nempe mei conjugis.

813. *Scrutabor ore.* Cineres suorum ne pars aliqua periret, labris et ore scrutati lambere solebant. Cf. Herc. OEt. vs. 134. FARN. — *Nullus est flendi modus.* Plutarch. An vitio sit, etc. (ed. Francof. 1620, p. 498) : Θυμῷ δὲ οὐκ ἂν ἐπιτάξειας ἡσυχίαν, οὐδὲ πένθει σιωπήν. Seneca pater, Excerpt. Controvers. IV, 1 : « Nemo sibi ipsi finem flendi fecit. Pudet illos desinere : cogi volunt. » BADEN.

814. *Classis Argolicæ moram.* Puerum, in quo mora; vs. 550.

CHORUS TROADUM.

Quæ vocat sedes habitanda captas?
Thessali montes, et opaca Tempe?
An viros tellus dare militares
Aptior Phthie? meliorque fetu
Fortis armenti lapidosa Trachin?
An maris vasti domitrix Iolcos?
Urbibus centum spatiosa Crete?
Parva Gortyne, sterilisque Tricce?
An frequens ruscis levibus Mothone?
Quæ sub OEtæis latebrosa silvis

Act. III, scen. III. Asportandæ Troades in varia Græciæ loca, prout sorte Achivis dispertitæ contigerant, in quamcumque tamen Græciæ partem abduci præoptant quam in Spartam, Mycenas et Ithacam, Helenæ, Agamemnonis et Ulyssis patriam. Velim, ait Delrius, hunc Chorum diligenter comparari cum exactissima Græciæ descriptione, quam composuit Nicolaus Sophianus.

815. *Quæ vocat sedes*, etc. Apud Euripidem, Troad. vs. 241, ipsamet Hecuba quærit, ad quem angulum Thessaliæ, vel Phtiotidis, vel Cadmæi demum soli, sit deportanda. Delr.

816. *Opaca*, umbrosa, frigida.

818. *Phthie*. Thessaliæ pars, Achillis et Myrmidonum patria.

819. *Trachin*. Thessaliæ urbs et pars, sic dicta, quia τραχεινὴ, i. e. aspera sit.

820. *Iolcos*. Jasonis patria, qui, ad vellus aureum petendum vectus Argo, mare navibus esse pervium et *domitum* docuit. Farn.

822. *Parva Gortyne*. Cretæ oppidum, cui nomen ex conditore Gortyno, Rhadamantis filio. *Parva* dicitur προληπτικῶς, ait Badenius; nam Iliacis temporibus magni fuit ambitus, observante Meursio in Creta, I, 10. — *Tricce*, Thessaliæ urbs, cujus oppidani ad Trojæ obsidionem venerunt.

823. *Ruscis*. Vid. Animadv. — *Mothone*. Urbs in Messeniorum agro, hodie *Modon*. Alii alia proferunt h. l. urbium nomina, de quibus cf. Animadv.

824. *Quæ sub OEteis*, etc. Nova est interrogatio de alia urbe, et nihil habet ad proxime superius membrum pertinens. Et intellige: « Eane urbs nos vocat, quæ, quum sita est sub silvis OEtæis, misit, etc. » OEta autem mons in finibus Thessaliæ, Herculis rogo celebris.

Misit infestos Trojæ ruinis
Non semel arcus?
Olenos tectis habitata raris?
Virgini Pleuron inimica Divæ?
An maris lati sinuosa Trœzen?
Pelion regnum Prothoi superbum,
Tertius cælo gradus? hic recumbens
Montis exesi spatiosus antro,
Jam trucis Chiron pueri magister,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo.
An ferax varii lapidis Carystos?

126. *Infestos non semel.* Supra, vs. 133. Semel tantum misit : sed iidem arcus bis Trojæ infesti fuerunt. Delr.

827. *Olenos.* Elidis urbs.

828. *Pleuron.* Ætoliæ urbs, Meleagri patria, a qua Strabo partem Ætoliæ Pleuroniam dictam testatur. — *Virgini inimica divæ.* Scilic. ejus civitatis rex, OEneus, Meleagri pater, quum cæteris numinibus frugum honores sacrificaret, omissa Diana, indignata Dea illum immisit aprum, qui Ætoliam vastavit.

829. *Maris lati Trœzen.* Trœzen, quam alluit latum mare. Peloponnesi civitas maritima, Thesei patria.

830. *Pelium, regnum Prothoi superbum.* Homerus, Iliad. II, 756 : Μαγνήτων δ' ἦρχε Πρόθοος, Τενθρηδόνος υἱὸς, Οἳ περὶ Πηνειὸν καὶ Πήλιον εἰνοσίφυλλον Ναίεσκον. Farn.

831. *Tertius cælo gradus.* Primus erat Pindus, seu Olympus; secundus Ossa, montes superingesti a Gigantibus; tertius, Pelion. Vide Herc. Fur. vs. 970. Farn. — *Hic*, hoc loco, in Pelio.

832. *Montis exesi.* Chironis antrum describens Papinius ait, Achill. I, vs. 106 : « Longævum Chirona petit; domus ardua montem Perforat, et longo suspendit Pelion arcu : Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas. » Delr.

833. *Jam trucis pueri.* Achillis, jam in pueritia bellicosi et ferocis. Natura enim et indole trux, iracundus. Dictys, lib. I, scribit primis adhuc adolescentiæ annis Achilli vim quamdam inconsultam et efferam morum impatientiam fuisse. Philostratus, Imag. lib. II et III, Achillem puerum pingit feroci facie, truci, magnanimoque vultu, unde Ovidius, Art. Am. I, 11, canit : « Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem, Atque animos placida contudit arte feros. »

835. *Iras.* Μῆνιν illam Homericam respicit.

837. *Varii.* Vid. Animadvers.—

An premens litus maris inquieti
Semper Euripo properante Chalcis?
Quolibet vento faciles Calydnæ?
An carens nunquam Gonoessa vento?
Quæque formidat Borean Enispe?
Attica pendens Peparethos ora?
An sacris gaudens tacitis Eleusin?
Numquid Ajacis Salamina veram?
Aut fera notam Calydona sæva?
Quasque perfundit subiturus æquor
Segnibus terras Titaressos undis?

Lapidis. Carystium marmor macularum varietate commendant Strabo et Plinius: et factas ex eo columnas, Tibullus et Martialis. — *Carystos*. Una e Cycladum insulis.

838. *Premens*, junge cum « Euripo properante. »

839. *Chalcis*. Eubœæ primaria urbs, ab Aulide adversa, Bœotiæ portu, Euripo divisa.

840. *Quolibet vento faciles*. Quas attingas facile, quicumque adspiret ventus, ita sunt omnibus ventis expositæ. — *Calydnæ*. Homerus, II, 677: Καὶ Κῶν, Εὐρυπύλοιο πόλιν, νήσους τε Καλύδνας. — Nonne tibi mirum videbitur muliercularum peregrinarum choro eam fuisse Græciæ notitiam, quæ vix geographo diligenti competat?

841. *Gonoessa*. In Ætolia. — *Carens nunquam vento*. Ex Homero, qui alto loco sitam scribit.

843. *Enispe*. In Arcadia. — *Quæ formidat Borean*. Homer. II, 606: Στρατίην τε καὶ ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην.

843. *Attica pendens ora*. Subjecta agro Attico, et quasi ex eo dependens. Quum autem Peparethos Thraciæ vicina fuisse videtur, volunt alii alia legi. Vide Animadv.

844. *Sacris*, Cereris. — *Tacitis*. Non revelandis. — *Eleusin*. Herc. Fur. vs. 302.

845. *Numquid Ajacis Salamina veram?* Intellige, « procella mittet, » ex vs. 852. Pari ellipsi dicit Propertius, II, xvi, 17: « Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras. Ambos una fides auferet, una dies. » Ubi *fidelem* intelligimus ex *fides*. Bad. — *Ajacis Salamina veram*. Insulam atticam, Telamoni regnatam, non illam a Teucro in Cypro conditam. Farn.

845. *Fera sæva*. Apro. — *Calydona*, urbem Ætoliæ.

846 sq. *Quasque perfundit*, etc. Ordo est: et terras quas Titaressos, subiturus æquor, perfundit undis segnibus. — *Titaressas*, seu Titarissus, aut Titaresius, amnis Thessaliæ, tam pingues aquas habet, ut Peneo, cui influit, non admisceatur, sed, olei instar, supernatet, auctore Homero, Iliad. II, 751, et Lucano, lib. VI, 376. Ideo undæ ejus vocantur *segnes*. Delr.

Bessan et Scarphen? Pylon an senilem?
Pharin? an Pisam, Jovis et coronis
Elida claram?
Quolibet tristis miseras procella
Mittat, et donet cuicumque terræ,
Dum luem tantam Trojæ atque Achivis
Quæ tulit, Sparte procul absit: absit
Argos, et sævi Pelopis Mycenæ;
Neritos parva, brevior Zacyntho,
Et nocens saxis Ithace dolosis.
Quod manet fatum, dominusque quis te,
Aut quibus terris, Hecube, videndam
Ducet? in cujus moriere regno?

849. *Bessan et Scarphen*. Urbes Locrorum Opuntiorum. — *Pylan*, Messeniæ. — *Senilem*, antiquam, senis Nestoris regnum.

850. *Pharin*. Laconiæ urbem. — *Pisam*, Elidis. Thyest. vs. 122.

851. *Elida*. Hercul. Fur. vs. 840.

853. *Donet cuicumque terræ*. Quæcumque sit terra cui nos tradat procella. Hic versus et seq. metro laborat, ut sup. vs. 825.

854. *Luem tantum*. Helenam.— *Trojæ atque Achivis*. Junge, cum *tulit*, vs. sq.

855. *Sparte*. Lacnnum urbs.

856. *Argas*, Agamemnonis. — *Sævi Pelopis*, Tantali filius, Phrygiæ regis, quem Deis comedendum apposuit pater, et humero eburno insignem fecit Jupiter, postquam consumserat Ceres. Accensus amore Hippodamiæ, filiæ OEnomai, regis in Elide, de ea obtinenda cursu decertavit, et factus per Myrtili, aurigæ sui, perfidiam victor et conjux Hippodamiæ, Myrtilum in mare deturbavit.

857. *Neritos*. Mons Ithacæ. — *Zacyntha*. Insula Ulyssi regnata.

858. *Dolosis*. Latentibus sub undis. Vel Ithaca saxosa et aspera, nidus inter scopulos, Ulyssis *dalosi* patria et regnum.

859. *Quod manet fatum*, etc. Conversus ad Hecubam Chorus, hoc quærit.

ACTUS QUARTUS.

HELENA, ANDROMACHA, HECUBA, POLYXENA, MUTA PERSONA.

HEL. Quicumque hymen funestus, illætabilis,
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helena dignus. Eversis quoque
Nocere cogor Phrygibus : ego Pyrrhi toros
Narrare falsos jubeor; ego cultus dare,
Habitusque Graios : arte capietur mea,
Meaque fraude concidet Paridis soror.
Fallatur : ipsi levius hoc equidem reor.

Act. IV, scen. 1. Ut manibus Achillis rite inferiæ peragantur, excogitata ratio est, qua, ut veste, ita animo nuptiali affecta mactetur Polyxena. Vid. sup. 363 sqq. Hæ partes dantur Helenæ, ut Polyxenam lactet inani spe nuptiarum cum Pyrrho, quas illa primo simulat, mox Andromachæ jurgio excussa, dolos fatetur, et rem aperte suadet.

861. *Quicumque hymen funestus*, etc. Hæc submisse et secum Helena. — *Hymen*, nuptiæ.

863. *Est auspice Helena dignus.* Veteres nihil non initiabantur ab augurio; in nuptiis itaque adhibiti auspices. — *Dignus.* Digna sane pronuba, quæ hasce funestas nuptias conciliaret, nam et ipsa bis rapta, jura jugalia violaverat. Paridem sequuta, Menelaum deseruerat; Deiphobum, cui nupserat post Paridis mortem, prodiderat, Trojamque demum, ut Menelai, prioris mariti, gratiam recuperaret. — *Eversis quoque.* Etiam quum eversi sunt.

864. *Nocere*, falsa simulando.

865. *Pyrrhi toros*, conjugium cum Pyrrho. — *Narrare*, Polyxenæ.

866. *Cultus dare.* Supra v. 362.

868. *Paridis soror.* Polyxena.

869. *Fallatur : ipsi levius*, etc. Immo gravius est, si audias deprecantem infra vers. 937, Andromachen : « unum hoc deme nostris cladibus, Falli. » BADEN.

Optanda mors est, sine metu mortis mori.
Quid jussa cessas agere? ad auctores redit
Sceleris coacti culpa. Dardaniæ domus
Generosa virgo, melior afflictos Deus
Respicere cœpit; teque felici parat
Dotare thalamo : tale conjugium tibi
Non ipsa sospes Troja, non Priamus daret.
Nam te Pelasgæ maximum gentis decus
Ad sancta lecti jura legitimi petit,
Cui regna campi lata Thessalici patent.
Te magna Tethys, teque tot pelagi Deæ,
Placidumque numen æquoris tumidi Thetis
Suam vocabunt : te datam Pyrrho socer

870. *Optanda mors est, sine metu mortis mori.* Hæc sententia aliis atque aliis modis effertur. Senec. de Benef. III, 30, § 5 : « Quum tanto majus sit retinere spiritum, quam accipere, quanto levius mori ante mortis metum. » Phalarid. Epist. 87 : Πολλῷ δὲ κρεῖττόν ἐστι, μὴ δεδοικότα παθεῖν τὸ μέλλον δεινὸν, ἢ δεδοικότα. Maximian. Eleg. I, 277 : « Pœna minor, certam subito perferre ruinam ; Quod timeas, gravius, sustinuisse diu. » Ubi Seneca non præteriit Wernsdorfii curam, optime sic explicantis : « repentina mors, quæ ante contingat, quam metueris, optanda maxime est. Qualem mortem optabant sibi Cæsares, pater et nepos, teste Suetonio, Jul. cap. 87, et Aug. 99. Sententiæ auctor Euripides, Antigon. XVIII : Ἤ που τὸ μέλλον ἐκφοβεῖ καθ' ἡμέραν, Ὡς τοῦ γε πάσχειν τοὐπιὸν μεῖζον κακόν. » BADEN.

871. *Quid j. c. agere?* Se ipsam ad jussus capessendos dolumque aggrediendum hortatur. — *Auctores.* Duces Græcorum, qui mihi invitæ has partes mandarunt.

872. *Dardaniæ domus.* E stirpe Dardani oriunda.

873. *Generosa virgo.* Conversa, ad Polyxenam hæc dicit.

875. *Tale*, tam splendidum.

876. *Sospes.* Si exstaret adhuc.

877. *Pelasgæ max. gentis decus.* Pyrrhus, cui campi Thessalici patent lata regna, te in conjugium petit, infra.

879. *Cui regna campi lata Th. patent.* Hypallage. Qui regnum in campis Thessalicis late patentibus obtinet : vel, cujus regnum in Thessalia, plana et equitabili late regione, patet.

880 sq. *Magna Tethys...placidumque numen Thetis.* Cave confundas: *Tethys*, maris fuit Dea, Oceani conjux, Nerei mater; *Thetis*, mater Achillis, Nympha marina, Pelei uxor. Posterioris prior mater fuit.

882. *Suam*, filiam.

Peleus nurum vocabit, et Nereus nurum.
Depone cultus squalidos, festos cape.
Dedisce captam : deprime horrentes comas,
Crinemque docta patere distingui manu.
Hic forsitan te casus excelso magis
Solio reponet : profuit multis capi.
ANDR. Hoc deerat unum Phrygibus eversis malum,
Gaudere? flagrant strata passim Pergama :
O conjugale tempus! an quisquam audeat
Negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
Quos Helena suadet? Pestis, exitium, lues
Utriusque populi! cernis hos tumulos ducum?
Et nuda totis ossa quæ passim jacent
Inhumata campis? hæc hymen sparsit tuus.
Tibi fluxit Asiæ, fluxit Europæ cruor;
Quum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti. Perge, thalamos appara.
Tædis quid opus est? quidve solemni face?
Quid igne? thalamis Troja prælucet novis.

883. *Peleus nurum vocabit*, quia ipsius; *Nereus*, quia sororis suæ nepoti nupseris.

884. *Festos*, nuptiales.

885. *Dedisce captam*, exue mores et habitum captivæ.

886. *Docta manu.* Psecados, ancillæ ornatricis.

887. *Hic casus*, Trojæ devictæ.

889. *Hoc deerat unum*, etc. Apposite Tacitus, Hist. I, 47 : « Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit lætitia. » BAD.

891. *O conjugale tempus.* Ironia: o tempus nuptiis opportunum!

894. *Utr. populi.* Trojanorum et Græcorum. Virg. Æn. II, 573.

897. *Asiæ*, in qua Troja; *Europæ*, in qua Græcia.

898. *Quum dimicantes*, etc. Quum e muro Trojano prospiceres duos maritos tuos monomachia de te decertantes, ipsa cui faveas incerta, legitimone Menelao, an raptori Paridi. FARN. — *Lenta*, in affectibus enuntiandis, utpote quæ utrique favère debens, hæsitabas et morabaris. — *Incerta voti.* Apud Ovidium, Epist. XVII, vers. 109, Helena Paridi : « Ut tamen optarem fieri tibi Troia conjux, Invitam sic me nec Menelaus habet. »

900. *Solemni.* Nuptiali face non opus est : Troja incensa *prælucebit*.

Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia;
Celebrate digne : planctus et gemitus sonent.
HEL. Ratione quamvis careat, et flecti neget
Magnus dolor, sociosque nonnunquam sui
Mœroris ipsos oderit; causam tamen
Possum tueri judice infesto meam,
Graviora passa. Luget Andromacha Hectorem,
Et Hecuba Priamum : solus occulte Paris
Lugendus Helenæ est. Durum et invisum et grave est,
Servitia ferre : patior hoc olim jugum,
Annis decem captiva. Prostratum Ilium est,
Versi penates : perdere est patriam grave;
Gravius timere. Vos levat tanti mali
Comitatus : in me victus et victor furit.
Quam quisque famulam traheret, incerto diu
Casu pependit : me meus traxit statim
Sine sorte dominus. Causa bellorum fui,
Tantæque Teucris cladis : hoc verum puta,

903. *Digne.* Ut vestro dignnm est stsıu : planctibus scilicet et gemitibus celebrentur connubia.

907. *Judice infesta.* Etiam coram Andromscha. — Magnum innocentiæ argumentnm, ut et alis hujus defensionis; qua hsud scio an quidquam nervosius, aut splendidius in Helenæ defensionem dici queat. DELR.

908. *Graviara*, qnsm ves.

909. *Salus occulte Paris*, etc. Vobis aperte luetum licet profiteri, mihi occulte lugendus est Paris.

911. *Olim*, jamdudum.

912. *Annis decem captiva.* Scilicet, quamdiu duravit Trojæ obsidinm, intra muros coacta remanere, procul · s pstris, nonne fui captiva?—*Prostratum Ilium est*, etc. Vobis, dirula Trojs, jam nulla est patria, nulli sunt penates, quod certe grave est; sed mihi mslum gravius incnmbit, nempe timor, etc.

914. *Vos levat tanti mali comit.* Vide Chorum sequentem, vs. 1019.

915. *Victus et victor.* Trojani et Græci, pariter infesti.

917. *Meus dominus.* Menelaus, prior maritus.

919. *Hoc verum puta.* Antipophora. At dicetis me meruisse, quæ fuerim causa belli et cladis Trojanæ. Ego autem non fui causa; neque enim ultro sequnta sum Paridem, sed ab eo rapla, et donsta quidem illi a Venere, supra vs. 66; inf. 922. FARN.

Spartana puppis vestra si secuit freta;
Sin rapta Phrygiis præda remigibus fui,
Deditque donum judici victrix Dea,
Ignosce Paridi : judicem iratum mea
Habitura causa est; ista Menelaum manent
Arbitria : nunc hanc, luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis, flecte. Vix lacrimas queo
Retinere. ANDR. Quantum est, Helena quod lacrimat,
    malum!
Cur lacrimat autem? Fare, quos Ithacus dolos,
Quæ scelera nectat : utrum ab Idæis jugis
Jactanda virgo est? arcis an celsæ edito
Mittenda saxo? num per has vastum in mare
Volvenda rupes, latere quas scisso levat
Altum vadosos Sigion spectans sinus?
Dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.
Leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener

920. *Spartana puppis.* In qua me abstrahebat Paris.

921. *Sin*, pro simpliciter, *si*. — *Sin rapta*, etc. Sum, ait, innocens, quia non sponte Trojam veni, sed vi compulsa, quia non adulteri blandas persuasiones, sed Deæ Veneris mandata sequuta sum, neque illius pollicitationem volui falsam reddere.

923. *Ignosce Paridi.* Qui datum sibi a Dea munus vindicavit jure suo. — *Judicem iratum*, etc. Quod vero meum peccatum spectat pœnamque, severum satis habebo judicem Menelaum, nempe læsum, et merito iratum. FARN.

925. *Hanc*, Polyxenam.

926. *Flecte*, ad Pyrrhi nuptias.

927. *Quantum est, Helena*, etc. Magnum certe aliquod imminet malum, quod Helenam malis induratam in lacrimas cogat. FARN.

932. *Latere q. s. levat.* Quas attollit ad latera sua, quæ sunt scissa.

933. *Altum Sigion.* De scriptura, vid. Animadv. Erat Trojæ promontorium. — *Altum*, convenit *levanti*; et sic Virgil. Æn. III, v. 699, de alio promontorio : « . . . *altas* cautes projectaque saxa Pachyni Radimus. » BADEN. — *Sinus* intellige, maris circa litus vadosi; Quia Simois et Scamander concurrentes in campis multum terræ hauriunt, cæcumque os et lacus marinos et paludem efficiunt circa Sigeum, teste Strabone, lib. XIII (ed. Reg. 1620, p. 595).

935. *Quam Priami gener*, etc. Quam si Pyrrhus fiat gener Priami et Hecubæ.

Hecubæque Pyrrhus : fare, quam pœnam pares.
Exprome, et unum hoc deme nostris cladibus,
Falli : paratas perpeti mortem vides.
HEL. Utinam juberet me quoque interpres Deûm
Abrumpere ense lucis invisæ moras,
Vel Achillis ante busta, furibunda manu.
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,
Polyxene miseranda; quam tradi sibi,
Cineremque Achilles ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, jubet.
ANDR. Vide, ut animus ingens lætus audierit necem.
Cultus decoros regiæ vestis petit,
Et admoveri crinibus patitur manum.
Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
At misera luctu mater audito stupet,
Labefacta mens succubuit. Assurge, alleva
Animum, et cadentem misera firma spiritum.
Quam tenuis anima vinculo pendet levi!
Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.
Spirat; revixit : prima mors miseros fugit.
HEC. Adhuc Achilles vivit in pœnas Phrygum?

939. *Interpres Deûm.* Calchas. Supra, vs. 351 et 359.

945. *Campo El. m.* saltem ut habeat mortuus uxorem, cui conjungi in templo Trojæ vivus voluerat.

946. *Animus ingens*, Polyxenæ, quam Helenæ monstrat Andromache, vultus minime mutantem. Et illa muta inducitur persona, quasi virginem ingenuam decest silentium. Quæ tamen apud Euripidem, θανεῖν, inquit, μοι ξυντυχία κρείσσων ἐκύρησεν. FARN.

949. *Illud*, thalamos Pyrrhi. — *Hoc*, mortem imminentem. Sup. 730.

950. *At misera luctu mater*, etc. Hoc loco se projicit, dolore amens, in pulverem Hecuba; et pergit Andromache.

951. *Assurge.* Hecubam alloquitur nurus.

953. *Quam*, junge cum *levi*. — *Tenuis anima*, mortalium : et dictum est generaliter.

954 et 955. *Minimum est quod Hecubam*, etc. Facilis mors et unus quasi spiritus evolans Hecubam servitute ac miseriis liberare valet; sed mors maxime fugit miseros, quos cæteri omnes fugiunt.

Adhuc rebellat? o manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea.
Lassabar in tot oscula, in totum gregem
Dividere matrem: sola nunc hæc est super,
Votum, comes, levamen, afflictæ quies.
Hæc totus Hecubæ fetus; hac sola vocor
Jam voce mater. Dura et infelix, age,
Elabere anima; denique hoc unum mihi
Remitte funus. Irrigat fletus genas,
Imberque victo subitus e vultu cadit.
Lætare, gaude, nata: quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!
ANDR. Nos, Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendæ sumus,
Quas mota classis huc et huc sparsas feret.
Hanc cara tellus sedibus patriis teget.
HEL. Magis invidebis, si tuam sortem scias.
ANDR. An aliqua pœnæ pars meæ ignota est mihi?
HEL. Versata dominos urna captivis dedit.
ANDR. Cui famula tradar, ede: quem dominum voco?
HEL. Te sorte prima Scyrius juvenis tulit.

957. *Rebellat.* Bella exercet. — *Levem*, quæ Achillem non in totum interfecerit! sup. vs. 348.

958. *Cinis ipse*, etc. Translatus de Ovidio locus est, ex Metamorph. lib. XIII, vs. 503, ubi hæc querela Hecubæ legitur: « ... cinis ipse sepulti In genus hoc sævit; tumulo quoque sensimus hostem: Æacidæ fecunda fui. »

961. *Matrem.* Affectus et officia materna. — *Sola nunc hæc est super.* Supererat quidem Cassandra, aliis Alexandra, sed non comes matris. « Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ. » Virg. Æn. II, 403.

963. *Hæc totus f.* una restat ex omnibus liberis. — *Hac sola voce.* Polyxenes solius.

965. *Dura*, difficilis ad exeundum.

966. *Genas*, Polyxenæ.

968. *Lætare, nata.* Animos resumit mater, ubi videt natam desperantem.

969. *Thalamos*, mori ut tu.

973. *Invidebis*, Polyxenæ.

975. *Versata.* Supr. vs. 58.

977. *Scyrius juvenis.* Pyrrhus Achillis filius, ex Deidamia, Ly-

ANDR. Cassandra felix! quam furor sorte eximit,
Phœbusque. HEL. Regum hanc maximus rector tenet.
HEC. Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
HEL. Ithaco obtigisti præda nolenti brevis.
HEC. Quis tam impotens ac dirus, et iniquæ ferus
Sortitor urnæ regibus reges dedit?
Quis tam sinister dividit captas Deus?
Quis arbiter crudelis, et miseris gravis,
Eligere dominos nescit? et sæva manu
Dat iniqua miseris fata? quis matrem Hectoris
Armis Achillis miscet? ad Ulyssem vocor!
Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
Obsessa videor cladibus: domini pudet,
Non servitutis. Hectoris spolium feret,

comedis, Scyri regis, filia. FARN.

978. *Cassandra felix!* Color ejus loci ductus ex Andromachæ verbis apud Virgilium, Æneid. III, 32: « O felix una ante alias Priameia virgo, Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis Jussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile! » — *Quam furor sorte eximit Phœbusque.* Propter divinationem et sacerdotium Phœbi, sorte exemta.

979. *Regum hanc maximus*, etc. Agamemnon Cassandram extra sortem habet.

980. *Suam dici velit.* Quia vetula. Sup. 58: « Mea sors timetur. »

981. *Præda nolenti.* Prædæ mala sors, quam victor Ulysses esse suam nollet. — *Brevis.* Cito enim ab Ulysse dimissa ad Thracas fugit, ubi in canem conversa, id est, rabidis conviciis omnes impetens, lapidibus obruta est. FARN.

983. *Regibus reg.* Vid. Animadv.

986. *Eligere.* Dignos eligere nescit dominos, sed iniqua sorte miseris infortunium gravius efficit.

988. *Armis Achillis miscet.* Ut eidem Ulyssi, cui adjudicata sunt Achillis arma, contingat Hecuba. Hæc Achillis arma Ulyssi obtigere, judicibus vel Græcis, juxta Ovidium, Antipatrum, Asclepiadem, et Sophoclem; vel captivis Trojanis juxta Homerum, Q. Smyrnæum et alios.

990. *Nunc.* Postquam Ulyssi sorte contigerim. — *Domini pudet, Non servitutis.* Nam, ut ait Pseudo-Cicero, Epist. ad Brut. VIII: « dignitate domini minus turpis est fortuna servi. » BADEN.

991. *Hectoris spolium.* Me matrem Hectoris. Sic dici putat Farnabius, quia spolium proprie vestis corpori detracta dicitur: alii, quia gessit in utero Hectorem: Gruterus, quia parens et filius reputan-

Qui tulit Achillis? sterilis, et sævis fretis
Inclusa tellus non capit tumulos meos.
Duc, duc, Ulysse: nil moror: dominum sequor.
Me mea sequentur fata: non pelago quies
Tranquilla veniet, sæviet ventis mare,
Et bella, et ignis, et mea, et Priami mala;
Dumque ista veniunt, interim hoc pœnæ loco est:
Sortem occupavi, præmium eripui tibi.
Sed incitato Pyrrhus accurrit gradu,
Vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? age,
Reclude ferro pectus, et Achillis tui

tur unum et idem, neque possit triumphari mater, nisi dehonestetur in matre etiam natus. Adnotat Gronovius: « Vir doctissimus hæc desumsisse putat Senecam e Troadibus Eurip. 1136, ubi Talthybius Andromachen, quia cum properante Pyrrho conscendere navem compulsa fuerit, Hecubæ narrat mandasse curam sepeliendi Astyanactis, et in ipso clypeo Hectoris. Hunc clypeum appellari censet ille *spolium Hectoris*; et inde, capit ansam reprehendendi auctoris: nam, apud Euripidem, clypeum illum esse in potestate Hecubæ, cui tradi curaverat Andromache: at quum ista loquebatur apud Senecam Hecuba, etiamnum penes Andromachen fuisse. Quare non posse hic se non desiderare judicium Senecæ, qui ista Hecubæ tribuat, quum non esset penes eam Hectoris clypeus. » Jam vs. 987 dixit, *matrem Hectoris armis Achillis misceri*: ergo, ut opinor, Hectoris spolium in hoc loco Senecæ non est clypeus ejus, sed ipsa mater Hecuba.

993. *Non capit tum. meos.* Præsagit se non obituram in Græcia: et putatur enim obiisse in Thracibus, cui loco Cynossema nomen. Vid. Auson. 242, Epitaph. 25.

994. *Nil moror.* Sequar, ut infortunia mea Ulyssem comitentur.

998. *Dumque ista ven. interim hoc pœnæ loco est.* Sententia: omnes istæ calamitates mecum in te incident, et dum exspectantur illæ, præsentem pœnam habes, quod ego sortem tuam invasi, et prohibui, ne præmium acciperes. Si enim cessasset nomen meum, obvenisset alia tibi femina vel jucunda vel utilis: ita, cum sorte habuisses præmium. Nunc ego cæteras anteverti, ut sortem haberes, nec iterum trahere posses: præmio careres, quippe nactus anum nulli usui. Gron.

999. *Sortem occupavi, præmium eripui.* Vid. vers. præced.

1002. *Achillis tui conjunge soceros.* Me, ut nuper Priamum, confice, et conjunge per mortem nos, soceros patris tui, in his funestis nuptiis.

Conjunge soceros : perge, mactator senum ;
Et hic decet te sanguis : abreptam trahe.
Maculate superos cæde funesta Deos,
Maculate Manes. Quid precer vobis? precor
His digna sacris æquora : hoc classi accidat
Toti Pelasgæ, ratibus hoc mille accidat,
Meæ precabor, quum vehar, quidquid rati.

CHORUS TROADUM.

Dulce mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis resonare gentes.
Lentius luctus lacrimæque mordent,
Turba quas fletu simili frequentat.
Semper, ah, semper dolor est malignus :
Gaudet in multos sua fata mitti,
Seque non solum placuisse pœnæ.
Ferre, quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

1003. *Mactator senum.* Supra, vs. 47 sqq. et Virg. Æn. II, 551.

1004. *Et*, quoque. — *Hic*, juvenilis, Polyxenæ. — *Abreptam.* Polyxenam.

1007 sq. *Digna.* Sæva, tumida, infesta. — *Hoc cl. accidat... quidquid rati.* Ordo est, « hoc quidquid precabor meæ rati, quum vehar, accidat toti classi Pelasgæ, hoc accidat mille ratibus. » Et hoc quod precabitur, erit exitium naufragiumque.

Act. IV, scen. II. Chorus, occasione sumta, ab Helenæ dicto supra, vs. 914 : « vos levat tanti mali Comitatus, » solatur se communi malo, quasi, « solamen miseris socios habuisse doloris ; » quod tamen solatium ipsis sortito disjunctis ablatum fore.

1010. *Dulce mærenti*, etc. Si quis mœreat, negotium est illi dulce visu, populus qui dolet, et gentes quæ lamentis resonant.

1012. *Lentius.* Morsu minus rapide iterato.

1013. *Fletu simili.* Flendo, sicut tu ipse. — *Frequentat*, adhibet, usurpat.

1014. *Malignus.* Simili alios miseria opprimi expetens.

1015. *Mitti*, communicari.

1016. *Placuisse pœnæ*, scilic. ad pœnam, et supp. *Diis* : « electos fuisse a Deis, quos mulctarent.

Nemo se credet miserum, licet sit,
Tolle felices : removeto multo
Divites auro : removeto centum
Rura qui scindunt opulenta bubus ;
Pauperi surgent animi jacentes.
Est miser nemo, nisi comparatus.
Dulce in immensis posito ruinis
Neminem lætos habuisse vultus.
Ille deplorat, queriturque fatum,
Qui secans fluctum rate singulari
Nudus in portus cecidit petitos :
Æquior casum tulit, et procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui vidit, tabulaque litus
Naufraga spargi, mare quum coactis
Fluctibus Corus prohibet reverti.
Questus est Hellen cecidisse Phryxus,

1019. *Nemo se credet miserum.* Junge cum vs. sq. « si sustuleris felices, etc. » — *Licet*, quamvis.

1020. *Removeto multo Div. auro*, etc. Removeantur illi quos multum aurum facit divites, et ii qui scindunt centum bobus, etc.

1023. *Pauperi surgent animi jacentes.* Pauper, qui nuper jacebat desperatus animi, resurget.

1024. *Est miser nemo, nisi comparatus.* Philemon apud Stobæum, Flor. tit. CVIII : Εἰ τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοισιν εἰδείης κακὰ, Ἄσμενος ἔχοις ἂν, Νικοφῶν, ἃ νῦν ἔχεις. BADEN.

1028. *Singulari.* Unica, sola, singula, μονόκωπος ἀνήρ. Eur. Hel. 1138.

1030. *Æquior.* Animo magis æquo, minus dolenti.

1031. *Pariter... Obr. vid.* Uno eodemque naufragio obrutas vidit.

1034. *Mare quum coactis Fluctibus Corus prohibet reverti.* Hoc est, refluere, diffundi atque explicari. Plutarch. Consolat. ad uxorem (ed. Francof. 1620, p. 610) : ὥσπερ ἐν εὐδίᾳ κῦμα, τῇ γαλήνῃ τοῦ σώματος διαχεομένου. Eamdem maris formam ita depinxit Lucanus, V, vs. 644 : « Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est. » — *Coacti fluctus.* Densi, sive, quos turbo convolvit. Val. Flacc. IV, 687 : « ima fremunt, fluctuque coacto Angitur. » BADEN.

1035. *Questus est Hellen cecid. Phryxus.* Phryxus et Helle patrem Athamanta et novercam Ino fugientes, ariete aurei velleris conscenso, pontum transfretare aggressi sunt; quod ille quidem fecit; Helle vero submersa nomen ponto reliquit.

Quum gregis ductor, radiante villo,
Aureo fratrem simul et sororem
Sustulit tergo, medioque jactum
Fecit in ponto. Tenuit querelas
Et vir, et Pyrrhe, mare quum viderent,
Et nihil præter mare quum viderent,
Unici terris homines relicti.
Solvet hunc cœtum lacrimasque nostras
Sparget huc illuc agitata classis,
Et tuba jussi dare vela nautæ,
Quum, simul ventis properante remo,
Prenderint altum, fugietque litus.
Quis status mentis miseris, ubi omnis
Terra decrescet, pelagusque crescet?
Celsa quum longe latitabit Ide?
Tum puer matri, genitrixque nato,
Troja qua jaceat regione monstrans,
Dicet, et longe digito notabit:
Ilium est illic, ubi fumus alte
Serpit in cælum, nebulæque turpes.
Troes hoc signo patriam videbunt.

1036. *Gregis ductor.* Aries. — *Radiante villo.* Aureo vellere radians.

1038. *Jactum.* Jacturam Helles.

1039. *Tenuit querelas*, etc. Objicitur illud questibus Phryxi, sup. vs. 1035.

1040. *Et vir.* Deucalion, Promethei filius. — *Et Pyrrhe*, Epimethei filia.

1043. *Hunc cœtum.* Nostrum, captivarum. Vide argomentum hujus chori. — *Lacrimas nostras.* Nos lacrimantes.

1045. *Et nautæ.* Supp. *spargent.* — *Tuba jussi.* Quos tubæ sonitus jubebit dare vela.

1046. *Simul ventis properante remo.* Ventis properam simul remorum exercitationem adjuvantibus.

1047. *Fugietque litus.* In altum e portu vectis terra recedet.

1048. *Miseris*, nobis mulieribus.

1050. *Latitabit.* Quæ, jam propter longinquitatem, evanuerit ex oculis.

1055. *Nebulæ*, ascendentis fumi.

ACTUS QUINTUS.

NUNTIUS, ANDROMACHA, HECUBA.

NUNT. O dira fata, sæva, miseranda, horrida,
Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus
Mars vidit annis? quid prius referens gemam?
Tuosne potius, an tuos luctus, anus?
HEC. Quoscumque luctus fleveris, flebis meos.
Sua quemque tantum, me omnium clades premit.
Mihi cuncta pereunt : quisquis est, Hecubæ est, miser.
NUNT. Mactata virgo est : missus e muris puer.
Sed uterque letum mente generosa tulit.
ANDR. Expone seriem cædis, et duplex nefas
Prosequere : gaudet magnus ærumnas dolor
Tractare totas : ede, et enarra omnia.
NUNT. Est una magna turris e Troja super,
Assueta Priamo; cujus e fastigio
Summisque pinnis arbiter belli sedens
Regebat acies : turre in hac blando sinu

Act. V, sc. unica. Nuntius matribus narrat, ut e turri præcipitatus fuerit Astyanax, et Polyxena ad tumulum Achillis cæsa.

1057. *O dira fata, sæva, miseranda, horrida*. Incrementum rhetoricum et putide declamatorium!

1058. *Tam*, quam quod patratum est per totam Trojæ obsidionem.

1060. *Tuosne potius, an tuos luctus, anus?* Tuosne, o Andromacha, an tuos, o Hecuba?

1062. *Mihi cuncta pereunt*. Reginæ, et in omnes miserias superstiti. — *Hecubæ est*. Attinet ad Hecubam.

1067. *Proseq.* ex ordine narra.

1069. *Est*, junge cum *super*, superest. — *Assueta Priamo*, ubi sedere solebat Priamus.

1072. *Regebat acies*. Signo e mœ-

Fovens nepotem, quum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et ferro, et face,
Paterna puero bella monstrabat senex.
Hæc nota quondam turris, et muri decus,
Nunc sæva cautes, undique affusa ducum
Plebisque turba cingitur : totum coit
Ratibus relictis vulgus : his collis procul
Aciem patenti liberam præbet loco;
His alta rupes, cujus e cacumine
Erecta summos turba libravit pedes.
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,
Et tota populo silva suspenso tremit.
Extrema montis ille prærupti petit,
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens
Muri cadentis pressit : atque aliquis (nefas!)
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
Per spatia late plena sublimi gradu
Incedit Ithacus, parvulum dextra trahens
Priami nepotem : nec gradu segni puer
Ad alta pergit mœnia. Ut summa stetit
Pro turre, vultus huc et huc acres tulit,

nibus dato congrediendi cum hoste, vel receptui. — *Turre in hac.* Ovid. XIII, 415: « Mittitur Astyanax illis de turribus, unde Pugnantem pro se, proavitaque regna tuentem Sæpe videre patrem monstratum a matre solebat. »

1074. *Face*, quam in naves intulit. — *Bella*, certamina.

1077. *Affusa*, junge cum *turba*, vs. sq. — *Cingitur*, circumdatur.

1079. *Vulgus*, Græcorum.

1080. *Aciem*, oculorum; prospectum. — *Patenti loco*, ut patet sine obstaculis locus.

1081. *His*, supple, præbet aciem liberam, liberum prospectum.

1082. *Erecta, summos libravit pedes.* In pedum digitos erecta sese librabat.

1083. *Hunc pinus, illum laurus*, etc. Describit concursum illum vulgi omnia, ad adspectum Astyanactei supplicii, occupantis. Lips. — *Gerit*, ascendentes, sc. ut Astyanacta projectum e longinquo spectent.

1087. *Saxum imminens muri cadentis.* Supernos lapides muri jamjam prolapsuri.

1093. *Pro turre*, ante turrem.

Intrepidus animo : qualis ingentis feræ
Parvus tenerque fetus, et nondum potens
Sævire dente, jam tamen tollit minas,
Morsusque inanes tentat, atque animis tumet :
Sic ille dextra prensus hostili puer
Ferox, superne moverat vulgum ac duces,
Ipsumque Ulyssem : non flet e turba omnium,
Qui fletur : ac dum verba fatidici et preces
Concipit Ulysses vatis, et sævos ciet
Ad sacra superos, sponte desiluit sua
In media Priami regna.
ANDR. Quis Colchus hoc, quis sedis incertæ Scytha
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare
Gens juris expers ausa? Non Busiridis
Puerilis aras sanguis aspersit feri;
Nec parva gregibus membra Diomedes suis
Epulanda posuit. Quis tuos artus teget,
Tumuloque tradet? NUNT. Quos enim præceps locus
Reliquit artus? ossa disjecta et gravi
Elisa casu, signa clari corporis,
Et ora, et illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.

1094. *Ingentis feræ*, v. g. leonis.

1099. *Ferox*. Alto animo mortem despiciens. — *Superne*, scilicet e turri.

1102. *Concipit*. Prout a Calchante vate instructus et edoctus fuerat.

1103. *Desiluit*. Astyanax.

1104. *In media Priami regna*. In medium urbis, quæ Priami fuit; vel populi hic adstantis.

1105. *Colchus*. Colchi, Medeæ crudelitate famosi.

1106. *Caspium tangens mare*, Hyrcani, barbari et crudeles.

1107. *Busiridis*. De Busiride, Ægypti tyranno, conf. Herc. Fur. vs. 483 (ed. nostr. vol. I, p. 58).

1109. *Parva membra*. Membra hujus pueri. — *Gregibus suis*, suis equabus. Vid. de Diomede, Thraciæ rege ab Hercule occiso, Herc. For. vs. 226, vol. I, p. 28.

1111. *Quos enim præceps locus*, etc. Neque enim sepultura opus erit laceris et dispersis artubus.

1113. *Signa clari corporis*. Hæc lineamenta quæ patris imagine insigne faciebant corpus.

Soluta cervix : silicis impulsu caput
Ruptum, cerebro penitus expresso : jacet
Deforme corpus. ANDR. Sic quoque est similis patri.
NUNT. Præceps ut altis cecidit e muris puer,
Flevitque Achivûm turba, quod fecit, nefas;
Idem ille populus aliud ad facinus redit,
Tumulumque Achillis. Hujus extremum latus
Rhœtea leni verberant fluctu vada.
Aversa cingit campus, et clivo levi
Erecta medium vallis includens locum
Crescit theatri more. Concursus frequens
Implevit omne litus. Hi classis moras
Hac morte solvi rentur; hi stirpem hostium
Gaudent recidi : magna pars vulgi levis
Odit scelus, spectatque : nec Troes minus
Suum frequentant funus, et pavidi metu
Partem ruentis ultimam Trojæ vident.
Quum subito, thalami more, præcedunt faces.
It pronuba illic Tyndaris, mœstum caput
Demissa ! tali nubat Hermione modo,

1118. *Similis patri*, quem lacerum Achilles bigis raptaverat.

1121. *Aliud facinus.* Polyxenæ cædem.

1122. *Tumulumque Achillis*, qui ad Rhœteum, Trojæ promontorium. Achillis tumulum statuunt in Propontide Homer. Odyss. Ω, 57 sq. et in Peplo Aristoteles. DELR.

1124. *Aversa*, latera. Et bene *aversa*. Nam frons promontoriorum respicit mare : altera igitur pars *aversa*, et tergi instar.

1127. *Classis moras.* Supra vs. 354, 550, 812.

1129. *Levis Odit scelus, spectatque.* Satis hoc ad arguendam vanitatem vulgi : exsecrari scelus, et tamen sceleris spectaculo frui; nam viri graves in his, modo liceat, parcunt oculis.

1131. *Suum funus.* Vel mortem quæ percutit animam e suis, vel quæ propriæ ipsorum mortis prænuntia est.

1132. *Thalami more.* Quod fit in solemni nuptiarum ritu.—*Pr. faces.* Cf. Phœn. 263 et 507.

1134. *Pronuba.* Supra 862.

1135. *Hermione.* Helenæ et Menelai filia, postea a Pyrrho rapta, verum ab Oreste, cui prius desponsata fuerat, repetita, cæso Pyrrho. — *Tali modo.* I. e. necc.

Phryges precantur : sic viro turpis suo
Reddatur Helene. Terror attonitos tenet
Utrosque populos : ipsa dejectos gerit
Vultus pudore; sed tamen fulgent genæ,
Magisque solito splendet extremus decor :
Ut esse Phœbi dulcius lumen solet
Jam jam cadentis, astra quum repetunt vices,
Premiturque dubius nocte vicina dies.
Stupet omne vulgus ; et fere cuncti magis
Peritura laudant : hos movet formæ decus,
Hos mollis ætas, hos vagæ rerum vices.
Movet animus omnes fortis, et leto obvius.
Pyrrhum antecedit : omnium mentes tremunt :
Mirantur, ac miserantur. Ut primum ardui
Sublime montis tetigit, atque alte edito
Juvenis paterni vertice in busti stetit,
Audax virago non tulit retro gradum,
Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
Tam fortis animus omnium mentes ferit :
Novumque monstrum est, Pyrrhus ad cædem piger.
Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,

1136. *Sic*, ad mortem.—*Turpis*, adultera.

1138. *Utrosque populos.* Trojanos et Græcos. — *Ipsa*, Polyxena.

1139. *Sed tamen*, in ipsa morte.

1140. *Extremus decor.* Pulchritudo puellæ jam moriturae.

1142. *Astra*, nocturna.

1144. *Magis Peritura laudant.* Per γνώμην adjunctam narrat et effert, Omne vulgus attonitum stetit in forma Polyxenæ. Et eo magis, quo insitus nobis mos laudandi peritura. Est enim naturale hoc, ut, quæ salva transirent homines, ac pro mediocribus ducerent, ea præ aliis efferant extollantque, quum vident brevi defutura vel interitura.

1147. *Leto obvius.* Sese ultro morti offerens.

1151. *Juvenis.* Pyrrhus.

1154. *Ferit*, dolore, stupore, commiseratione.

1155. *Novum monstrum.* Insolitum hactenus prodigium.

1156. *Exacta.* Immissa. Æneid. X, 815 : « ... exigit ensem Per medium Æneas juvenem, totumque recondit. » — *Penitus abdidit*, in pectore. Vid. Virg. Æn. II, 553.

Subitus, recepta morte, prorupit cruor
Per vulnus ingens : nec tamen, moriens, adhuc
Deponit animos; cecidit, ut Achilli gravem
Factura terram, prona, et irato impetu.
Uterque flevit cœtus : at timidum Phryges
Misere gemitum : clarius victor gemit.
Hic ordo sacri : non stetit fusus cruor,
Humove summa fluxit : obduxit statim,
Sævusque totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. Ite, ite, Danai; petite jam tuti domos,
Optata velis maria diffusis secet
Secura classis : concidit virgo, ac puer.
Bellum peractum est : quo meas lacrimas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?
Natam an nepotem, conjugem an patriam fleam?
An omnia? an me? Sola mors votum meum.
Infantibus violenta, virginibus venis,

1157. *Recepta morte.* Illa jam letali ictu percussa.

1159. *Ut*, quasi. — *Gravem factura terram.* Conf. Hipp. vs. 1280.

1160. *Prona, et irato impetu.* Pariter Quintus Calaber, XIV, 315, de eadem : πρηνὴς χαμάδις πέσε.

1161. *Uterque cœtus.* Troum et Graiorum.

1162. *Clarius.* Voce magis elata.

1163. *Hic ordo sacri.* Tale fuit illud sacrificium. — *Non stetit.* Non coagulatus cruor stetit.

1164. *Humo summa*, ad superficiem soli. — *Obduxit*, hausit, ebibit.

1165. *Sævusque tot. sanguin. tum.* Noster vult in Troade ad bustum Achillis immolatam Polyxenam, ut Virgilius : sed Euripides in Chersonneso ad tumulum honorarium. De illa Ausonius, Epitaph. 26 : (ipsa loquitur) « Troas Achilleo conjuncta Polyxena busto, Malueram nullo cespite functa tegi. Non bene discordes tumulos miscetis, Achivi : Hoc violare magis, quam sepelire fuit. »

1170. *Exspuam.* Cum indignatione emittam. Sic vs. 964 sq. « dura et infelix, age, Elabere anima. »

1172. *Sola mors votum meum.* Mors, inquit, meorum summa votorum est, nihil amplius opto; vel, ut loquitur Phœniss. vs. 75 : « Votumque, genitor, maximum mors est tibi? » Sequentibus affinia sunt verba Œchaliarum virginum in Herc. Œt. 121 : « Nos non flamma rapax, non fragor obruit. Felices sequeris, mors, miseros fugis! »

1173. *Infantibus*, ut Astyanacti. — *Virginibus*, ut Polyxenæ.

Ubicumque properas, sæva : me solam times,
Vitasque : gladios inter ac tela et faces
Quæsita tota nocte, cupientem fugis.
Non hostis, aut ruina, non ignis meos
Absumsit artus : quam prope a Priamo steti?
NUNT. Repetite celeri maria, captivæ, gradu.
Jam vela puppis laxat, et classis movet.

1174. *Ubicumque*, positum pro *ubique*. Conf. de hoc usu vocis apud Ovid. Art. Amator. II, 627.—*Me solam times*. Eadem fere legas apud Ovid. Metam. XIII, vs. 517 sqq. « .... Quo me servas, damnosa senectus? Quid, Di crudeles, nisi quo nova funera cernam, Vivacem differtis anum? » FARN.

1176. *Cupientem*, me.

1178. *Quam prope*, etc. Quum ad aras ipse occideret, nec tamen cæsa fui. Virg. Æn. II, 525 sqq.

1180. *Movet*, se movet, movetur.

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

Post hanc Senecæ tragœdiam, omnino ex re visum est referre excerpta quædam e tragœdia gallica, *les Troyennes,* auctore de Chateaubrun; tum carmen unum, cui idem nomen inscripsit auctor Casim. Delavigne, vir inter æquævos singularis ingenii et ad sinceram poesim nati laude celeberrimus. Quod quidem carmen egregius scriptor composuit tenera adhuc ætate, et quum inter discipulorum ordines jam artis poeticæ tirocinium ageret; nec minus tamen feliciter universam Annæani argumenti tincturam et antiquum illum colorem reddidit.

IMITATIONES GALLICÆ.

LES TROYENNES,

Tragédie de J. B.V. de Châteaubrun (*).

ACTE I, SCENE VI.

IDAS A HECUBE.

Vous vivrez dans les fers et sous les lois d'Ulysse (1).

. . . .

. . . .

Andromaque à Pyrrhus est échue en partage (2).

. . . .

Cassandre dans Argos va suivre Agamemnon (3).

HELENA *ad Hecubam.*

(1) Ithaco obtigisti præda nolenti brevis.

Ad Andromacham.

(2) Vs. 979. Te sorte prima Scyrius juvenis tulit.

. . . .

De Cassandra.

(3) Vs. 981. . . . . regum hanc maximus rector tenet.

. . . .

(*) Vir non aspernandi inter tragicos nostros nominis. Natus Engolismæ, anno 1686, mortuus Parisiis, anno 1775. Acta est tragœdia die novemb. XIII, anno 1714.

ACTE III, SCÈNE IV.

ANDROMAQUE A ASTYANAX.

..........Plonge-toi dans le sein de la mort (1),
Voici le seul asyle où te réduit le sort.
O mon fils, tu naquis pour régner sur l'Asie;
Il te reste un tombeau pour y sauver ta vie.
Et toi, mon cher Hector, sois sensible à mes cris;
De tes mânes sacrés enveloppe ton fils;
Creuse jusques au Styx sa demeure profonde,
Et cache mon dépôt sous l'épaisseur du monde.

ACTE III, SCÈNE V.

ULYSSE.

Madame, vos refus ne uous ont point surpris (2);
Mais déjà vos terreurs ont jugé votre fils:
Plus vous appréhendez cet affreux sacrifice,
Et mieux vous nous prouvez quelle en est la justice.

ANDROMACHA.

....
(1) Vs. 504 sq. Hector tuere......................
..... et fideli cinere victurum excipe.
Succede tumulo, nate................

Et paulo post.

Vs. 522. ....Tuque conjux ultimo,
Specu revulsam scinde tellurem, et Stygis
Sinu profundo conde depositum meum.

ULYSSES.

....
(2) Vs. 591. Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor
Consulere parvis liberis Danaos monet.

ACTE III, SCÈNE V.

ANDROMAQUE.

. . . .
Avez-vous oublié qu'un immense trésor (1)
Fut le prix éclatant du corps de mon Hector?
A sa cendre immortelle on vendit cet asyle.
. . . .
Barbares, arrêtez! votre bras téméraire
Osera-t-il souiller ce sacré sanctuaire (2)?
Avez-vous oublié quel guerrier fut Hector?
Ses mânes furieux vous menacent encor.
Fuyez, traîtres; craignez que son ombre indignée
Ne punisse la main qui l'aurait profanée.
Les foudres qu'il lançait vont éclater sur vous.

ANDR. *ad Ulyssem, qui vult Hectoris* busta funditus eruere.

(1) Vs. 667. Quæ vendidistis? (busta) . . . .

ANDROMACHA.

(2) Vs. 633. . . . . Me, me sternite hic ferro prius.
Repellor? heu me! rumpe fatorum moras.
. . . .
. . . . Arma concussit manu.
Jaculatur ignes . . . .

LES TROYENNES,

CANTATE PAR M. CASIMIR DELAVIGNE.

Aux bords du Simoïs, les Troyennes captives
Ensemble rappelaient, par des hymnes pieux,
De leur félicité les heures fugitives;
Et le deuil sur le front, les larmes dans les yeux,
Adressaient de leurs voix plaintives
Aux restes d'Ilion ces éternels adieux.

CHOEUR.

D'un peuple d'exilés déplorable patrie,
Ton empire n'est plus et ta gloire est flétrie!

UNE TROYENNE.

Des rois voisins puissant recours,
Que de fois Ilion s'arma pour leur défense!
D'un peuple heureux l'innombrable concours
S'agitait dans les murs de cette ville immense:
Ses tours bravaient des ans les progrès destructeurs,
Et, fondés par les dieux, ses temples magnifiques
Touchaient de leurs voûtes antiques
Au séjour de leurs fondateurs.

UNE TROYENNE.

Cinquante fils, l'honneur de Troie,
Assis au banquet paternel,
Environnaient Priam de splendeur et de joie:
Heureux père, il croyait son bonheur éternel!

UNE AUTRE.

Royal espoir de ta famille,
Hector, tu prends le bouclier;

Sur ton sein la cuirasse brille,
Le fer couvre ton front guerrier.
Aux yeux d'Hécube, qui frissonne,
Dans les jeux obtiens la couronne,
Pour en couvrir ses cheveux blancs:
Du ciel allumant la colère,
Déjà le crime de ton frère
T'apprête des jeux plus sanglants.

UNE JEUNE FILLE.

Polyxène disait à ses jeunes compagnes:
Dépouillez ce vallon favorisé des cieux;
C'est pour nous que les fleurs naissent dans ces campagnes;
Le printemps sourit à nos jeux.
Elle ne disait pas: vous plaindrez ma misère
Sur ces bords où nos jours coulent dans les honneurs;
Elle ne disait pas: mon sang teindra la terre
Où je cueille aujourd'hui des fleurs.

CHOEUR.

D'un peuple d'exilés déplorable patrie,
Ton empire n'est plus et ta gloire est flétrie!

UNE TROYENNE.

Sous l'azur d'un beau ciel, qui promet d'heureux jours,
Quel est ce passager dont la nef couronnée
Dans un calme profond s'avance abandonnée
Au souffle des amours?

UNE AUTRE.

Il apporte dans nos murailles
Le carnage et les funérailles!
Neptune, au fond des mers que ton trident vengeur
Ouvre une tombe à l'adultère!
Et vous, dieux de l'Olympe, ordonnez au tonnerre
De dévorer le ravisseur.

UNE TROYENNE.

Mais non, le clairon sonne et le fer étincelle;

Je vois tomber les rocs, j'entends siffler les dards,
Dans les champs dévastés le sang au loin ruisselle,
Les chars sont heurtés par les chars.
Achille s'élance,
Il vole, tout fuit;
L'horreur le devance,
Le trépas le suit;
La crainte et la honte
Sont dans tous les yeux;
Hector seul affronte
Achille et les dieux.

UNE AUTRE.

Sur les restes d'Hector qu'on épanche une eau pure;
Apportez des parfums, faites fumer l'encens.
Autour de son bûcher vos sourds gémissements
Forment un douloureux murmure;
Ah! gémissez, Troyens! soldats, baignez de pleurs
Une cendre si chère!.....
Des fleurs, vierges, semez des fleurs!
Hector dans le tombeau précède son vieux père.

CHOEUR.

Des fleurs, vierges, semez des fleurs!
Hector dans le tombeau précède son vieux père.

UNE TROYENNE.

Ilion, Ilion, tu dors, et dans tes murs
Pyrrhus veille enflammé d'une cruelle joie;
Tels que des loups errants, par des sentiers obscurs,
Les Grecs viennent saisir leur proie.

UNE AUTRE.

Hélas! demain, à son retour,
Le soleil pour Argos ramènera le jour;
Mais il ne luira plus pour Troie.

UNE TROYENNE.

O détestable nuit! ô perfide sommeil!

D'où vient qu'autour de moi brille une clarté sombre?
Quels affreux hurlements se prolongent dans l'ombre!
Quel épouvantable réveil!

UNE JEUNE TROYENNE.

Sthénélus massacre mon frère.

UNE JEUNE TROYENNE.

Ajax poursuit ma sœur dans les bras de ma mère.

UNE AUTRE.

Ulysse foule aux pieds mon père.

UNE TROYENNE.

Nos palais sont détruits, nos temples ravagés;
Femmes, enfans, vieillards, sous le fer tout succombe.
Par un même trépas, dans une même tombe,
Tous les citoyens sont plongés.

UNE AUTRE.

Adieu, champs où fut Troie; adieu, terre chérie;
Et vous, mânes sacrés des héros et des rois,
Doux sommets de l'Ida, beau ciel de la patrie,
Adieu pour la dernière fois!

UNE TROYENNE.

Un jour, en parcourant la plage solitaire,
Des forêts le tigre indompté
Souillera de ses pas l'auguste sanctuaire,
Séjour de la divinité.

UNE TROYENNE.

Le pâtre de l'Ida, seul près d'un vieux portique,
Sous les rameaux sanglants du laurier domestique,
Où l'ombre de Priam semble gémir encor,
Cherchera des cités l'antique souveraine,
Tandis que le bélier bondira dans la plaine
Sur le tombeau d'Hector.

UNE AUTRE.

Et nous, tristes débris battus par les tempêtes,
La mer nous jettera sur quelque bord lointain.
Des vainqueurs nous verrons les fêtes;
Nous dresserons aux Grecs la table du festin.
Leurs épouses riront de notre obéissance;
Et dans les coupes d'or où buvaient nos aïeux,
Debout, nous verserons aux convives joyeux
Le vin, l'ivresse et l'arrogance.

UNE TROYENNE.

Chantez cette Ilion proscrite par les dieux;
Chantez, nous diront-ils, misérables captives,
Et que l'hymne troyen retentisse en ces lieux.
O fleuves d'Ilion, nous chantions sur vos rives,
Quand des murs de Priam les nombreux citoyens,
Enrichis dans la paix, triomphaient dans la guerre;
Mais les hymnes troyens
Ne retentiront plus sur la rive étrangère.

UNE AUTRE.

Si tu veux entendre nos chants,
Rends-nous, peuple cruel, nos époux et nos pères,
Nos enfants et nos frères!
Fais sortir Ilion de ses débris fumants!
Mais, puisque nul effort aujourd'hui ne peut rendre
La splendeur à Pergame en cendre,
La vie aux guerriers phrygiens,
Sans cesse nous voulons pleurer notre misère,
Et les hymnes troyens
Ne retentiront plus sur la rive étrangère.

CHOEUR.

Adieu, mânes sacrés des héros et des rois!
Adieu, terre chérie!
Doux sommets de l'Ida, beau ciel de la patrie,
Vous entendez nos chants pour la dernière fois.

NOVÆ
DE VARIETATE LECTIONUM
IN
TROADES
ANIMADVERSIONES.

1. *Quicumque.* MS. 8055, *quisquis;* idem v. 4, *si unquam* pro *non unquam*, et v. 6, *cecidit* pro *occidit.*

10. *Et qui renatum*, etc. Consentiunt omnes MSS. in hanc lectionem, « et qui renatum prorsus *excipiens* diem. » Solus 8029 exhibet *experiens* pro *excipiens.* Hic multum Hugoni Grotio debere profitetur Heins. qui verissima emendatione monuit legendum, « e. q. r. pronus exc. d. » nam, inquit, nemo tam paucarum literarum est, ut ignoret Orientem a Persis adorari solere.

13. *Excisa ferro est Pergamum*, etc. Nostram tuentur lectionem MSS. vett. Grut. H. Commel. Solus Fabric. edidit « excisa ferro est *Pergamos*, etc. » et prave.

22. *Stat avidus iræ*, etc. MSS. 8055, 8025, 8262, et alii, « stat avidus ira. »

31. *Quo stetit stante*, etc. Mire variant lectiones in h. l. MS. 8055, « quicumque stetit ante Ilium; » 8262, 8026, 6377, « quodque st. a. I. » Ad h. l. Gruter. « Bella ista, immo bellissima emendatio e MS. Lipsii, quare digna et mihi luce; etsi non addicerent auspicia librorum amicorum : præcipue quum vulgatum prius, « quodque stetit ante Ilion, » sensu careat, nedum venustate.

34. *Lymphato.* MSS. quidam, 8034, 8025, 8262, *lymphatico.*

39. *In vos.* Ægid. Maser. *in nos.*

46. *Æacidæ.* MSS. exhibent *Eacidæ.* Flor. *Æacis*, unde recte Gron. *Ajacis.* Sed non recte jungit « Ajacis armis, » et sic explicat : « Scelus ad aras majus Ajacis armis, id est, majus scelere, quod inter arma ad

aras patravit Ajax.» Quo quid fingi potest durius? Neque hue faciunt, quæ vir doctissimus affert, Obs. IV, 8. Distinguendum post *Ajacis*, ut ad ipsas aras majus admissum dicat scelus *Ajacis*, id est, Ajacis scelere, quali ellipsi nihil usitatius. Cicero, de Officiis, II, 25, §§ 2, 3: «Nam et corporis commoda cum externis, et externa *cum corporis*, et ipsa inter se corporis, et externa cum externis comparari solent. Cum externis *corporis* hoc modo comparantur: valere ut malis, quam dives esse. *Cum corporis* externa hoc modo, etc.» Noster Med. 749, si recte divinavimus: «Gravior *horum* pœua sedeat conjugis socero mei,» id est, pœna gravior horum pœna. Sic passim. Jamque intelligitur, τὸ *armis* pertinere ad *ferox*, et aptissime his verbis significari Neoptolemum potius, quam nomine appellari propterea, quod ejus nomen tanto odio est apud Hecubam, ut etiam pronuntiare palam vereatur. Infra juvenis Agamemnoni, 309:

> *Hac dextra* Achilli victimam reddam suam.
> Quam si negas retinesque, *majorem dabo*,
> *Dignamque, quam det Pyrrhus.* Et nimium diu
> A cæde nostra regia cessat manus,
> Paremque poscit Priamus.

Estne hoc «armis ferocis», et ejus in quem cadat quod Agamemnon ait, vs. 253:

> Juvenile vitium est *regere non posse impetum?*

Furentem cæde dicit Virgilius, Æn. II, 499. Cf. Dan. Heinsius infra ad 255.—Sequente versu malim «comis tortis,» ne duplice dativo ejusdem numeri offendamur. Mox Fern. non «e jugulo rediit,» ut vulgo; sed «e jugulo redit,» id est, *redît*, quod in versum quadrat. Vide Hercul. Fur. 49.

50. *Ensis senili jug.* etc. 8055 transposuit verba cum levi mutatione, «ensi senili e jugulo tinctus redit.» Alii prope omnes MSS. *siccus* mutant in *tinctus*. Hanc tuetur lect. Scalig. 8028, *tractus*.

53. *Quondam socrum*, etc. Pontanus non prætereundam dicit Anglicani scripturam, «quoddam sacrum.» Nam, inquit, sane sua et fatalis quædam vis ruenti huic urbi. Aspexit Petronius: «contraque Troas Troia invocant.» — *Testes sceleris*. 8029, «testes scelerum.»

56. *Non tamen superis sat est*. Fabric. nomen *superi* per parenthesim scribendum proponit: «non tamen (superi) sat est,» ut sit admirantis. Similiter Catullus «Heu mihi quid faciant (dii) homines, cuive habeant fidem?» — (Nos aliter in nostra Catulli editione legimus.)

57. *Dominum, ecce, Priami*, etc. Alii *donum*. Fabricius legendum conjecit *domum*: *domum* significat, ejus sensu, Priami filios, nepotes, nurus, qui essent forte inter victores superbos distribuendi. Cui nos non assentimur, et vulgatam prætulimus lectionem.

59. *Hic Hectoris conjugia despondet*, etc. Non, Hercules, *despondet*, sed *deposcit*; et ita liber Cruzerianus; suadentque sq. «Hic optat Heleni

conjugem, hic Antenoris, nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat. PORT. »

76. *Decumas secuit*, etc. MSS. omnes et vett. edd. inter quos Ægid « decies secuit. »

81. *Sequemur*, Ægid. Maser. *sequamur*.

84. *Solv. crinem.* Ægid. exhibet *crines*.

89. *Remissa.* Commemoraut alii omnes lect. hanc, *revulsa;* quæ in quo tandem libro exstet, cupiam edoceri. Nam quod Fabricii sic habere ait Lovaniensis, quo libro careo, Fabricius ipse laudat, tanquam a se perscriptum in sua editione, « veste remissa, » monetque tantum esse in aliis *revulsa*.

91. *Palla solutas.* Omnes MSS. cum Ægid. « palla soluta. »

95. *Redeunt vet.* Plerique MSS. et Ægid. *redeant;* inter omnes 8037, *videant*.

99. *Crinem.* Ægid. solus *crimen*.

100. *Coma demissa.* Nostræ lect. favet Grut. adversantibus Commelino et vett. edd. ubi invenitur *demisso*.

103. *Cadit ex humeris*, etc. Gronov. conjecit legendum « cadat ex humeris Vestis apertis: imumque tegat Suffulta latus. » Suspicor, inquit vir ille doctus, hæc verba esse Chori, non Hecubæ. Illa jam ante imperaverat, ut crinem solverent cineribusque aspergerent, ut veste pectora nudarent: ad prius respondent Iliades, v. 98: « solvimus crinem, etc. » ubi mentione cineris facta interloquitur Hecuba: « complete manus: hoc ex Troja Sompsisse licet. » Pergunt Iliades exsequi imperata priora, et vestem dejiciunt dicuntque simul: « cadit ex humeris Vestis apertis, imumque tegit Suffulta latus. » Rursus Hecuba: « Jam nuda vocant, etc. » Ita nobis certa videtur correctio, ut cum Badenio ei locum in textu dederimos. « Suffulta latus » est subligata. Auctor Moreti, v. 99: « Læva vestem setosa sub inguine folcit. »

104. *Imumque tegit.* MSS. omnes, « utrumque tegat: » sic Ægidius; sed servavit *tegit*.

105. *Vocant.* MS. 6377, *tegant*.

107. *Exprome, dolor, tuas.* Ægid. prætermisit *tuas*.

118. *Humerosque ferit.* Pontan. existimat legendum levi mutatione cum cod. Cantab. « humerosque gerit. »

123. *Funere.* Ægid. *funera*.

130. *Priamo vestros.* MSS. 6377, 8055, 8033, 8037 exhibent « Priamo nostro. » MSS. 8026, 8024 dant « Priamo vestro. » Ægidius hunc versum ita refinxit legendum: « vertice p. P. nostro. »

135. *Bis pulsata Dard. Pulsari*, quod est in vulgatis nihil habens unde dependeat, rejecimus. Nobis assentiuntur Fabr. et Delrius. Contra Bothius servare vult *pulsari*, metrici vitii causa.

138. *Regumque gregem.* MS. 6377, 8055, 8025, 8028, 8029, 8031, 8037, « regumque rogos. » 8026, prave sine dubio, dat « regnumque per rogos; » solus 8262, « regnumque thoros. »

146. *Victa.* Commel. *vincta.*

148. *Vidit.* MS. 8029, *videt.*

150. *Non Argolici*, etc. Vulgo libri :

Non ille duos *vidit* Atridas,

quasi nunquam vidisset illos Priamus. Flor. *videt*, « bene, » inquit Jacobus Gronovius, ubi supra : « nam sæpe vidit, sed non tali victoria superbos. » Sic etiam Ascensiana editio. Et sane, si alterutrum horum servandum sit, servabimus τὸ *videt.* Sed neque hoc sanum, nisi cui forte placeant ταυτολογικῶς composita *videt* et *cernit* in eadem oratione :

Non ille duos *videt* Atridas,
Nec fallacem *cernit* Ulyssem.

Fallor, an reliquit Tragicus :

Non ille duo *vilis* Atridas,
Nec fallacem cernit Ulixem.

Vilis, captivus, neque ullius pretii senex, oppositus ille quidem magnificis regibus, a quibus victus fuit, Agamemnoni et Menelao. Supra de se ipsa Hecuba, 58 : « Præda quem *vilis* sequar ? » Thyest. 996 : « Omnis in *vile hoc caput* Abeat procella. » *L* et *d*, itemque *s* et *t*, extremæ præsertim vocabulorum literæ, similes nonnumquam in MSS. Infra 163, Lips. et Flor. *tulit* pro *videt*, quod rectum, ut vel 160, conferenti liqueat, etc. Both.

159. *Nemoris tutis*, etc. Omnino verius *tutus* præfert Pont. ut ad Priamum, non ad umbras referatur, secundum lect. Cruzerian. et Cantab. et alios omnes MSS.

163. *Omnia secum*, etc. Duo codices *tulit*, cui hic nullus locus. Bene ad rem Claud. ab Opitio laudatus, V, vs. 19 :

Everso juvat orbe mori : solatia leto
Exitium commune dabit. Baden.

168. *Artus horridus quassat tremor.* Heinsius malit « artus horridos. » Vulgata confirmatur imitatione auctoris Octaviæ, vs. 735 : « Quatit ora et artus horridus nostros tremor. » Bad.

170. *Titan juga Stringebat : ortus* (sic antea) *vicerat noctem dies.* Gronovius notat in Florentino legi : « Stringebat ortu : vicerat noctem dies. » Confertque Justini 18 (cap. 3) : « Ubi vero dies adventare cœpit, editissimisque culminibus urbis Oriens splendere. » Nec dubitavi recipere, præsertim confirmatum a Seneca, Herc. Fur. v. 124. Bad.

172. *Concussa, totos*, etc. Sic Grut. at dissentiunt a Grutero Commel. Ægid. qui dant *sonos :* MSS. quoque *sonos*, at paullum mutato versu, « Concussa cæcos traxit ex imo sonos. »

174. *Nec sola tellus tremuit : et pontus.* Florentinus : « Nec terra solum tremuit, » quod glossema videtur. Singularem emphasin τοῦ *et*, plus

quam *etiam* significantis, jam observavit Burmannus ad Propert. II, 19, 31. Baden.

178. *Adesse Achillem sensit.* Florentinus *Achillen* : atque ita veteres enuntiasse, docet Heinsius ad Ovid. Amor. II, 18, 1, ubi eadem diversitas est. Baden. — Ægid. *Achillem.*

183. *Proludens.* Comm. *præludens.*

190. *Egitque habenas.* Vir doctus in margine editionis Fabricianæ conjicit « rexitque habenas. » Sed nihil opus est. Nam *agere* pro, gubernare vel, regere ponitur, ut apud Ovidium, Metam. II, 62 : « Non agat hos currus. » Ubi plura Burmannus, quem vide. Bad.

192. *Debitos manibus meis.* Grut. et Raphel. rejiciunt *meis*, ut e glossa irreptum, et reponunt « debitosque manibus. » Nos vulgatam sequimur.

193. *Non parvo luit.* Scaliger. et Dan. Heins. conjiciunt *luet.* Sic quoque plures MSS.

197. *Divisit diem.* Sic Grut. et Palat. fere omnes : MSS. autem Comm. et vulgati *dimisit*, male; nam præcessit, vs. 191 : « Implevit omne litus irati sonus, » diciturque eo loco Seneca exortas tenebras quo Achilles disparuit, ipsasque, ut fit, divisisse claram lucem.

200. *Junxit.* Fabr. *visit.*

206. *Impulsa Tr.* Bad. reposuit lectionem codicis Florentini : *impulsa*, labefactata est, sublato, qui fulciebat, Hectore. Nam, ut canit Horat. Od. II, 4, 10 :

> ademtus Hector
> Tradidit fessis leviora tolli, etc.

— *Adjecit.* Editi præter auctoritatem MSS. *objecit;* Comm. *abjecit;* Nos cum Grut. prætulimus *adjecit.*

213. *Exuens.* MSS. omnes *exuit.*

225. *Et nota fama.* Heins. *fama* in *famæ* mutans, non cogitabat, ait Bad. de Virgilio, qui Æneid. II, 21 : « Est in conspectu Tenedos, notissima fama Insula.»

226. *Fecunda*, etc. Hic versus deest in omnibus MSS. — *Nutrit.* Lipsian. et Mog. *mittit.* Mox Flor. et Delrii liber : *Et cara Phœbo*, ubi vulgo : *Et sacra.* Homerus, Iliad. I, 37 :

> Κλῦθί μευ, Ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,
> Κίλλαν τε ζαθέην, etc. Both.

231. *Sparsæ tot urbes.* Heins. mallet *stratæ*, ut Noster, infra v. 889 et 991, ac sæpius loquutus est. Sed hic *sparsæ* dicitur elegantius, ob sequentem turbinis comparationem. Bad.

235. *Ut alia sileam merita.* In Basil. ed. legitur, approbante Raphel. « ut alia sileam ; » hanc lect. rejecimus.—*Non unus*, etc. Heinsius rescribit « nonne unus satis Hector fuisset, » præter rem. Interrogat enim *non*, ut in hoc Ovid. Trist. III, 4, 24 : « Nam pennas ambo non habuere suas ? » ubi plura Burmann. Bad.

240. *Patruique Memnon.* Aliquot libri *pariterque.* Nostram adjuvat lectionem Lips. — *Parens.* MS. 6377, *pavente.*

244. *Tum sæva Amaz.* MSS. plerique, « tum versa; » 8026, « tandem versa Amazon; » 8029, « quum versa. » — *Dea.* Comm. et Lips. *diis;* male. Nam saltem dea genitus Memnon, uti et Achilles. Heinsius pro *sæva* conjectabat *Thressa.* Sed vera est recepta lectio.

247. *Placita nunc subito improbas?* Alio sensu Ægid. « placida nec subito probas? «

256. *Nobiles clari,* etc. Sic Florent. Ægid. aliique ex antiquioribus plurali numero usi : in quibusdam singulari numero « nobilem clari, etc. »

265. *Troja nos tumidos facit;* pro *tumidos* audacter et satis feliciter contra libros correxere aliqui *timidos,* probantibus Gruter. et Lips. nam, inquit Lipsius : « uterque affectus ab illa : ferocia, quia vicerant; timor, quia tam potens illa victa. »

269. *Dare.* Reponit Ægid. Maser. *dari.*

273. *Hæc rapiet,* etc. MS. 8024, totum vs. sic exhibet, « vinclo tegentem; c. h. r. » — MSS. fere omnes *rapit.* Fuit vir doctus, qui *levis* conjiceret. Vulgata firmatur dicto Sil. IV, 734 : « *Brevis* est magni fortuna favoris. « Bad.

275. *Nec mill. fors. ratibus.* Ægid. frustra conjecit legendum *manibus* pro *ratibus.*

280. *Arcuissem.* Ægid. et Commel. *arguissem;* vulgatam cum Lipsio prætulimus.

289. *Donum detur.* Commel. et Ægid. « dono detur. «

290. *Thalamos vocent? Non patiar.* Sic Both. Vulgo : « vocem non patiar. » Quasi intelligat Græcos faventes : nam et sequitur « culpa cunctorum. « Mox vulgares libri : « quando in inferias homo est impensus homini? « Sed Flor. *hominis,* quod fuisse puto *homini?,* id est, « homini est. » Certe hoc recepto et plene exauditur *homo,* vox gravissima, et elegantius collocatum est verbum substantivum. — Idem liber, monente Jacobo Gronovio, ubi supra ad 241 : quum *increvit* metus, non *increpuit,* ut vulgo, quod verbum minime huc facit, illud est aptissimum. Med. 943 :

> Ira pietatem fugat,
> Iramque pietas. Cede pietati, dolor!
> Huc, cara proles, unicum afflictæ domus
> Solamen, huc vos ferte, et infusos mihi
> Conjungite artus!....
> Rursus *increscit* dolor,
> Et fervet odium.

292. *Achillis.* MSS. 8024, 8028, *Achilli.*

305. *Subito.* Sic Basil. et alii MSS. Raphel. et Commel. *solito.*

307. *Hæc dextra Ach. victimam reddam suam.* Ad hunc locum Both. « victimam reddam suam. » Insuave ὁμοιοτέλευτον. Malim *reddo,* ut sæ-

pius pro futuro usurpatur, neque ineleganter, tempus præsens. Vide ad Plauti Bacch. 859.

308. *Quam si negas.* MS. 8055, prætermittit *si.*

318. *Clusus.* MSS. 8055, *ausus.* — *Atq. h. tremens.* Trito vocabulo versum 319 sic concinnandum proponit Both. « At non tremebat, etc. »

323. *Thessalicis.* Sic MSS. Comm. *Thessalis.*

331. *Virgines.* MSS. quidam pro *virgines* exhibent vs. 331 et 332, *virginem.* — *Et nunc*, etc. Sic Florent. acriore ironia, ut judicat Gronovius.

338. *His ista jactas.* Non bene, observat ad h. loc. Grut. qui, recisa litera, invehunt *jacta :* ita omnis perit vis, omnis venustas. Quam opinionem firmant edd. vett. et MSS.

339. *Scyrus.* Ægid. *Scyros.*

354. *Rati.* Sic vulg. Both. autem *ratis*, vitato, inquit, ὁμοιοτελεύτῳ, et forma orationis variata.

360. *Calcha.* Jacobus Gronov. in schedis Dietz. « Flor. *Calchas*, idemque *Pelias*, Med. 201. » Mox prava vulgo interpunctione :

> Sed quo jugari Thessalæ cultu solent,
> Ionidesve, vel Mycenææ nurus.
> Pyrrhus, etc.

Sequor laudatum Schrœdero J. Rutgersium, Var. Lection. VI, 17, 372. Mogunt. *turre de dura.* Fernand. Cai. Ascens. « quærunt dura reclusus (Ascens. *reclusum*) cadat. » Both.

376. *Tristis.* MSS. 8262 8055, 8026, *tristes.*

377. *Non prodest*, etc. MS. 8055, « Non prodest animum tradere cineri. »

384. *Cæruleis.* MS. Voss. *cæruleus.*

385. *Lavat.* MS. 8028, *levat.*

393. *Ut calidis*, etc. MS. Anglicanus apud Pontanum : *calidus fumus*, ut volebat Delrius. Idem liber et Cruserianus, itemque Fern. sequente versu : *sordibus.* Nihil muto. Mox vulgo edd. « Ut nubes gravidas, quas modo vidimus, » quum pridem recte hæc Avantius distinxisset. Both.

396. *Disjicit.* Al. *dissipat*, quod glossema est. Ov. Met. X, 179 : « ...oppositas disjecit pondere nubes. » MSS. 6377, 8026, etc. *dissipat* reponunt.

404. *Mors individua.* Heinsius tentabat *individuo;* quasi de atomis hic sermo esset, quæ philosophis « individua corpora » dicuntur. Recepimus cum Badenio interpretationem Gronovii : mors est labes corporis, quæ ab eo dividi et separari non potest.

409. *Laceratis comas.* Ægid. *manus* pro comas reposuit; sic fere omnes MSS.

417. *Tum obruta atque eversa, quodcumque accidit.* Dan. Heinsius scribit « tum obruta atque eversa Troja concidit, » mutato sensu, et addit : memento ut τὸ Troia τρισυλλάβως hic legas, quod vulgo non advertitur : ne in suas leges peccet Seneca.

418. *Fero.* MSS. omnes et Ægid. *feror.*

428. *Majus e magno.* Sic Gruter. et Fabric. MS. autem unus præbet hanc lectionem, « e malo malum : » ut Terentius, Eunuch. vs. 986 : « aliud ex alio malum. » Comm. scribit « majus e malo. »

431. *Stygis.* 8055, *Stygia;* 8026, 6377, etc. *Stygii.*

434. *Solisne retro*, etc. Ad h. l. Scalig. « ut hæc vulgo distinguuntur, nemo intelligit. Personarum vices turbatæ. » Ita distinguit :

SEN. Solisne retro pervium e. D. iter ?
Certe æqua m. e. AND. Turbat atque agitat Phrygas
Communis i. t.

Nos vulgatam anteposuimus sumusque sequuti.

436. *Hic proprie meum Exterret animum.* Heinsius fuse de eo loco agit : *terror*, inquit, superiori versu præcesserat, nec *proprie* satisfacit. Scribe :

Turbat atque agitat Phrygas
Communis ista terror. Hic propius meum
Exercet animum noctis horrendæ sopor.

Ista, non « iste communis terror : » mors nimirum; nam præcessit, « certe æqua mors est. » *Propius exercere* eleganter dictum, ut infra vs. 515 : « Levius solet timere, qui propius timet.

439. *Nox alma.* Heinsius proponit legendum *alta*, pro *alma.* Sed nihil opus est. Idem Seneca in Medea, v. 876 : « Nox condat *alma* lucem. »

447. *Nec cæde multa*, etc. MSS. fere omnes exhibent « nec cæde vasta qualis. »

449. *Intendens jubar*, etc. Legebatur antea *incendens*, quod expunxit Grut. hortantibus MSS. octo et vett. edd.

456. *Festina: amove.* Heinsius tolli vult distinctionem, ut *festina* sit adjectivum, et hic sensus : festina amoveto, propere amoveto. Per imperativum tamen modum infra vs. 630 dicitur : « perge, festina, attrahe. » Et apud Virgil. Æn. II, v. 373 :

Festinate, viri : nam quæ tam sera moratur
Segnities?

458. *Tremor somnum excutit.* Florentinus *expulit.* Sed alterum gravius ; et sic auctor Octaviæ, hunc locum imitatus, vs. 123 : « Tunc tremor et ingens excutit somnos pavor. » Ovidius in Ibin, vs. 158 :

tacitis ego noctis in umbris
Excutiam somnos, visus adesse, tuos.

Apuleius, Met. VIII, p. 159 : « velut quodam tormento inquieta quiete excussa. »

463. *Spes una Phrygibus.* Sic Grut. nam in primis editionibus legebatur *spes unica :* male.

464. *Sanguinis nimium incliti.* Heinsium *inclita* corrigere tentantem, bene refellit eruditus Anglus, in Miscell. Observ. I, 1, p. 68 : cujus libenter verba citamus : « Qua ratione puer jam *nimium inclita soboles* dici possit, non video. Quum vetus sanguis regum Trojanorum nimium in-

clitus invidiam et iram moverit Græcis, ut tentaverint omnem a stirpe excidere, et quia in puero jam Hectoris imago et indoles adpareret, hunc præcipue exstingnere voluerunt, ne ultor paternæ cædis superesset, et, ubi adolevisset, vices referret Græcis. Duo vero epitheta *vetus* et *inclitus* videntur non placuisse viro docto. Sed ignorare non debebat id millies factum. Vid. Giphan. Indic. Lucret. in epitheta geminata; Broukhous. ad Tibull. III, 22; Burman. ad Ovid. Metam. XV, 229, et infinitos alios. »

475. *Mei fati memor.* Grut. et Lips. scribunt *immemor :* sententia postulante *memor.* Nam revocat se a tam magnis et felicibus votis Andromache : et scio, inquit, aliud esse fatum Trojæ et Troum.

480. *Invidiæ capax.* Florentinus, « invidiæ gravis, » quod correctoris manum olet : « invidiæ capax » est invidiæ objecta, invidenda. Apud Ovidium, Epist. VII, vs. 120, Dido :

> Urbem constitui, lateque patentia fixi
> Mœnia, finitimis invidiosa locis.

486. *Opibusque magnis struxit*, etc. Comm. sic distinguit « opibusque magnis struxit in luctus suos, Rex non avarus. » Sed non opus est.

490. *Hæc causa multos*, etc. Hos versus sic interpungebat F. F. F. Raph. personarum ordine mutato :

> SEN. Hæc causa multos una ab interitu arcuit,
> Credi perisse : vix spei quidquam est super.
> Grave pondus illum magna nobilitas premit.
> AND. Ne prodat aliquis. SEN. Amove testes doli.
> AND. Si quæret hostis. SEN. Urbe in eversa perit.

498. *Occupet.* MS. 6377, *occupat.*

499. *Quæ regio*, etc. Hic Botheus : Malim : « quæ regio *seductum* invia Tuto reponet. » Ita *seductior* apud Persium. Infra 518 : « teque *diversam* amove. » Scriptum *seductu* ita degenerasse puto, ut passim *a* et *u* literæ miscentur. Longe lenius est *seposita* pars domus, Thyest. 231. Statim Flor. depravate : « *turrisque* latebras, » ut monet Jac. Gron. in schedis Dietz. et 522 *Cephallanum* (Fern. *cephelanus*), « dorice, » inquit Jacobus. Sic *Seleucenes* Justin. prol. 42. Herc. OEt. 777, *Caphereus*, 804, *Capherides.* » Alii tamen, *Caphareus*, *Capharides.*

509. *Tumulus.* Ægid. Maser. *tumulis.* Ad hunc locum vir doctus quidam, a Badenio citatus : « nescio, inquit, quid *tumulus* inter has personas faciat. » Melius esset, « vetulus, puer, captiva, » vel « famulus, puer, captiva. » *Famulus*, id est, senex ille servus.

512. *Tegunt.* Ægid. Maser. *tegant.*

521. *Tellurem, et Stygis.* MS. 6377, 8024, 8025, « tellurem Stygis. »

524. *Nectit pectore astus callidos.* Heinsio concinnius videtur « nectit pectore astus callido. » Sed dubitamus, an *astus* nude posuerit Seneca, quum apud eumdem legimus Hipp. 503, « *callidas* tantum feris Struxisse

fraudes novit. » Et OEdip. 668 : « Jamjam tenemus *callidi* socios *doli*. »

527. *Graiorum omnium*. MS. 8028, « gravior omnium. » Prave.

548. *Post hiem. decem*. MSS. omnes et Ægidius reponnnt « post annos decem. » Gruterus corrigit, « post annos decem totidemque menses; » quod indicare videtur obsessam fuisse Trojam undecim fere annis.

552. *Libera Gr. metu*. Ita quidem Lipsian. et Etruscus; sed modo legimus : « Magna res *Danaos* movet. » At, inquies, supra 448 similiter :

> Non qualis ultro bella in *Argivos* ferens,
> *Graias* petebat facibus Idæis rates,
> Nec cæde multa qualis in *Danaos* furens, etc.

Fateor, neque illum quoque locum mihi valde placere dico, sed ferendum esse, quia aic ibi omnes libri, quum hic cæteri præter istos duo præferant « libera nos hoc metu. » Reliquisse tragicum puto : « libera *nostros* metu, » quod explicantes adscripsere *Graios*. Virgilius, Æneid. II, 149 : *Noster eris*. Similes et pares numero ductus τῶν *nostros* et *nostro*. — MSS. omnes : « libera nos metu. »

554. *Hic cl. hæret*. Heinsius malebat *hac*, ut subintelligatur *causa*.

564. *Fortuna quæ possedit?* Expectaris *possidet*; sed similiter Herc. Fur. 629 : « regna *possedit* Lycus. » Herc. OEt. 1600, secundum editionem Caroli Fernandi antiquissimam : « *Passus* an pondus titubavit Atlas? » passus et adhuc patiens. Ovidius, Metam. I, 155 : « *possedit* cætera pontus. » Vide et ad locum similem Herculis OEtæi. Both.

565. *Vagus arva lustras*, etc. In MS. 8033 hi duo versus sic transponuntur :

> Vastus an patriæ vapor corripuit artus?
> Vagus arva lustras? sævus an, etc.

In cod. Cruser. legitur « notus an patriæ vapor, » haud absurde, inquit Pontanus.

577. *Nam mori*, etc. MS. 8026 pro *nam* reponit *jam*.

579. *Igni*, *morte*, *cruciatu*, etc. In quibusdam libb. legitur *mortis cruciatu*, quod valde vituperat Raphel. nam Ulysses non tam articulate pensitabat, ut mortem distingueret a cruciatu mortis; cui assentimur.

588. Variant hoc loco MSS. fere omnes et libri in dispositione versuum; vulgatam nos ut probabiliorem et sensu aptiorem servavimus.

595. *Invita*. MSS. omnes et Lips. *immiti*.

604. *Ut luce c. inter exst*. Libri dant « ut luce caret, ut inter. » Florent. et Ægid. *caruit* pro *caret*. Nos vulgatam retinuimus, ut habet edit. Paris. 1514.

608. *Danaidæ*, etc. Ad h. l. Botheus: Male edd. « Danaidæ credent tibi? » quasi de hoc Ulysses dubitet, cui facile quidquid credebant Græci. Imo temere sibi credituros dicit, nisi rem melius exploraverit : nam matri non habendam esse fidem. Similiter Herc. OEt. 1178 : « femi-

na Herculeæ necis Auctor feretur; auctor Alcides quibus?» Mox non male Fern. divisis verbis « jure jurando.»

609. *Fingit an quisq.* MS. 8026, « finget an quicquam pareus.»

615. *Et totum.* Flor. *Nunc totum.* Vid. ad Octav. 790.

624. *Me liquit.* Scal. mallet *deliquit;* λιποθυμίαν enim designat.

626. *Hac parte quærenda est.* Both. « hac parte *quærendum* est mihi.» Nam, inquit, quid quærenda? et quæ? Andromache, quæ adstat? Quis ita loquitur? aut quid huic simile habet, quod supra est, *Scrutare matrem?* — *Intremuit.* Quædam edd. *en tremuit.* MS. 8262, *en timuit.*

645. *Pars utra vincet?* MS. 8055, « pars irata vincit.» Ægid. *vincit.*

658. *Extrahas.* Ægid. *extrahes.*

659. *Hector est illic tuus.* Palat. *illinc.*

660. *Sensus.* Ægid. *sensu.*

666. *Traham sepulchra.* Cruser. «Traham sepulchrum.» Hanc lection. probat Pontan. vers. seq. « Pyrrhe, genitoris, etc.»

672. *Inermes offeram.* Heins. volebat *afferam.* Sed *offeram* exquisite dicitur pro *intentem*, ut apud Virgil. Æn. VI, 291: « strictamque aciem venientibus offert.»

679. *Flebilis clamor.* Non assentimur Heinsio *debilis* rescribenti. Apul. Metam. VIII, pag. 165: « quo dolore commota statim *fletu cum clamore* sublato maritum suum pastorem illum suppetiarum ciet.» Idem IX, pag. 195: « intolerabili dolore commotus, sublato flebili clamore.» Facit huc etiam illud Ciceronis in Verr. IV, § 39: « minitari absenti Diodoro: vociferari palam: lacrimas interdum vix tenere.»

682. *Repellor? heu me! rumpe*, etc. MSS. omnes: « repelle animum, rumpe.» Solus 8026, *carpe*, pro *rumpe* reponit. Ægid. Maser. « animum repelle.»

684. *Vel umbra satis est.* Grotius malit: « Vel umbra satis es.» Vulgata confirmatur ex Herc. OEt. v. 1962:

> Quid timuere tui manes, precor?
> Umbra quoque est Diti nimis horrida.

698. *Misero datur*, etc. Reformabat Lips. «Miseræ datur quodcumque, fortunæ datur,» quod textui indidit Raphel. non item Delrius, quamvis probet.

699. *Conj. sanctæ torus.* MS. 8029, « conj. sacræ torus.»

701. *Sic te juvenis excipiat tuus.* Heinsius, probante Burmanno ad Anthol. Lat. t. I, p. 305, emendat: « sic te juvenis exhibeat tuus, » et explicat: sic te reddat, exprimat tam animo, quam corpore. Sed hujus voti gratiam faciunt, quod sequitur: « transcendat ingenio patrem,» et Telemachi vox apud Homerum, Odyss. XVI, vs. 70:

> Πῶς γὰρ δὴ τὸν ξεῖνον ἐγὼν ὑποδέξομαι οἴκῳ; Baden.

705. *Solamen hoc est.* Multi codices *hic*, ex interpretatione scilicet.

717. *Si tua n. vulnera s.* Reponunt Fern. et Ald. *vulnera* pro *funera;* quæ verba non ita raro confunduntur, ut observavi in Vindiciis Ovid. ad

Metam. VI, 282. Cf. Octav. 944. Causa depravationis *f* et *v* literarum affinitas. BOTH.

724. *Qui perfracto lim.* MS. 8055, « Qui *fracto* inferi limine Ditis. »

730. *Hoc fuit illo v.* Ineptissime aut nullo sensu, ait Scal. quum scribere deberet Seneca, « Profuit illo victore capi. »

736. *Ferat.* Ægid. solus *feret.* — Vett. quædam edd. in his Fern. et Caj. *feret;* et paulo post rectius eædem : « spiritus genitor facit. » (nam vulgo : *facit?*) ut intelligamus, objectionem esse. BOTH.

745. *Sed nempe tractus. Fractus* est in Florentino, probatque Burmannus ad Ovid. Epist. I, vs. 86. Sed alterum invidiosius, et ipsum Homeri verbum de eodem, Iliad. XXII, vs. 465 :

ταχέες δέ μιν ἵπποι
ἕλκον ἀκηδέστως κοίλας ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.

744. *Facit.* MS. 8055, *fecit.*

760. *Legit.* Unus ex Gruter. codicibus, dabat *legat*, quod est ferendum; sed magis *ligot*, ut est in uno Pal.

763. *Ufinam.* MS. 8028, *nunc.*

766. *Fletus ærumnas levot.* Non debebat Heinsius *levat* in *levet* mutare. Vetus enim verbum est, « ærumnas fletu levari. » Ovidius, Trist. IV, 3, 48 : « Expletur lacrimis egeriturque dolor. » — *Fletus ærumnas levat.* MS. 8028, « luctus ærumnas levat. » 8025, *crimino* pro *ærumnas* exhibet.

769. *Timor.* Ægid. *tremor.*

778. *Stato.* MS. omnes *stotuto.*

779. *Lusus.* In omnibus MSS. legitur *lustri.*

789. *Caucede purvos*, etc. In Florentino est « concede paucos, » unde Heinsius, Advers. p. 22, probante Burmann. ad Prop. IV, 7, 25, conjiciebat « patulos oculos. »

792. *Liberos Troas vide.* Levi mutatione loci et verbi maluisset Scalig. « vise Troas liberos. » Sed non est opus.

798. *Premens.* Florent. *tenens*, ex interpolatione.

799. *Frangit, veh.* Heins. malit « frangit agitque, » quasi Seneca non usus fuisset altera formula. Phœn. 578 : « Mater triumphi *præda* fraterni *vehar.* »

805. *Jugo.* MSS. omnes cum Ægid. *viro.*

814. *Abripite.* Ægid. *arripite.*

821. *Gortyne.* MSS. *Cortyne.* In vulgatis, ait Botheus, legitur *Porva Gortyne*, quæ urbs in Creta insula, quam ipsam nominavit superiore versu. Bene itaque Gronovius : « Suspicor, inquit, fuisse *Porvo Gyrtone*, quæ Thessaliæ aut Perrhæbiæ urbs, *Gyrton* alias dicta, teste Stephano. Sed Homero quoque *Gyrtone.*

Οἳ δ' Ἄργισσαν ἔχον καὶ Γυρτώνην ἐνέμοντο.

Scholiastes Apollonii ad lib. I : Γυρτῶνα, ἣν Ὅμηρός φησι Γυρτώνην· ἔστι δὲ πόλις Θεσσαλίας ἢ Περῥαιβίας· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Γυρτώνης τῆς Φλεγύου. »

823. *Frequens ruscis.* In libro opt. et duobus Delrii, pro *ruscis* invenitur *rivis*. Bad. — *Mothone.* Ægid. Maser. *Methone.*

828. *Virgini.* Sequuti sumus Florentinum codicem, quum vulgo libri habeant *virginis*. Solutum spondeum in sapphico 837 non magis mirabere quam contractum dactylum supra 825, memor a nobis monitorum de hujusmodi licentiis ad OEdip. 728. Both.

837. *Vorii lapidis.* Frustra Avantius in Ald. *rori lapidis.*

840. *Colydnæ.* Statim pro *Calydnæ*, quæ Etrusci lectio est, MS. Delrii *Echinæ*, et id pridem dederat Ascensius; quod fugit virum eruditissimum. Conf. Nic. Heins. ad Ovid. Amor. II, 81, qui *Calydnæ* præfert. Echinæ sunt insulæ Echinades, quas ἀπὸ Ἐχίνου μάντεώς τινος appellatas testatur Steph. Byz. Urbs cognominis fuit etiam in Arcadia. Lectio *Echydnæ* nihili est.

842. *Quæque form. Boreon Enispe.* MS. 6377 hanc lectionem exhibet: « Quæque formidant Borean *et ripæ*. »

846. *Aut fero not. Cal.* Withofius, Præmet. Cruc. Crit. p. 199, corrigere tentabat, « Aut feret fatum Calydona servas : » quod bene refellit Dorvillius ad Charit. p. 707. Verba ejus ipsa posuimus : « Duriora occurrunt, si modo duri quidquam iste locus habet. Mihi secus videtur. Accusativi et alii casus sæpe a remotis vocabulis pendent vel intellectis; ex. gr. in Propert. III, 21, 37 legas:

> Arboreasque cruces Sinis et non hospita Graiis
> Saxa, et curvatas in sua fata trabes.

Ubi sive *Sinis* sit nominativi, sive patrii casus, semper verbum vix inveneris in superioribus, cui *arboreas cruces*, *saxa*, *curvatas trabes* connectas commode : nam *nec valuit* qui conveniat? Ut tria verba adhuc faciam circa tragici loca : mihi in *Calydone* non intempestivius memorari videtur *aper*, *fera illo sæva*, quam in *Elide coronæ Olympiacæ*, vel in *Carysto varium marmor*, vel in *Enispe Boreas*. Quod objicitur : Non (*ventos*) *feras*, sed *dominos tyrannos* metuisse Troades, etiam huic ῥήσει applicari posset : et Eleusis nota satis sine periphrasi. Solent poetæ in recensendis locis, tædii et sterilitatis vitandæ causâ, ea singula suis commendare dotibus : id hic Seneca facundissime præstitit, excepto in uno oppido *Pharis*, nulla re famoso. Intempestivissime autem et inconcinne hic *servas* interponitur. Non enim hic magis, quam ad cujusvis alius loci mentionem, id vocabuli necesse erat intrudere. Plane fulciendi et supplendi versus gratia, quasi nequisset id eleganti epitheto facere poeta, hic compararet. Semel in principio Chori se *captas* Troades vocarunt : semel in fine hujus poeticæ dilationis se vocarunt *miseros*. Id sufficit. »

847. *Perfundit.* Sic Traj. et Paris. Alii, *profundit.*

869. *Fallatur.* MSS. fere omnes, *fidenter*. Colon. *fidantur*. Nuper editi *follotur*, quos sequuti sumus.

871. *Auctores*. Ed. prim. *auctorem*, sed non adstipulantibus chirographis. MS. 8024, *actores*.

879. *Patent*. MSS. omnes et Ægid. *jacent*.

881. *Thetis*. Cruser. *tenens*.

898. *Lenta pr*. Multi codd. *læta*.

899. *Voti*. MSS. omnes, *votis*.

903. *Celebrate dig*. Comm. Gruter. Lips. ponunt punctum post *celebrate*, et jungunt *digne* cum *planet*. etc. omisso puncto. Vett. edd. *digni*. Apud interpp. et in aliquot MSS. legitur « celebrate digna digne : planctus, » male.

904. *Flecti*. Omnes MSS. *necti*.

905. *Magnus dolor, sociasque nonnumquam*. MS. 8055, « Magnusque dolor socios nonnumquam. »

923. *Iratum*. Vulgat. tuentur fere omnes MSS. reponunt autem Comm. et Lips. *irritum*.

933. *Altum vad*. Hunc ad locum ita Gron. Mare, inquit, potius speculatur quam sinus suos Sigeum. Florent. *vadoso sinus*. Lege : « latere quas scisso levat Altum vadoso Sigion spectans sinu. » Nam ipsum mare *altum* vocat. *Vadosa sinu*, quia Simois et Scamander concurrentes in campis multum terræ hauriunt, cæcumque os et lacus marinos et paludem efficiunt circa Sigeum, teste Strabone, lib. XIII.

937. *Exprome, et unum*. Alii, « Exprome etiam nunc. » Ægid. « Etiam hoc. »

938. *Mortem vides*. MS. 8055, *morte vides*.

943. *Polyxene*. Comm. *Palyxena*.

945. *Maritus*. MS. 8377, *maritum*. — *Vide, ut an*. Scribunt Lips. et Fabric. *Viden' animus*.

953. *Quam tenuis anima*. Sic Gruter. Exhibet Comm. cum MSS. et edd. *animæ*.

961. *Sola nunc hæc est*. MSS. 8262, 8026, « sola nunc est super. » 8055, « sola jam nunc est super. » 8031, « sola nunc hoc est super. »

965. *Elabere anima : denique*. Vividior, ait Grut. videbitur sententia reformata interpunctione, « Elabere anima denique, etc. »

972. *Patriis*. MS. 6377, *patris*.

973. *Sortem scias*. MSS. fere omnes cum Commel. et Ægid. exhibent *sortem scies*. MS. 8026 *mortem* pro *sortem* dat.

976. *Cui famula tradar, ede*. Ad hunc locum Botheus: Vulgo : *tradar, ede ;* quod languidius. Vid. ad Hippol. 859. Jacobus Gronov. in schedis Dietz. « *Trador*, ut *voco*. Muncker. ad Hygin. fab. 220, ubi nota Quintilianum. » Sic passim præsens ponitur pro futuro. Idem codex sequente versu *sorti*, non *sorte*.

982. *Impotens*. Libri quidam et Ægid. *patens*.

983. *Regibus reges dedit*. Sunt qui conjiciunt : « regibus haud reges dedit, » sed male.

995. *Sequuntur*. Pal. aliquot et Grut. habent *sequantur*, ut sit optantis. Cæteri, *sequuntur*.

998. *Interim hoc pœnæ loco est.* Nonnulli : « interim hoc pœnæ in loco est. »

1004. *Abreptam trahe.* Nostram lect. sic reprehendit Botheus : « Male edd. vulgatæ, *abreptam trahe*, quasi abripi jubente Polyxenam Hecuba, quæ ipsa interfici a Pyrrho cupit. Nec scio, qua auctoritate legatur *trahe*, vel *trahite*, quod est in Delriana, nisi quod illud habet Cruser. apud Pontanum. »

1006. *Quid precer vobis?* Comm. *quid preces v.*

1009. *Meæ precabor*, etc. Post hunc versum reponi vult Scalig. vs. 1006 et seq.

1010. *Dulce mœrenti populus dolentum.* MS. 8055, « Dulce mœrere populo dol. »

1013. *Lentius.* Vulg. olim et Commel. *lenius*, male.

1014. *Dolor est malignus.* MSS. et vett. edd. cum Grutero et Ægid. male habent *dolor et magnus.*

1016. *Placuisse.* Vulg. olim *patuisse.*

1023. *Jacentes.* MS. 8029 et aliquot membranæ vitiose habent *recentes*, quod est alga vilius, inquit Grut.

1035. *Hellen.* Ægid. mutata litera ultima, *Hellem.*

1040. *Pyrrhe.* Cum Ægid. *Pyrrha* exhibet Raphel. etsi hanc lectionem vituperet.

1042. *Relicti.* Pont. adjutus cod. Cantab. leg. proponit *relictis.*

1043. *Solvet hunc cœtum.* Sic interpp. et MSS. nostram non comprobant lectionem Comm. Scalig. et Grut. qui reponunt *hunc questum.*

1057. *O dira.* MSS. omnes cum Ægid. *o dura.* — *Miseranda.* MS. 8026, *monstrifera.* — *Horrida.* MS. 8029, *horrenda.*

1058. *Bis quinis.* MSS. fere omnes *bis senis.*

1067. *Gaudet magnus.* MSS. 8028, 8026, etc. et Ægid. « gaudet animus æг. meus. »

1077. *Affusa.* Commel. et Scal. *effusa.*

1082. *Fagus gerit.* MSS. fere omnes *tegit* cum Lips. et Ægid.

1086. *Saxum immin.* Vulgatam non refuto lect. inquit Pontau. quamquam olim in Cantab. servari indicavimus *saxum petens*, licet locum non habeat ob proxime præcedens *petit;* vide tamen si fuerit : « saxum patens Muri cadentis pressat. »

1093. *Acres tulit.* MS. 8055, *acies tulit.*

1098. *Dextra prensus.* An *prensus* tantum? immo *pressus.* Et hoc asserit Cruser. Pontan.

1103. *Desiluit.* Sic Delr. at Raphel. *dissiluit.*

1104. *In media Priami regna.* Editt. quidam libb. adtexunt *non trepidus puer*, quorum nec vola, nec vestigium in plutealiis libris aut edd. antiq.

1116. *Impulsu.* MSS. omnes cum Grut. Ægid. *incursu.* Lips. et Commel. *incussu.*

1129. *Odit scelus, spectatque.* In Cantab. « odit scelus, peccatque. »

1135. *Tali nubat Hermiane moda.* Sic MSS. Paris. et Basil. At Raph. et Comm. *face* pro *moda* reponunt.

1136. *Tenet.* MS. quidam, *manet.*

1145. *Et fere cuncti magis Peritura*, etc. Sic egregie restituit, detracta litera, Lips. quum repræsentarent MSS. *Perituram.* Alia mutata litera, legendum proponit Grut. « ut fere cuncti magis Peritura. »

1156. *Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit.* Heinsius ad Sil. Ital. V, 307, malebat *exactum.* Sed nihil opus. Nam ita Quintilianus, Inst. Orat. VI, 4, 8, « prope sub conatu adversarii manus exigenda : » ubi vide Burmannum. Nihilo magis necesse est *penitus* corrigere *pectori*, ut idem Heinsius facit. Seneca enim illud variavit Maronis Æn. X, vs. 816 : « exigit ensem Per medium Æneas juvenem, totumque recondit. »

1164. *Obduxit statim.* Multi codd. *abduxit.* Vulgata defenditur a Mureto, Var. Lect. IX, 10.

1172. *An omnia? an me?* etc. Hujus loci interpunctionem mutabat Heinsius in hunc modum :

> An omnia? an me sola? Mors, votum meum,
> Infantibus violenta, virginibus venis.
> Ubicumque properas, sæva.

Illud bene observavit, *ubicumque* positum esse pro, *ubique.* Conf. de hoc usu vocis ipsum ad Ovid. Art. Amator. II, vs. 627. De hoc loco Both. « An omnia? an me? sola mors votum meum. Infantibus, etc. » Sed in sola veterum edd. Ascensiana ita distinguitur post *meum*; et illa quidem : *votum mihi.* Fern. « An omnia? an meme soleam? mors votum meum, Inf. » et recte, quod ad interpunctionem attinet; qua usurpata intelligitur, id quod obscurum est in vulgatis libris, quemnam compellet Hecuba verbis *Infantibus violenta*, etc. Med. 119 : « sedibus salam exteris Deserere. » Et sic passim.

1173. *Infantibus*, etc. Hæc bona distinctio : *violenta infantibus*, propter præcipitatum Astyanactem : *sæva virginibus*, propter Polyxenam occisam, Cassandram captam et reliquas captivas.

1178. *Quam prope a Priamo steti!* Abrupta hæc sine ratione perspicua, ut malim :

> Non hostis, aut ruina, non ignis meos
> Absumsit artus, quæ prope a Priamo steti.

Meos artus, quæ steti per synthesin, de qua vid. inter alia G. J. Vossii Append. Syntaxeos lat. pag. 95. Both.

1180. *Jam vela puppis laxat.* MS. 6277, *vexat.* — *Classis.* Ægid. *classem.*



MEDEA.

DRAMATIS PERSONÆ.

MEDEA.
JASON.
CREON.
NUTRIX.
CHORUS CORINTHIORUM.
NUNTIUS.

ARGUMENTUM.

Jason cum uxore et liberis post interfectum Peliam Corinthi exsulabat. Ubi quum Creon rex illum generum elegisset, Medea res suas sibi habere a marito, ab rege aliud exsilium quærere jubetur. Illa, unius diei impetrata mora, Creusæ sponsæ pallam et monile magicis infecta venenis mittit : quibus indutis, ignem corripuit palla, misereque nova nupta, una cum patre in natæ auxilium accurrente, combusta est; Medea denique, filiis, quos Jasoni pepererat, in patris conspectu trucidatis, per aera aufugit.

Scena Corinthi.

L. ANNÆI SENECÆ
MEDEA.

ACTUS PRIMUS.

MEDEA*.

Dii conjugales, tuque genialis tori

* Imitatur Noster Euripidis drama maxime omnium æquale, et elaboratum, adeo ut nec esse illius critici antiqui suspicati sint. Quod ad argumentum vero, plurimum permisit sibi: neque enim usus fuit τῇ κειμένῃ πράξει, quod plerumque solent tragici, sed aut immutavit pleraque, aut effinxit. Sane ab antiquorum plerisque discessit, et in iis præsertim quæ de liberorum cæde; quod Corinthiorum gratiæ dedisse existimatur, quos istius facti tum adhuc invidia premebat. Chorus hic e viris, ibi e feminis Corinthiorum: ibi omnes (Chori) summo artificio argumentum promovent, et ex ipsa re sunt petiti. Hic duo συναγωνίζονται, et serviunt subjecto: epithalamium, quod Corinthii canunt, et qui est de vesania Medeæ: medii duo, satis longe sunt petiti; non enim tum navigabat Jason. Etiam ἦθος Medeæ ex parte servat, quamvis Græcus, meo quidem sensu, vicit: admiranda enim ibi est δριμύτης illa: pessima enim indoles, non quæ erumpit læsa, sed quæ fallit. Ovidius quoque in epistola Medeæ longe magis et sedatum et æquale dedit: quod et in tragœdia fecisse verisimile est. Meliore etiam consilio inter iram ejus manifestam et dissimulationem, duos Choros inserit: hic vero subito mutatur: cætera eruditi contendant. Heins. — Medeas multi scripserunt. Apud Græcos occurrunt Eubulus, Strattis et Cantharus, sed horum Medeæ comœdiæ fuerunt. Tragœdias hoc nomine quidem composuerunt græce Euripides (quam nonnulli Nicophroni adscribunt), Herillus, Diogenes, Philiscus et Demologus; latine vero Ennius, Attius, Pacuvius, Varro et Ovidius. Quod attinet ad nostrates, vide quæ subjecerimus ad calcem hujus tragœdiæ.

Act. I, sc. 1. Medea deserta Superos Inferosque Jasonis ultores invocat.

1. *Dii conjugales.* Jupiter et Juno

Lucina custos, quæque domituram freta
Tiphyn novam frenare docuisti ratem,
Et tu profundi sæve dominator maris,
Clarumque Titan dividens orbi diem,
Tacitisque præbens conscium sacris jubar,
Hecate triformis, quosque juravit mihi
Deos Jason, quosque Medeæ magis
Fas est precari, noctis æternæ chaos,
Aversa Superis regna, Manesque impios,
Dominumque regni tristis, et dominam fide

γαμήλιοι, seu τέλειοι. — Πειθώ, seu *Suada*, nuptiarum conciliatrix, pronuba. — *Diana*, sive *Lucina*, de qua mox vs. sq. Venus γενετυλλίς, genituræ domina. — *Genius* (qui quod una natus sit natosque tueatur, vel quod, ut generemur, curet, a gignendo nomen habet), et *Hymenæus*, nuptiarum præses. Farn.

2. *Lucina.* Nihil melius explicat, quam locus Ovid. Fast. II, 449 sq. « dedit hæc tibi nomina lucus, Aut quia principium tu Dea lucis habes. » Ad pariendum autem conferre credebatur luna. — *Quæque*, Minerva. — *Domituram*, etc. Val. Flaccus, I, 600 sq. « Graia novam ferro molem commenta juventus Pergit et ingenti gaudens *domat* æquora velo. » —Vide Animadv.

3. *Tiphyn.* Gubernatorem navis in Argonautica expeditione. — *Novam ratem.* Ea est, ut ait Ovidius, Trist. III, 9, 7 sq. « quæ cura pugnacis facta Minervæ Per non tentatas prima cucurrit aquas. » — *Frenare*, regere. Val. Flaccus, I, 22: « Hæmoniam primis Pelias *frenabat* ab annis. » Baden.

4. *Et tu*, Neptune.

5. *Titan*, Sol, fili Hyperionis, qui unus e Titanibus. — *Dividens orbi diem.* Alternis vicibus utrumque hemisphærium illuminans.

6. *Tacitis sacris.* Noctu et in locis secretis fieri solitis, magicis, necromanticis. Horat. Epod. v, vs. 51: « Diana, quæ silentium regis, Arcana quum fiunt sacra. »

7. *Quosque jur. mihi*, etc. Apollodor. de Medea, lib. I: Ἥδε, ὡς τε ὤμοσεν Ἰάσων θεοὺς ἐπικαλεσαμένη.

8. *Medeæ magis Fas est*, infernis sacris initiatæ. —Vide Animadv.

9. *Chaos.* Vid. nos in Herc. Fur. 610, vol. I, pag. 73.

10. *Aversa Superis regna*, regiones procul a Superorum sedibus remotas. — *Manesque impias.* Interpretantur umbras, seu animas impiorum corpore exutas. At *manes impii* sunt inferi, immisericordes, qui nemini parcunt, omnes ad se trahunt. Ut Horatio, Epod. v, vs. 13: « Impube corpus, quale posset impia Mollire Thracum pectora. » Sic contra *pius*, clemens, et *pietas*, clementia. Gron.

11. *Dominumque*, Plutonem. — *Dominam*, Proserpinam.

Meliore raptam, voce non fausta precor:
Nunc, nunc adeste sceleris ultrices Deæ,
Crinem solutis squalidæ serpentibus,
Atram cruentis manibus amplexæ facem,
Adeste; thalamis horridæ quondam meis
Quales stetistis. Conjugi letum novæ,
Letumque socero et regiæ stirpi date:
Mihi pejus aliquid, quod precer sponso malum:
Vivat: per urbes erret ignotas egens,
Exsul, pavens, invisus, incerti laris:

12. *Fide meliore rapt.* Raptam Pluto uxorem duxit, duetam uou repudiavit nnquam, ut Jasou Medeam. — *Non fausta*, ut quæ mala ultiouemque arcessat.

13. *Nunc, nunc adeste*, iu pœnam perjuri conjugis mei. Similiter iu Herc. Fur. vs, 498: « Nunc, uuuc cruentæ regis Ægypti uurus Adeste. » — *Ultrices.* Eumenides, Pœnæ, etc. Cf. Hercul. Fur. vs. 101, et ibi uotam.

14. *Crinem solutis squalidæ*, etc. Eu habitum quo Furiæ depingebautur: vetulæ, caput anguibus pro capillitio cinctæ, sanguiueam mauu facem gestantes et flagellum. Primus illis Æschylus augues attribuit, mox cæteri. Catull. Carm. LXIV, vs. 193 (uost. ed. pag. 259): « Eumeuides, quibus anguiueo redimita capillo Frons exspirautes præportat pectoris iras. »

16. *Thalamis horridæ*, ete. Nuptiis infausti exitus furias statuuut auspices et prouubas. Ovid. Hypsip. vs. 45: « Nsm mihi uec Juno, nec Hymen, sed tristis Erinuys Prætulit infaustas sauguinoleuta comas. »

17. *Conjugi novæ*, nempe Creusæ.

18. *Soc.* Creonti illiusque stirpi.

19. *Mihi pejus*, etc. Asseutimur fere Scbrœdero, omissis cæterorum coujectatiouibus. Ille scilicet ait: « Ne conjecturis levibus subscribam, puto simpliciter explicaudum: Vos quidem, Eumenides deæ, novam conjugem, socerum et regiam stirpem e medio tollatis: at mihi coucedite, ut imprecer sponso malum, simplici morte gravius quod sit: vivat, etc. » Ambiguitas iu verbo *dandi*, quod hic ex priore versu tacite repetitum, *veniam dandi*, sive *concedendi*, significatiouem iuvolvit. Sie ueque pessimi ominis fuerit, ita eoucipere preces, date mihi malum; quum non sui respectu, sed Jasouis, cui male vult, id precetur Medea. Simplicior tamen uobis videtur Badenii interpretatio, qui τὸ *est* omissum fuisse putat, per ellipsin satis frequentem, ita ut sensus sit: « mihi est, habeo pejus aliquid, etc. » Sic in Agam. vs. 970: « Justa parenti satis, at iratæ parum. » Vid. Anim.

21. *Incerti laris*, sedis iucertæ, domicilium certum nusquam habens.

Me conjugem optet; limen alienum expetat,
Jam notus hospes : quoque non aliud queam
Pejus precari, liberos similes patri,
Similesque matri : parta jam, parta ultio est :
Peperi. Querelas, verbaque incassum sero.

23. *Jam notus hospes.* Namque et Corinthi apud Creontem hospes est. Propert. II, 19, 30 : « Parvo dilexit spatio Minoida Theseus, Phyllida Demophoon ; « hospes uterque malus. » — *Quoque.* Quæ res est, præ qua.

24. *Similes patri.* Perfidos.

25. *Similesque matri.* Veneficos, crudeles. — Tenendum nempe, ita induci Medeam, ut quæ sese flagitiis inquinatam non neget, sed ea imputet marito, in cujus gratiam perpetrata essent, sic vs. 280 : « Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi. » Cf. item vs. 135 sq.

26. *Parta jam, parta ultio est. Peperi.* Ad mentionem liberorum, sic exclamat, *Peperi*, id est, habeo liberos ex ipso per quos punietur, haud dubie futuros patri matrique similes, id est, proditores ac desertores : ut ille conjugia, sic patris. Hactenus enim tum et nihil gravius cogitabat; necdum ei in mentem venerat, ut sua manu illos trucidaret. Nihilominus facit hoc ei verbum accidere Seneca adhuc ignaræ, quasi omen futuræ cædis. Statim tamen quasi tarda sit illa vindicta et inane gaudium, increpat se frustra querentem : quamvis nihil ultra proficiat, nisi quod intelligit spem vindictæ unicam esse in ipsa sibi, et sibi faciendam esse. Quam autem viam et rationem ulciscendi velit tentare, hoc nondum cantico exspectat. Raderus mavult ad liberos ex Creusa gignendos referre. Sed *Similesque matri* non convenit Creusæ, quæ nullo scelere infamabatur : dein isti jam optaverat letum, priusquam pareret. Corrigit idem *reperi.* At nondum repererat, sed quasi infimum tetigerat gradum struendi sceleris. Et illa ipsa, « parta jam, parta ultio est : Peperi », pars sunt inanium querelarum. Itaque nec in illis, quæ sequuntur quidquam certi, sed vagæ comminationes, et prolusio gravis quidem iræ, sed quo vergat, nondum decernentis. Pariter ominosa sunt vs. 32, *curribus patriis;* et vs. 39, *fax pronuba* cum *sacrificis precibus* et *supplicium per viscera :* in quibus aliquid desidero in interpretibus : sic enim loquuntur, quasi directo Medea innuat intelligatque medicatum ignem, et incantationes, et liberos occidendos. At ars est poetæ jubentis eam adhuc ignaram imprudentemque et nondum intelligentem, quid ominetur, præsagire, et turbatam dictitare, quod futuris ejus consiliis congruit, etsi nondum ipsa verbis hos sensus imponat. Nam currus petit, non tanquam abducturos se post scelus peractum, sed, quasi Phaethon, orbem terrarum, Corinthum et Isthmum crematura. At vs. 39 intelligit : Restat, ut ego quoque his nuptiis aliquid solemnitatis addam,

Non ibo in hostes? manibus excutiam faces,
Cæloque lucem? spectat hoc nostri sator
Sol generis! et spectatur, et curru insidens
Per solita puri spatia decurrit poli!
Non redit in ortus, et remetitur diem?
Da, da per auras curribus patriis vehi:
Committe habenas, genitor, et flagrantibus
Ignifera loris tribue moderari juga.
Gemino Corinthos litori opponens moras,

et efficiam, nt celebriores sint mea vindicta. Denique « per viscera quære supplicio viam, » est, vel peri, dnm perdas; ut Clytæmuestra in Agam. vs. 200: « per tuum, si aliter neqnit, Latus exigatur ensis, et perimat dnos. » Tantum intelligit personam quæ loquitur. Sed poeta, observans vim naturæ et animi in præsagiendo quod instat, ejusmodi verbis hanc mentem ejus explicat, quæ etiam significare possint, quod illa postquam deliberavit et explorata habebit consilia, peractura est. Gronov.

27. *Hostes.* Creontem, Creusam, Jasonem. — *Manibus excut. faces.* Ex manibus δᾳδούχων illas Creusæ nnptiis præferentium; de facibns vss. 263 et 507. — Apud Romanos solebant δᾳδουχεῖν, hoc est, faces præferebant pueri patrimi matrimique, easque nnmero quinqne. Festus: « Facem in nnptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque spargebatur nova nnpta; sive ut casta puraque ad virum veniret, sive nt ignem atqne aquam cum viro communicaret. » Idem Festus: « Rapi solet fax, qua prælncente nova nnpta dedncta est, ab utrisque amicis; ne ant uxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulcro eam comburendam curet: quo ntroque mors propinqua alterius utrins captari putatur. »

28. *Cæloque lucem?* Inducamque exstinctis facibus tenebras? — *Nostri sator.* Æetes enim Medeæ pater fnit Solis ex Persa, Neptuni filia, natns.

29. *Et spectatur.* Annon horrens refugit, vultusque snos tegit? — *Puri.* Non mutati, nulla nnbe macnlati, nec in ortum redenntis, nt in scelere Thyestæo? Vid. Thyest. 793 sqq. 995, passim (edit. nostr. tom. I, pag. 321). Vid. Animadv.

32. *Patriis.* Avitis, ut Phaethonta quondam paterno cnrru.

33. *Committe*, scil. mihi.

34. *Ignifera juga.* Equos Solis ignipedes, flammivomos.

35. *Corinthos*, græce pro, *Corinthus.* Urbs est in qua Creon, Jason, Creusa nnnc habitant. — *Litori opponens moras.* Eodem sensn Lucan. I, v. 100 sq. « ...nndas Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos, Nec patitnr conferre fretum; si terra recedat, Ionium Ægeo frangat mare. » — *Litori.* Vid. Animadv.

Cremata flammis maria committet duo.
Hoc restat unum : pronubam thalamo feram
Ut ipsa pinum; postque sacrificas preces
Cædam dicatis victimas altaribus.
Per viscera ipsa quære supplicio viam,
Si vivis, anime : si quid antiqui tibi
Remanet vigoris, pelle femineos metus,
Et inhospitalem Caucasum mente indue.
Quodcumque vidit Phasis aut Pontus nefas,
Videbit Isthmos : effera, ignota, horrida,
Tremenda cælo pariter ac terris mala,
Mens intus agitat; vulnera, et cædem, et vagum
Funus per artus : levia memoravi nimis.
Hæc virgo feci; gravior exsurgat dolor:
Majora jam me scelera post partus decent.
Accingere ira, teque in exitium para

36. *Committet*, maria conjunget.

37. *Hoc restat unum*, scilic. ut feram ipsa, etc.

38. *Pinum*. Tædam pineam.

41. *Si vivis*. Si quid spiras vividum generosumque. Se ad vindictam incitat.

43. *Caucasum indue*, i. e. feritatem et crudelitatem Heniochorum et Scytharum qui ad Caucasum : nam illi solent hospites mactare. Thyest. vs. 1046.

44. *Quodcumque vidit*, etc. Tale hic in Corintho patrabo facinus, quale olim in Colchide, cujus Phasis fluvius est, quæque regio Ponto contermina : ubi scilicet fratrem Absyrtum discerpsi dispersique, ut patri me insequenti moram injicerem, dum artus dissipatos colligeret.—*Pontus*. Euxinus, per antiphrasim : quum prius ob incolarum immanem crudelitatem, ἄξενος diceretur. Vide Ammian. Marcell. lib. XXII.

46. *Cælo ac terris*. Diis et hominibus abominanda.

47. *Vagum Funus per artus*. Funus vagum, quia colligendum fuit, dispersis longe lateque Absyrti lacerati membris.

48. *Levia* junge cum *nimis*.

49. *Hæc virgo feci*. Hæc in fratre Absyrto feci virgo nondum assueta tot malis, ut Jasoni nuberem; cui nuptæ et ex eo matri factæ, ne dimittar, vel etiam in repudii vindictam, majora sunt scelera excogitanda.

50. *Post partus*. Ex quo peperi natos : et pro frequentiori rerum atque hominum usu sum corrupta.

51. *In exitium*, seu tui, seu tuorum hostium, Creontis, etc.

Furore toto : paria narrentur tua
Repudia thalamis. Quo virum linquis modo?
Hoc, quo secuta es : rumpe jam segnes moras :
Quæ scelere parta est, scelere linquenda est domus.

CHORUS.

Ad regum thalamos numine prospero,
Qui cælum Superi, quique regunt fretum,
Adsint, cum populis rite faventibus.
Primus sceptriferis colla Tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido.
Lucinam nivei femina corporis
Intentata jugo placet : et, asperi
Martis sanguineas quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hostia.

52. *Paria.* Æque crudelia et scelesta. Nuptias proditione patris et cæde fratris conciliavi; repudium cæde superinductæ Creusæ, et propriorum liberorum ulciscar.

Act. I, sc. II. Chorus e mulieribus Corinthiis Jasonis et Creusæ nuptiis epithalamium præcinit.

56. *Ad regum thalamos.* Ad Jasonis et Creusæ nuptias.

58. *Rite faventibus.* In sacris adstantes favebant lingua, id est, malis verbis abstinebant, bona dicebant, εὐφήμουν : votis et acclamationibus fausta lætaque ominati. Vid. Octav. vs. 693.

59. *Sceptriferis tonantibus.* Jovi et Junoni Reginæ.

60. *Taurus.* Neptuno, Apollini, Marti taurum immolari, Jovi nequaquam vult Servius. Has itaque infaustas fore nuptias ominatur.

61. *Lucinam.* Virg. Æn. IV, vs. 59 : « Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ. » — *Femina.* Vacca candida, quæ nunquam subjecta fuerit jugo, injugis.

62. *Placet*, a *placare*, *placo.*

63. *Quæ cohibet.* Pax, seu concordia, « Unde fluit pleno cunctorum copia cornu : » alluditque ad κέρας Ἀμαλθείας, seu Acheloi.

66. *Tenera hostia*, ove : nam hæc Pacis hostia, quæ illi cædebatur seorsum extra conspectum deæ, cujus nec aram sanguine licebat adspergere, quia neces et sanguinis effusiones Paci adversantur.

Et tu, qui facibus legitimis ades,
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio,
Præcingens roseo tempora vinculo.
Et tu, quæ gemini prævia temporis
Tarde stella redis semper amantibus:
Te matres avidæ, te cupiunt nurus,
Quamprimum radios spargere lucidos.
Vincit virgineus decor
Longe Cecropias nurus:
Et quas Taygeti jugis
Exercet juvenum modo,

67. *Et tu, qui facibus*, etc. Hymenæe, deus nuptialis, quem Noster, Bacchi filium, Asclepiades Apollinis, alii Magnetis volunt. Deus nuptialis pingebatur juvenis marcidus, voluptate dissolutus, temulentus, coronatus rosis, ut Noster annuit, vel amaraco, ut Catullus; dextra faces, sinistra flammeum ostentans, in pedibus soccos luteos gerens. FARN.

68. *Noctem discutiens*, face quam præfers nocturnas tenebras dispellens. — *Auspice*. Vid. Troad. 861.

69. *Huc incede gradu ebrio*. Hymenæum fingebant *temulentum*; forsitan quia, sine Cerere et Baccho friget Venus; *marcidus*, hoc est, enervatis et fractis viribus, languens ac titubans præ vinolentia: hunc gradum et marcorem in somnolentis cernimus, somno nondum plene discusso. Hinc Plin. Cæcilius *somno marcidos* dixit. DELA.

71. *Et tu, quæ*, etc. Veneris stella, noctis prævie Hespere, diei prænuntie Phosphore. Hippolyt. vers. 748. — *Prævia*, prænuntia.

72. *Tarde stella*, etc. « Ut nox longa quibus mentitur amica, etc. » ita sponsorum, noveque nuptarum desiderio, tarde procedere videtur dies nuptiis dictus. — *Semper*. Junge cum *redis*.

75. *Vincit*. Æmilius Magnus ad Nympham nimis cultam, vs. 59: « ... puellarum dum ludis in agmine princeps, Inter virgineos lucida stella choros. » BADEN. — *Virginis*, sponsæ, Creusæ, seu Glauces.

76. *Cecropias*. Atticas puellas nubiles. Cecrops autem primus erat Atheniensium rex.

77. *Taygeti*. Laconiæ montis, Spartæ imminentis. Virgil. Georg. II, vs. 488: «...virginibus bacchata Lacænis Taygeta.» De Spartanis virginibus loquitur, de quibus sunt antiqua illa: « Nihil horum simile apud Lacænas virgines, queis magi' palæstra, Eurota, sol, pulvis, labos, Militia in studio est, quam fertilitas barbara. » Propert. Eleg. III, 14, 15: « Et modo Taygeti crines adspersa pruinis, Sectatur patrios per juga longa canes. »

Muris quod caret, oppidum :
Et quas Aonius latex,
Alpheosque sacer lavat.
Si forma velit aspici,
Cedent Æsonio duci,
Proles fulminis improbi,
Aptat qui juga tigribus:
Nec non qui tripodas movet,
Frater virginis asperæ.
Cedet Castore cum suo
Pollux cæstibus aptior.

79. *Muris quod*, etc. Quod tamen postea muris cingi cœpit. Prius, ἀνδράσι καὶ οὐ πλίνθοις στεφανούμενον.

80. *Et quas*. Thebanas virgines. — *Aonius latex*. Bœotia prius Aonia dicta est, ab Aone, Neptuni filio.

81. *Alpheusque*. Thyest. vs. 116. — *Sacer*. Quia fluvii, teste Theocrito, θεῶν γένος· et quia, ut ait Pausanias, Eliac. I, Alphei aqua Jovi Olympio grata putabatur; idcircoque Elei hac sacrificiorum cineres abluebant, iisque Jovis Olympii simulacrum illinebant, teste Moscho et Pausania. Delr.

83. *Æsonio duci*. Jason, Æsonis filius, Æson Crethei, Cretheus Æoli : de matre non constat. Andion Theoguiten, Herodotus Polyphemen, Stesichorus Eteoclymenen, Pherecydes Alcimeden Philaci filiam, Apollonius Alcimeden, sed Clymenes filiam autumat. Jason, παρὰ τὴν ἴασιν, quod medicinam a Chirone didicerit, vocatur : hæc Apollonii et Pindari scholiographi. Ad formam Jasonis indicandam facit illud Atratini Cælium vocantis Jasonem pulchellum apud Fortunatian. Rhetor. schol. lib. II.

84. *Proles fulminis*. Bacchus a Jove fulminante et flammis Semelen comburente genitus, nota res. Sic Coluthus Paridis formam Bacchi formositati præponit.

85. *Aptat*, etc. OEdip. vs. 425; Hippol. vs. 751, et Virgil. Ecl. V, 25. — *Tigribus*. Nam Bacchus dicitur vehi curru junctis tigribus.

86. *Qui tripodas*. Phœbus, qui responsa reddebat per vatem sedentem super tripode, mensa tribus fulta pedibus: ideo ait movere tripodas. — *Virginis asperæ*. Dianæ venatricis, montivagæ, perpetuæ virginis.

88. *Castore cum suo*. Κάστωρ τ' ἱππόδαμος καὶ πὺξ ἀγαθὸς Πολυδεύκης. Pulcherrimi, Jove quippe in cycnum mutato geniti.

89. *Cæstibus*. De cæstuum certamine consule Virg. Æn. V, 364 sq. Cæstus instrumentum erat, quo palæstritæ utebantur, nihilque aliud erat, quam lorum ex corio bubulo manibus circumvolutum : quo et

Sic, sic, Cælicolæ, precor,
Vincat femina conjuges,
Vir longe ut superat viros.
Hæc quum femineo constitit in choro,
Unius facies prænitet omnibus.
Sic cum sole perit sidereus decor;
Et densi latitant Pleiadum greges,
Quum Phœbe solidum lumine non suo
Orbem circuitis cornibus alligat.
Ostro sic niveus puniceo color
Perfusus rubuit : sic nitidum jubar
Pastor luce nova roscidus aspicit.
Ereptus thalamis Phasidos horridis,
Effrenæ solitus pectora conjugis
Invita trepidus prendere dextera,
Felix Æoliam corripe virginem,

ictum minus sentirent, et adversarium gravius ferirent : ideo Pollux erat armatus cæstibus, quia iis pugnare solitus erat.

91. *Femina*, Creusa.—*Vir*, Jason.

93. *Hæc quum femineo constitit.* Nam et novas nuptas circumdabant matronæ et parabant sponsis. Stat. Theb. II, 226 : « ... sonat aula tumulto Femineo : casta matres cinxere corona Argolides : pars virginibus circum undique fusæ Fœdera conciliant nova, solanturque timorem. »

96. *Pleiadum greges.* Synecdoche pro omnibus sideribus. Pleiades etiam *Pleiones* dictæ : de his multa Schol. in Apollon. lib. III, v. 225, et nos alibi in Hercul. Fur. vs. 11, in not. Latinus Callimach. « Pleiadum spisso cur coit igne chorus : » ideo Noster *densos* greges dixit.

97. *Solidum.* Vide Animadvers. — *Lumine non suo.* Lumine notho et mutuato a sole lucens. Vide ad Hippol. vs. 742.

98. *Orbem.* Hippol. vs. 742.

99. *Ostro.* Id est, purpura, conchylii cruore : Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ, etc. « Fulget ebur veluti, Tyrio quod tinxerit ostro Mæonis, aut Paphiis lilia mixta rosis. »

101. *Luce nova roscidus*, rore nocturno madens, velut *luce nova*, id est, Aurora roscida; hypallage.

102. *Phasidos*, Medeæ ad Phasim natæ; cf. sup. vers. 44; barbaræ, crudelis, veneficæ, cujus scilicet thalamos Jason merito horreat.

105. *Æoliam virginem*, etc. Æolo Hellenis filio (cum Doro et Ionis patre Xutho, fratribus, unde Hellenes, Æoles, Dores, Iones, Græ-

Nunc primum soceris, sponse, volentibus.
Concesso, juvenes, ludite jurgio.
Hinc illinc, juvenes, mittite carmina:
Rara est in dominos justa licentia.
Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,
Multifidam jam tempus erat succendere pinum.
Excute solemnem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat convicia Fescenninus.
Solvat turba jocos. Tacitis eat illa tenebris,
Si qua peregrino nubit fugitiva marito.

ciæ popoli), Deocalioois nepoti, ex Enarete, Deimachi filia, natus Sisyphus, Ephyres, quæ postea Corinthus, conditor et rex, pater Creontis, cujus filia Crensa Jasonis sponsa. Inde igitur *Æolia virgo*: quemadmodum etiam legendum præclare coujecerat Dan. Heinsius.

106. *Nunc primum*, etc. Namque in priores non consenserat Æson, Æeta certe invito.

108. *Hinc illinc*. Epithalamiom a virginibus et adolescentibus alterne cantatum, ante thalamum, ne compressæ a viro puellæ audiretur vox.

109. *Rara*, pro, *raro*, ut passim poetæ. Licentia in dominos raro est justa, legitima et legibus moribusque concessa. Raro justum est licere dominos liberis dictis figere; nt apnd Romanos Saturoalibus et triumphis. Proprie eoim hic *domini* leges. Gron.

110. *Thyrsigeri proles*. Hymenæe fili Bacchi, qui « Quod solvit curis corda, Lyæus erit, » a λύω. *Thyrsi*, hastæ, quas pampinis intextas Bacchides in Orgiis gestabant.

111. *Multifidam*. In modom spicarum iocisam, quo facilios flammam concipiat. — *Tempus erat*, pro, *est*. Horat. Od. I, 37, 4. — *Pinum*, facem e pinu. Snp. vs. 38, « pronobam pioum. » Vide Anim.

112. *Excute*. Jacta facibus accensis flammas; a silice sumta tralatione, e cojus proprie veois ignis excutitur. — *Ignem*. Fax in nuptiis prælata in bonorem Cereris; ignis et aqua adhibita, quod fetus animantium calore et bumore corporeutur atque animentur ad vitam.

113. *Fescenninus*. Pueri versus Fescenninos omni verborum lascivia, immo obscœnitate refertos canebant, nt oovæ nuptæ aures returarent: sed posita prius prætexta, cujus purpura verecundiæ symbolum: ita dict. a Fescennio, Etruriæ oppido: aliis a *Fascino*, quod ad nimias laudes (quæ in epithalamio occinebantur) a Nemesi vindicandas et arcendum Fascinum, adjiciebantur Fescennini. Claudian. in Nupt. Honorii hujus carminis exemplum dedit.

ACTUS SECUNDUS.

MEDEA, NUTRIX.

MED. OCCIDIMUS : aures pepulit hymenæus meas.
Vix ipsa tantum, vix adhuc, credo malum.
Hæc facere Jason potuit? erepto patre,
Patria atque regno, sedibus solam exteris
Deserere? durus merita contemsit mea,
Qui scelere flammas viderat vinci, et mare?
Adeone credit omne consumtum nefas?
Incerta, vecors, mente vesana feror
Partes in omnes, unde me ulcisci queam.

Act. II, scen. 1. Audito hymenæo, furit Medea, quam sedare nutrix laborat, sed frustra.

116. *Occidimus.* Hæc Medea, quum in primis extrema epithalamii audiit verba. Ovid. in Epist. Med. 137 : « At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures Venit. » — *Hymenæus.* Epithalamium, carmen nuptiale, chori scil. præcedentis.

117. *Vix ipsa tantum.* Ovidius, ibid. 141 : « Pertimui : nec adhuc tantum scelus esse putabam. »

118. *Erepto patre.* Postquam eripuit me patri, patriæ, regno.

120. *Solam Deserere.* Virgil. Æn. IX, vs. 482, mater Euryali : «...potuisti linquere solam Crudelis. » — *Durus.* Ingratus, immemor. — *Merita mea.* Beneficia per quæ de illo fueram tam bene merita.

121. *Scelere.* Herbis et incantamentis illi a me datis vicit æripedes et ignivomos tauros. — *Flammas*, flammam taurorum, sacris magicis; mare, lacerato fratre : hæc autem duo nominat, quia ex tribus quæ Græci mala existimant, duo sunt mare et ignis, tertium est mulier. — *Mare.* Pacatum artubus lacerati fratris.

122. *Adeone credit*, etc. Itane exhaustam mihi credit omnem malarum herbarum scientiam, et magicas artes ad scelera potentes, ut nihil iratæ conjugi reliqui sit in ipsius vindictam.

123. *Mente ves.* Vid. Animadv.

Utinam esset illi frater! est conjux : in hanc
Ferrum exigatur : hoc meis satis est malis?
Si quod Pelasgæ, si quod urbes barbaræ
Novere facinus, quod tuæ ignorant manus,
Nunc est parandum : scelera te hortentur tua;
Et cuncta redeant : inclytum regni decus
Raptum; et nefandæ virginis parvus comes
Divisus ense, funus ingestum patri;
Sparsumque ponto corpus; et Peliæ senis
Decocta aheno membra : funestum impie
Quam sæpe fudi sanguinem! at nullum scelus
Irata feci : sævit infelix amor.
Quid tamen Jason potuit, alieni arbitrii

125. *Utinam esset illi frater!* Quem discerperem, ut meum olim; sup. not. ad vs. 44.

128. *Tuæ*, o Medea. Suas manus innuit, se ipsam alloquitur.

129. *Nunc est parandum*, facinus illud. — *Scelera te hortantur tua.* Ad animum revoces priora scelera, atque ab iis exempla capias et consilia de futuris.

130. *Inclytum regni decus.* Vellus aureum arietis, quo vectus Phryxus e Bœotia in Colchos transfretavit.

131. *Raptum.* Ab Jasone, mea arte, consilio, auxilio. — *Nefandæ virginis.* Se ipsam indicat. — *Parvus comes.* Absyrtus frater, ex eodem patre, matre autem Asteri, aliis Ipsea, a me discerptus.

132. *Funus ingestum patri.* Funereæ fratris tui reliquiæ super viam patris projectæ : quid autem gravius quam trucidare filium spectante patre, et ne oculis quidem parcere? Virg. Æn. II, 663 : « Natum ante ora patris, etc. » Sueton. Caligul. 27 : « Parentes supplicio filiorum interesse cogebat. » Thyest. vs. 282 (ed. nost. vol. I, p. 242) : « ingesta orbitas In ora patris. »

133. *Sparsumque ponto corp.* Mari, ut modo, vs. 121; vel regione Ponti, est « Unde Tomos dictus locus est, quia fertur in illo, Membra soror fratris consecuisse sui. » — *Peliæ.* Patrui Jasonis. Inf. 257.

135. *Quam sæpe fudi sanguinem! at nullum*, etc. Quot cædes feci? et tamen sine ira, nec offensa illis, qui peribant. Terrigenas in mutua vulnera egerat, non illis indignata, sed Jasoni metuens. Absyrtum laceraverat, nullo etiam odio, sed ut patrem moraretur. Pelian sustulerat in Jasonis gratiam.

136. *Sævit infelix amor.* Sed ad scelus spreti nunc amoris infelicitas adegit.

137. *Quid tamen Jason potuit*, etc. Excusat veluti Jasonem; et bene adnotat interpres gallicus : « Ici Médée est encore intéres-

Jurisque factus? debuit ferro obvium
Offerre pectus : melius, ah melius, dolor
Furiose, loquere : si potest, vivat meus,
Ut fuit, Jason; sin minus, vivat tamen,
Memorque nostri muneri parcat meo.
Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
Conjugia solvit; quique genitricem abstrahit
Natis, et arcto pignore adstrictam fidem
Dirimit : petatur solus hic; pœnas luat,
Quas debet : alto cinere cumulabo domum.
Videbit atrum verticem flammis agi

sante; elle aime, elle excuse Jason; elle compte encore sur son repentir, et Créon est l'unique objet de son courroux. Avant de faire voir Médée cédant à toutes les fureurs de la vengeance, le poète a bien senti qu'il fallait préparer l'esprit et le cœur des spectateurs, et ne leur inspirer que le sentiment de la pitié ou celui de la crainte, qu'excitent les terribles menaces de la fille d'Éétès. » — *Alieni arb. factus.* Huc a Creonte compulsus et coactus.

138. *Debuit.* Respondet sibi ipsa, et suam excusationem redarguit. — *Offerre pectus.* Suppl. potius quam me deserere.

139. *Melius loquere.* Verba proferat dolor meus, quæ sint minus malesuada, auspicatiora.

140. *Dolor fur.* Dolor, qui me ad furias concitas et amentem facis.

141. *Ut fuit*, scil. mihi fidelis.

142. *Muneri parcat meo.* Per illum et cum illo servetur monumentum generositatis meæ. Quem æque sensum dat altera hæc, quam malit Gronovius lectio, « muneri parcam meo. » Non male hic interpres gallicus : « S'il est inconstant, qu'il vive encore; qu'il conserve mon souvenir, et que moi-même je conserve en lui le monument de ma générosité. » Locutio hæc « parcat muneri meo, » similis est huic quam invenimus apud Plinium juniorem. Panegyr. ad Traj. in fine orationis, cap. XCIV (edit. nost. vol. II, pag. 386) : « Te, Capitoline Jupiter, precor, ut beneficiis tuis faveas, tantisque muneribus addas perpetuitatem. » — *Muneri*, sc. nuptiali, ait Bad. et citat Ovid. Epist. Medeæ, vs. 203 : « Dos mea, tu sospes; » sed minus apte.

143. *Sceptro impotens.* Regiam auctoritatem inique exercens.

144. *Conjugia*, mei et Jasonis. — *Genetricem*, me, Medeam.

145. *Arcto pignore.* Ut est proles a viro suscepta. — *Adstrictam.* Me inter et Jasonem. — *Hic*, Creo.

148. *Videbit.* Quia ex altera parte Corinthi est. — *Atrum verticem.* Nigrum regiæ vel Corinthi fumum sinuoso flexu adscendentem. Ovid. Met. VII, 394 : « Colchis arsit no-

Malea, longas navibus flectens moras.
NUTR. Sile, obsecro, questusque secreto abditos
Manda dolori: gravia quisquis vulnera
Patiente et æquo mutus animo pertulit,
Referre potuit: ira, quæ tegitur, nocet.
Professa perdunt odia vindictæ locum.
MED. Levis est dolor, qui capere consilium potest,
Et clepere sese: magna non latitant mala.
Libet ire contra. NUTR. Siste furialem impetum,
Alumna: vix te tacita defendit quies.
MED. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

va nupta venenis, Flagrantemque domum regis mare vidit utromque. »

149. *Malea, longas nav. flectens moras.* Promontorium per quinqoe millia passnom in mare protenditnr: ubi quia, propter continuas ventorum procellas, periculi plena est navigatio, natom est proverbiom, Μαλέανδε κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε: in cujus explicatione mnlta ab Erasmo adducuntnr: iis addo Ovidii carmen, Amor. lib. II, vs. 16: « Nec timeam vestros curva Malea sinus. » Adde et ea quæ Plutarchns in vita Arati scripsit. Facit itaque moram navibus Malea, dnm prætervebentes tempestatibus et inquiete fluctuum, ac sinoosis longissimisque excurrentinm et recedentium litorum spatiis detinet atqne moratur. Simile est illud Lucani, lib. VI, vs. 58: « Et ratibos longæ flexum donare Maleæ. »

153. *Referre.* Par pari reddere, nlcisci.

154. *Professa.* Enuntiata, palam proclamata. — *Locum.* Occasionem, facilitatem nlciscendi. Tacit. Hist. IV, 24: « fremebant, aperta odia, armaque palam depelli; fraodem et dolum obscura, eoque inevitabilia. » Et Sallust. (ed. nost. p. 473) monet Cæsarem, baud difficile esse homini strenuo hostem adversom opprimere; occulta pericula neque facere, neqoe vitare bonis in promtu esse. Noster ab Euripide accepit, apud qoem Creo Medeæ ferme eadem dicit, inquiens, quo se illa pacatiorem simulet, eo sibi amplius cavendam. Seneca pater, initio Declamationum: « Magis nocent insidiæ, quæ latent. »

156. *Clepere.* Tegere, celare, κλέπτειν. Hercul. Fur. vs. 798. — *Non latitant.* Nolunt latere. — *Mala.* Dictum pro iis quos magna opprimunt mala.

157. *Libet.* Amant. — *Ire contra.* Aperle occorrere: nt soadet sacerdotissa Æneæ, Æn. VI, 95: « Tu ne cede malis, at contra audentior ito. »

158. *Vix te tacita*, etc. Etiamsi tacita quiescas, vix tuta eris: multo minus, si te violentius efferas.

NUTR. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
MED. Nunquam potest non esse virtuti locus.
NUTR. Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.
MED. Qui nil potest sperare, desperet nihil.
NUTR. Abiere Colchi : conjugis nulla est fides,
Nihilque superest opibus e tantis tibi.
MED. Medea superest : hic mare et terras vides,
Ferrumque, et ignes, et Deos, et fulmina.
NUTR. Rex est timendus. MED. Rex meus fuerat pater.
NUTR. Non metuis arma? MED. Sint licet terra edita.

160. *Tunc est probanda*, etc. Sensus generalis est : « Virtus utique est fortitudo : et ea non aliter laudanda, quam quoties loco et tempore exseritur, quoties non aggreditur, quæ ὑπὲρ ἄνθρωπον et φοβερὰ παντὶ τῷ νοῦν ἔχοντι, ut loquitur philosophus, quorumque exitus ne timida quidem spe præsumi potest. » Recordamur enim particulam *si* interdum idem quod *quum* exprimere. Ut apud Catull. XIV, 18 (ed. nost. p. 70) : « Nam *si* luxerit, ad librariorum Curram scrinia. » Virgil. Æn. V, 64 : « Si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit... Prima citæ Teucris ponam certamina classis. »

162. *Spes nulla*. Desperatio.

163. *Qui nil potest sperare, desperet nihil.* Ludit in vocis similitudine; sensus : ei, cui cuncta sunt adversa, in omnem eventum intrepide tentanda omnia : quid enim metuat in extrema fortuna? quid malis ejus adjici queat? lucrari potest, perdere non potest, qui nihil possidet : ex desperatione nata non raro victoria. Explicat se ipsum Seneca, Epist. v : « Desines, inquit (Hecato), timere, si sperare desieris. Dices, quomodo ista tam diversa pariter sunt? Ita est, mi Lucili : quum videantur dissidere, conjuncta sunt. Quemadmodum eadem catena et custodiam et militem copulat : sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt. Spem metus sequitur. »

164. *Abiere Colchi.* Id est, Colchi longe, puta et loco, et animis. Alludit quod de relictis loquebantur, quasi ipsa nos reliquissent. Agam. 445 : « Terras, quantum recedunt vela, fugientes. » Silius Ital. III, vs. 156 : « rapiente carina Consumsit pontus visus, tellusque recessit. » Tum quod *longe esse* et *abesse* dicebant, quæ non juvarent. — *Conjugis.* Jasonis.

166. *Medea superest.* Cui cum nocendi peritia, potentiaque, voluntas suppetit : quæ quantum nocere potest, tantum nocere desiderat. Vid. in calce imitationes quas apposuimus.—*Hic*, in ea, in Medea.

168. *Rex m. f. pater.* Neque tamen eum timui, verum pro Jasone contra eum steti.

169. *Sint licet terra edita.* Non

NUTR. Moriere. MED. Cupio. NUTR. Profuge. MED. Pœnituit fugæ.
Medea fugiam? NUTR. Mater es. MED. Cui sim, vides.
NUTR. Profugere dubitas? MED. Fugiam : at ulciscar prius.
NUTR. Vindex sequetur. MED. Forsan inveniam moras.
NUTR. Compesce verba; parce jam demens minis,
Animosque minue : tempori aptari decet.
MED. Fortuna opes auferre, non animum, potest.
Sed cujus ictu regius cardo strepit?
Ipse est Pelasgo tumidus imperio Creon.

CREON, MEDEA.

CR. Medea, Colchi noxium Æetæ genus,
Nondum meis exportat e regnis pedem?
Molitur aliquid : nota fraus, nota est manus.

etiamsi sint gigantea et terra e dentibus serpentinis edita. Namque et hæc mea arte fretus facile debellavit Jason.

170. *Pœnituit fugæ.* Nimius mihi jam fuit pœnitendi locus, quod fugerim.

171. *Medea.* Emphasis. Egone tam magicis potens? tam prius pertinax et pericula contemnens? — *Mater es.* In liberorum tamen gratiam fuge; vel respicit ad vs. 25 supra. — *Cui.* Ex quo marito.

173. *Moras.* Ut quum me sequeretur pater, sup. vs. 44 et 133.

175. *Animos.* Animi pertinaciam et ferociam. — *Aptari.* Vid. Anim.

177. *Regius cardo.* Regiæ fores.

Act. II, sc. II. Creo Medeam in exsilium propere abire imperio urget : illa diei unius moram vix impetrat. Hæc scena conferenda cum actu secundo Euripidis, unde desumta.

179. *Medea, Colchi,* etc. Hæc Creo submisse, dum adspicit Medeam. — *Æetæ genus.* Colchorum regis. Medeæ pater Æetes, ut scripserunt Herodotus, Dionysius Milesius et cæteri, Solis filius: varias uxores duxit, ideo nescitur quæ Medeæ mater, plerique credunt Idyiam, Epimenides Ephyren, Dionysius Milesius Hecaten, auctor Naupacticorum Eurylites, Sophocles Neæram, Apollonius Asterodiam, Eumelus et Diophanes Antiopen.

181. *Fraus.* Ingenium fraudulentum.

Cui parcit illa? quemve securum sinit?
Abolere propere pessimam ferro luem
Equidem parabam; precibus evicit gener.
Concessa vita est: liberet fines metu;
Abeatque tuta. Fert gradum contra ferox,
Minaxque nostros propius affatus petit.
Arcete, famuli, tactu et accessu procul.
Jubete, sileat: regium imperium pati
Aliquando discat: vade veloci via,
Monstrumque sævum, horribile jamdudum, avehe.
MED. Quod crimen, aut quæ culpa mulctatur fuga?
CR. Quæ causa pellat, innocens mulier rogat.
MED. Si judicas, cognosce: si regnas, jube.
CR. Æquum atque iniquum regis imperium feras.
MED. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
CR. I, querere Colchis. MED. Redeo: qui advexit, ferat.
CR. Vox constituto sera decreto venit.
MED. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,

182. *Parcit*, parcere cui potest, quæ non patri pepercit, non fratri.

183. *Abolere*. De medio tollere.

184. *Gener*, meus, Jason.

185. *Fines*, imperii mei. Sic inf. vs. 270: « libera cives metu. » Troad. 552: « libera Graios metu. »

188. *Arcete*. Hanc feminam. — *Tactu et accessu*, mei.

190. *Vade veloci via*. Hæc dicit conversus ad aliquem satellitum.

192. *Culpa*, mei.

193. *Innocens*. Ironice, quasi diceret, nocentissima.

194. *Si judicas*. Si vis æquum judicium ferre, de causa mea prius cognosce; si tyrannice pro lubidine imperas, inaudita causa ejice.

195. *Æquum atque iniquum*, etc. Regiæ subjecta potestati ne disputes de imperio æquo aut iniquo, sed quod regi lubet feras.

197. *I, querere Colchis*. Apage, monstrum, et querelas apud tuos populares, barbaros Scythas, Sarmatas, Moschos depone. — *Redeo: qui advexit*, etc. Repeterem sane patriam, si comes is esset qui me istuc adduxit.

198. *Constituto decreto*. Nunc, quum cognita est causa, et latum fuit judicium. — *Vox*. Vid. Anim.

199. *Qui statuit aliquid*, etc. Tyrannicum est, una tantum parte audita judicare: hoc enim pacto defensio, quæ juris naturalis est, et nemini debet adimi, tollitur: ideo inauditi damnari non possunt.

Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.
CR. Auditus a te Pelia supplicium tulit?...
Sed fare: causæ detur egregiæ locus.
MED. Difficile quam sit animum ab ira flectere
Jam concitatum; quamque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Qua cœpit, ire; regia didici mea.
Quamvis enim sim clade miseranda obruta,
Expulsa, supplex, sola, deserta, undique
Afflicta; quondam nobili fulsi patre,
Avoque clarum Sole deduxi genus.
Quodcumque placidis flexibus Phasis rigat;
Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt,
Palustribus qua maria dulcescunt aquis;

201. *Auditus a te Pelia*, etc. Non est vocativus pro nominativo *Pelia*, ut hic jam non semel notant, sed ipse nominativus latinus: nam *Pelias* græcissat. Sed cur « Auditus a te? » neque enim periit Pelia, quia auditus est a Medea, sed quia audiit Medeam, et supplicem recepit. Utrum igitur, *auditor*? An *auditus* vult ipsum Pelian, orantem ut sibi mutaret ætatem Medea, ab ea audire et exorari simulante interfectum? Hoc non dicit fabula, sed ipsam quasi supplicem auditam ac susceptam. Numquid, « Audiit et a te Pelia supplicium tulit. » —Expeditior prorsus fuerit sensus, si leges per interrogationem: « Auditus a te Pelia supplicium tulit? » Te non indicta causa damnari, pro jure tuo rogas; quid vero? utrum auditus a te Pelia fuit, priusquam miserabiliter periret? an tu ipsa supplicio illum, et inauditum quidem, affecisti? sed fare tamen, etc.—Vide Animadversiones.

202. *Egregiæ*. Ironice dictum.

203. *Diffic. quam sit*, etc. Junge cum *didici*, vs. 206. — Quam pertinaciter reges iram de levi qualicumque injustave causa conceptam foveant urgeantque, et ipsa rege orta novi.

204. *Regale*. Dignum rege. — *Hoc*, sc. ire qua cœpit, vs. 206.

206. *Reg. mea*, in aula patris mei.

212. *Pontusque*, etc. Euxinus, qui ab occidente Colchida claudit.

213. *Palustribus qua maria*, etc. Quia tot fluminum affluxu Pontus limo impletur et aggere: adeo ut, Strabonis ævo, sinistra jam Ponti pars inde in paludem fuerit conversa. Neoterici tamen oculati testes id verum esse negant. Sed Seneca sui ævi scriptores sequutus est. — *Dulcescunt*. Ingressu tot fluviorum, quot affluunt, vincitur sal, ait Plinius: idem in libris de Ponto testatur Ovidius.

Armata peltis quidquid exercet cohors,
Inclusa ripis vidua Thermodontiis :
Hoc omne noster genitor imperio regit.
Generosa, felix, decore regali potens
Fulsi : petebant tunc meos thalamos proci,
Qui nunc petuntur : rapida Fortuna ac levis,
Præcepsque, regno eripuit, exsilio dedit.
Confide regnis, quum levis magnas opes
Huc ferat et illuc casus : hoc reges habent
Magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
Protegere : solum hoc Colchico regno extuli;
Decus illud ingens, Græciæ florem inclitum,
Præsidia Achivæ gentis, et prolem Deûm
Servasse memet : munus est Orpheus meum,

214. *Quidquid exercet coh.* Vid. Animadv. — *Exercet*, etc. Respicit h. l. auctor concursus et tumultuosiora belli simulacra, quæ in campis Amazones ciere solitæ; qui campi ob id exerceri, h. e. premi, pulsari, et fatigari dicuntur. Obvia passim ista verbi significatio. Expressit vim poeta, Æn. XI, 660 sqq. « Quales Threiciæ quum flumina, etc. » Hesiod. Theog. v. 70, ποδῶν ὑπὸ δοῦπος ὀρώρει. Noster, Phœniss. v. 545 : «...vidit equitatu levi Cadmea frangi prata. » — *Peltis.* Scutis brevibus, quorum extrema lunantur in cornua. — *Cohors.* « Amazonidum lunatis agmina peltis, etc. » Vid. Agam. vs. 217, et Virg. Æn. I. 490.

215. *Vidua.* Vid. Hipp. vs. 620. — *Thermodontiis.* Herc. Fur. 245.

218. *Proci.* Per indignationem synecdochicam, Jason.

220. *Eripuit...dedit*, me Medeam.

225. *Solum hoc.* Quod Argonautas servavi, inf. 227.

226. *Decus illud ingens.* Magnum illud comparavi decus, quod egomet servaverim, etc. — *Græciæ florem inclitum.* Argonautas, heroas, diis genitos, quorum plerosque enumerat Theocritus in Geminis, θεῶν φίλα τέκνα, *dilecta deorum proles.* Mira porro varietas est apud Græcos, de Argonautarum reditu in patriam, Timaget. ἐν τῷ α' περὶ λιμένων, scribit Istrum ex Germaniæ montibus ortum, in Germanicam paludem magnam defluere : mox in duo scindi brachia, et unum in Germanicum mare, et alterum in Euxinum porrigere, et per prius illud navigavisse Argonautas, et in Hetruriam pervenisse; idem Apollonius refert. Herodotus Ephesius eadem, qua venerant, via rediisse.

228. *Munus est meum*, etc. Mei

Qui saxa cantu mulcet, et silvas trahit;
Geminumque munus Castor et Pollux meum est;
Satique Borea; quique trans Pontum quoque
Summota Lynceus lumine immisso videt;
Omnesque Minyæ: nam ducum taceo ducem:
Pro quo nihil debetur: hunc nulli imputo:
Vobis revexi cæteros, unum mihi.
Incesse nunc, et cuncta flagitia ingere;
Fatebor: obici crimen hoc solum potest,
Argo reversa: virgini placeat pudor,
Paterque placeat; tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus: hic tuus primum gener

muneris est, quod vivit Orpheus, unus ex Argonautis.

230. *Castor*, etc. Sup. vs. 83.

231. *Satique Borea.* Et juvenes, nati patre Borea, Calais et Zetes: Οὓς ποτ' Ἐρεχθηῒς Βορέῃ τέκεν Ὠρείθυια.

232. *Trans Pontum quoque Summota*, etc. Res etiam ultra Pontum in longinquo repositas. — *Lynceus.* Fuit hic visus acutissimi, πάντων ἀνθρώπων ὀξυωπέστατος, qui ex Taygeti cacumine totam Peloponnesum fertur conspexisse; Castorem et Pollucem in cava quercu latitantes vidisse. — *Lumine immisso.* Radiis emissis ab oculo in ipsum objectum. Stoici enim visionem fieri emissione radiorum ex oculis credebant, non per speciei introsumtionem beneficio externi luminis, ut Aristoteles.

233. *Minyæ.* Thessali comites Jasonis in expeditione Colchica, ab Orchomeno, Thessaliæ fluvio, qui prius Minyeus, dicti. — *Ducum ducem*, Jasonem.

234. *Hunc nulli imputo.* Nemo est a quo credam mihi pro Jasone servato deberi gratias. Et hæc explicat versus qui sequitur.

235. *Vobis.* Vestri causa, in vestrum commodum.

236. *Incesse*, me criminationibus.

237. *Fatebor.* Supple, « ea me admisisse flagitia. »

238. *Argo reversa.* Quod, post ereptum vellus, Argonautarum nave et ego quoque vecta, redierim in Thessaliam, Jasonis patriam, miserrimi mei patris omnino secura. — *Argo.* Quod ἀργὸς, velox; vel ab Argo fabricatore; vel, quod ea vecti Argivi, delecti viri. — *Virgini placeat pudor*, etc. Quod si mihi magis pudor paterque placuissent quam Jason, periissent Thessali, Argivi, universæ denique Græciæ flos; nec Jason ignivomos tauros effugisset.

240. *Pelasga tellus.* Tota Græcia. Potissimum tamen Thessalia, proprie enim *Pelasgi* Thessali et Argivi. Sophocles in Inacho, Argivos vocat *Pelasgos.* Staphylus Naucratites tradidit *Pelasgum* Argivum in Thessaliam venisse, eamque ab

Tauri ferocis ore flammanti occidet.
Fortuna causam, quæ volet, nostram premat:
Non pœnitet servasse tot regum decus.
Quodcumque culpa præmium ex omni tuli,
Hoc est penes te: si placet, damna ream;
Sed redde crimen: sum nocens, fateor, Creo.
Talem sciebas esse, quum genua attigi,
Fidemque supplex præsidis dextra petii.
Terra hac miseriis angulum et sedem rogo,
Latebrasque viles: urbe si pelli placet,
Detur remotus aliquis in regnis locus.
CR. Non esse me, qui sceptra violenter geram,
Nec qui superbo miserias calcem pede,

illo dictam Pelasgiam. Sed et Tyrrheni, *Pelasgi* vocati. Argivi vero sic dicti, vel a Pelasgo Neptuni aut Inachi filio, vel a Pelasgis quibusdam barbaris, qui Argos et Thessaliam occuparunt.

241. *Tauri ferocis*, etc. Duos fuisse Apollon. ait: Ταύρω χαλκόποδε στόματι φλόγα φυσιόωντε, quos non effugisset, tibi gener futurus. Vid. inf. vs. 466.

242. *Fortuna causam, quæ volet, nostram premat*, Videbit lector in Animadv. nos, Badenium ex Gronovio sequutos, legisse *quæ volet* pro vulgata, *qua volet*. Et sic locus intelligendus est, allato simili Phædræ dicto, ex Hippolyt. vs. 138: « quemcumque dederit exitum casus, feram. » Pessime autem interpretantur, « utcumque fortuna mihi iniqua fit. »

244. *Præmium*, Jasonem.

246. *Crimen*, Jasonem, cujus causa sum facta nocens; vs. 280.

247. *Talem sciebas esse*. Quum tuum præsidium supplex imploravi, fugiens Acastum Peliæ filium, qui me persequitur, sibique in patriæ necis ultionem dedi poscit. — *Quum genua attigi*. Troad. vs. 689. Medea apud Euripidem: Ἀλλ' ἀντομαί σε τῆσδε πρὸς γενειάδος, Γονάτων τε τῶν σῶν. Olim, Plinio teste, Hist. Nat. lib. II, cap. 45, supplices genua attingebant, quia illis vitalitas inest. Servius ait ea esse Misericordiæ consecrata, ut Genio frontem, et Memoriæ aures.

248. *Fidem præsidis*. Præsidium tui ipsius, Creontis, tanquam defensoris ac vindicis. — *Dextra petii*. Alii *dextræ*, ut sit *dextra præses*; quod paulo ineptius; dum *dextra petere*, solemnis sit mos supplicantium. Vid. Animadv.

249. *Terra hac*. Ubi scilicet est Jason. — *Miseriis angulum et sedem*. Ἓν διὰ δυοῖν. Angulum terræ, in quo misera considеam et lateam.

253. *Miserias calcem pede*. Grave autem crimen miserorum oppres-

Testatus equidem videor haud clare parum,
Generum exsulem legendo, et afflictum, et gravi
Terrore pavidum : quippe te pœnæ expetit
Letoque Acastus, regna Thessalica obtinens.
Senio trementem debili atque ævo gravem
Patrem peremtum queritur, et cæsi senis
Discissa membra; quum dolo captæ tuo
Piæ sorores impium auderent nefas.
Potest Iason, si tuam causam amoves,
Suam tueri : nullus innocuum cruor
Contaminavit : abfuit ferro manus,
Proculque vestro purus a cœtu stetit.
Tu, tu malorum machinatrix facinorum,
Cui feminea nequitia, ad audendum omnia
Virile robur, nulla famæ memoria est,

sio. Plato in Minoe monet, ne quis calamitosos et pauperes despiciat, eo quod Deum solum adjutorem habent! nec ullum tam severe inimicum ulcisci, ne Deus solitus sit miserorum oppressores.

254. *Testatus*, junge cum *haud clare parum*; i. e. luce clarius.

255. *Generum exsulem*. In exsilium fugientem propter tuum facinus : sic enim præ te ferens velle te medicamine Peliam juventuti restituere (quod prius in Æsone feceras), Peliæ injurias in Jasonem ulta, fecisti pie impias Peliadas patrem suum jugulare non revicturum, uti promiseras, utque illæ exspectaverunt.

256. *Terrore pavidum*. Hæc explicat τὸ *quippe*, etc. quod sequitur. — *Pœnæ et leto*. Ut puniat et interficiat.

257. *Acastus*. Peliæ filius, rex Thessaliæ, nisi Medea sibi in ultionem paternæ necis dederetur, bellum Corinthiis indixerat.

259. *Patrem*, Peliam. Ovid. in Metam. VII, fusissime historiam illam prosequitur.

260. *Discissa*, dilaniata : nam ipsum jussit membratim dividi, ut coqueretur.

261. *Piæ sorores*. Pisidice, Pelopea, Hippothoe, et Alcestis filiæ Peliæ, quarum Ovid. Met. VII, 339 : « ... ut quæque pia est, (Medeæ) hortatibus impia prima est, Et ne sit scelerata, facit scelus. »

263. *Innocuum*, Jasonem.

264. *Ferro*, quod discidit Peliam. — *Manus*, ejus.

267. *Feminea nequitia*, ad excogitandum.

268. *Nulla famæ memoria est*. Duplex h. l. posse videtur admitti sensus; vel « a pueritia adeo tenella insuevisti malis istis artibus, ut nullam habere possis famæ, id

Egredere, purga regna; letales simul
Tecum aufer herbas : libera cives metu.
Alia sedens tellure sollicita Deos.
MED. Profugere cogis? redde fugienti ratem;
Vel redde comitem : fugere cur solam jubes?
Non sola veni : bella si metuis pati,
Utrumque regno pelle : cur sontes duos
Distinguis? illi Pelia, non nobis jacet.
Fugam, rapinasque adice; desertum patrem,
Lacerumque fratrem; quidquid etiamnum novas
Docet maritus conjuges; non est meum.
Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.
CR. Jam exisse decuit : quid seris fando moras?

est, vitæ integræ et castæ, memoriam »; vel « minime es memor famæ, i. e. minime curas quæ tibi futura sit fama. » Prior sensus placuit gallicô interpreti, nobis posterior.

269. *Purga regna*, tam letali monstro; ut 191 : « Monstrumque sævum avehe. » Racin. noster sic in Phædra, act. IV, sc. 2 : *De ton horrible aspect purge tous mes états.*

270. *Herbas*. Quibus ad veneficia uteris. A Medea nomen accepit herbæ illud genus ephemeron, adeo deleterium et letale, ut eodem die enecet, unde dictum vult Theophrastus; est hellebori folio, radice rotunda, Latinis dicitur *bulbus agrestis* : diversum ab alio Ephemero, cui oblonga radix, caulis lilio similis: hoc *iris agrestis* dictum. Nicander in Alexiph. Hanc ergo præcipue jubetur herbam secum adsportare : quum enim plurima nascatur in Colchide et prope Tanaim, teste græco Nicandri Scholiaste (qui perperam cum naphta confundit), verisimile est hanc quoque secum attulisse et asservasse Medeam, ut inf. colligitur vs. 677.

271. *Sollicita*. Carminibus, imprecationibus, veneficiis, sceleribus vexa et incanta sidera.

272. *Ratem*, Argo, qua vecta veni.

273. *Comitem*, Jasonem.

274. *Bella*, ab Acasto denuntiata.

275. *Utrumque*, me et Jasonem.

276. *Illi Pelia*, etc. In Jasonis gratiam et ultionem jacet; cui autem scelus est bono, nocens ille est. Inf. vs. 500.

277. *Fugam*, a patre. — *Rapinas*, aurei velleris. — *Adice*, adjice.

278. *Lacerumque fratrem*. Sup. vs. 44 et 131, in notis.

279. *Novas conj*. Invidiose *plurali* numero utitur, ut 1008 : *Relinque matres*. Sic sæpius : ubi egregii censores *singularem* substituerunt.

280. *Mihi*. Ut meis prodessem commodis.

281. *Exisse*. Supple, te. — *Quid seris fando moras*. Cur discessum verbis inanibus retardas?

MED. Supplex recedens illud extremum precor,
Ne culpa natos matris insontes trahat.
CR. Vade, hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.
MED. Per ego auspicatos regii thalami toros,
Per spes futuras, perque regnorum status,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
Precor, brevem largire fugienti moram,
Dum extrema natis mater infigo oscula,
Fortasse moriens. CR. Fraudibus tempus petis.
MED. Quæ fraus timeri tempore exiguo potest?
CR. Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.
MED. Parumne miseræ temporis lacrimis negas?
CR. Etsi repugnat precibus infixus timor,
Unus parando dabitur exsilio dies.
MED. Nimis est; recidas aliquid ex isto licet.
Et ipsa propero. CR. Capite supplicium lues,
Clarus priusquam Phœbus attollat diem,

285. *Auspicatos*, etc. Bono auspicio cœptas Jasonis et filiæ tuæ nuptiss, non ut meas, quæ fuerunt inauspicatæ. Sup. vs. 16.

286. *Per spes futuras*, quas ex novo suscepisti conjugio. — *Regnorum*. Generaliter dictum. Totum hunc locum inepte intelligit gallicus interpres: « Par l'heureuse stabilité du trône de Corinthe, tandis que les autres empires sont sujets à de si cruelles révolutions. »

290. *Fraudibus*. I. e. ad fraudes struendas.

292. *Malis*, iis qui malo admittendo insueverunt.

293. *Parumne*, etc. Ordo est: « Negasne parum temporis lacrimis miseræ? »

294. *Infixus*. Qui animo meo, etsi excutere tentem, adhærescit. Gallice, « qui me poursuit malgré moi. » Vid. Animadv.

296. *Nimis est*, etc. Ultra votum mihi moram indulsisti, namque in rem meam est fugam accelerare, ac proinde et ipsa propero. — *Isto*, tempore quod tu mihi das.

297. *Cap. suppl. lues*. Respondet Creo, ita ut non videatur audiisse quas illa modo protulit voces. — *Capite*. Euripides simili fere modo: Εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ... θανῇ. Ennius in Medea: « Si te secundo lumine hic offendero, moriere. »

298. *Clarus priusquam*, etc. Ordo est: « Capite supplicium lues, nisi cedis Isthmo (vs. sq.), priusquam Phœbus clarus, etc. »

Nisi cedis Isthmo. Sacra me thalami vocant,
Vocat precari festus Hymenæo dies.

CHORUS.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit;
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris;
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.
Nondum quisquam sidera norat;
Stellisque, quibus pingitur æther,

299. *Isthmo*, Corinthiaco. — *Thalami*, nuptiarum Creusæ.

300. *Vocat precari festus Hym. dies*. Dies Hymenæo sacra, vocat me ad preces et vota.

Act. II, sc. III. Chorus, in audaciam navigantium invectus, primos nautas dignum audacia sua retulisse præmium canit : scilicet Medeam.—Si velis consimilia huic argumento legere, conf. Oppian. Halientic. I; Prop. Eleg. III, 6; Apollodor. Bibliothec. lib. III; Apollon. Argonaut. lib. IV; Manilius, lib. I; Hygin. Astron. lib. II; D. Isidor. Origin. lib. V, et Horat. Od. lib. I, od. III.

301. *Audax nimium*, etc. Locus in navigationem, concinens Horat. Od. lib. I, III, 9 : « Illi robur et æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem Primus. » — *Qui freta primus*. Censent poetæ primum Jasonem cum Argonautis navigasse. Manil. lib. I, v. 402 : « ...tum nobilis Argo In cælum subducta, mari quod prima cucurrit... Servando dea facta Deos. »

303. *Terrasque suas*, etc. E portu solvens in altum, videt terras recedere. Vid. Troad. vs. 1044.

304. *Animam*, etc. Vitam credidit fallacibus austris. Lucil. Sat. 28 : « Vitam ac fortunas quoi crediderim meas. »

306. *Tenui fid. ligno*. « I nunc, et ventis animam committe, dolato Confisus ligno, digitis a morte remotus Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda. » Juven. S. XII, 57.

307. *Inter vitæ mortisque vias*. Anacharsis, ubi didicisset navis crassitudinem esse quatuor digitos, τοσοῦτον, inquit, τοῦ θανάτου οἱ πλέοντες ἀπέχουσι.

Non erat usus : nondum pluvias
Hyadas poterant vitare rates :
Non Oleniæ sidera capræ :
Non quæ sequitur flectitque senex
Arctica tardus plaustra Bootes :
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesque novas
Scribere ventis : nunc lina sinu
Tendere toto : nunc prolato
Pede transversos captare Notos :

311. *Nondum pluvias*, etc. Hyades ortu et occasu suo pluvias tempestatesque excitant. Vid. Thyest. vs. 853, not.

312. *Hyadas*. In fronte Tauri septem sunt stellæ, quæ Suculæ appellantur Latinis.

313. *Oleniæ sidera capræ*. Id est, Amaltheæ inter sidera relatæ, quod Jovi lac præbuisset prope Olenum, Achaiæ oppidum.

314. *Non quæ sequitur*, etc. I. e. non norant sidera, quæ, etc.

315. *Senex*, etc. Satis apparet Senecam eorum opinionem sequi, qui putant Booten esse Icarium, Erigones patrem. Germanici interpres : Bootes, inquit, qui et Arcturus, fertur esse custos Plaustri, eo quod sequitur Plaustrum, h. e. Septemtriones.

315. *Arctica*, quia polo viciniora. Vid. Animadv.

318. *Ausus Tiphys*, etc. Argonautas primum navigasse canunt poetæ, Tiphyn primum velis et stellis in navigando usum fuisse.

319. *Carbasa*, vela carbasina.— *Legesque novas scrib. ventis*. Et indicare quomodo oporteat ventis navim regere.

320. *Nunc l. s. Tendere toto*. Secundus dum spirat ventus.

321. *Nunc prolato*, etc. Obliquatis ad captandum flantem a latere ventum velis, ποδεῶνα, id est, imum veli angulum, producto altero, reducere.

322. *Pede*. Parte veli infima, quæ ad latus navis religatur, quam nautæ, prout tempestas poscit, aut contrahunt, aut laxant. Catullus, Carm. IV, vs. 20 : « sive utrumque Jupiter Simul secundus incidisset in pedem ; » quo ex loco duos hos esse nauticos pedes colligit Turnebus ; et Pimpontius multa ad illud Virgil. Æn. V, 830 : « una omnes fecere pedem ; » ubi Servius : « Podiam (lego *pedem*, vel *podeona*), h. e. funem, quo tenditur velum, quod Græci πόδα vocant, ut est apud Pindarum et Aristophanem. » Hæc Servius. Ego vero etiam apud Homerum, Odyss. V, et Euripidem in Taurica Iphigenia invenio. Pli-

Nunc antennas medio tutas
Ponere malo : nunc in summo
Religare loco, quum jam totos
Avidus nimium navita flatus
Optat, et alto rubicunda tremunt
Suppara velo.
Candida nostri secula patres
Videre, procul fraude remota.
Sua quisque piger litora tangens,
Patrioque senex factus in arvo,
Parvo dives, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.
Bene dissepti fœdera mundi

nius quoque scripsit, Histor. Nat. lib. II, 48 : « iisdem ventis in contrarium navigatur, simul prolatis pedibus. »

323. *Media tutas*, etc. Hoc faciunt nautæ, quando vel non satis vehemens ventus, vel totum excipere nolunt : attollunt autem antennas, quum plenis velis auram volunt infundi, ut mox ait. Delr.

324. *In summo malo.* In summitate mali erectas.

326. *Avidus nimium navita.* Nimis indulgens voto ad properandum iter plenis velis.

327. *Tremunt*, vento impulsa.

328. *Suppara.* Lintea annexa supra acatium et antennam. « Summaque pandens Suppara velorum perituras colligit auras. » Vid. Turn. Adv. XXI, cap. 4.

329. *Candida.* Nulla avaritiæ livorisque labe polluta.

331. *Piger*, otio et pace fretus.

332. *Patrioque senex*, etc. His omnino contraria et de navigationis fructu ejusque laudibus veriora Aristides in oratione Isthmica. In Nostri tamen sententiam Schol. antiquus ad Juven. Sat. XIV, 120: « Apollinis oraculo declaratus est felicissimus Aglaus Arcas, qui nunquam patrium agellum excesserat; quum a Deo quæreretur, quis fidem veræ felicitatis implesset. » Claud. Carm. LII, vs. 4, de sene Veronensi, qui suburbium nunquam egressus est : « ... Unius numerat sæcula longa casæ : Illum non vario traxit fortuna tumultu, Nec bibit ignotas, mobilis hospes, aquas, etc. »

333. *Parvo dives.* Secundum philosophos loquitur. Turpilius in Lindia, 88 : « Profecto ut quisque minimo contentus fuit, Ita fortunatam vitam ducit maxime : Ut philosophi aiunt isti, quidvis satis est. »

335. *Bene.* Ad melius humani generis commodum. — *Dissepti*, medio mari sejuncti et separati. — Imitatur Noster Horat. Od. I, III, 21 : « Nequidquam Deus, etc. »

Traxit in unum Thessala pinus,
Jussitque pati verbera pontum;
Partemque metus fieri nostri
Mare sepositum : dedit illa graves
Improba pœnas, per tam longos
Ducta timores : quum duo montes,
Claustra profundi, hinc atque illinc
Subito impulsu, velut ætherio
Gemerent sonitu; spargeret astra
Nubesque ipsas mare deprensum.
Palluit audax Tiphys, et omnes

336. *Traxit in unum.* Confudit hæc bene distincti mundi fœdera, et mari commiscuit terras, quas « Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili. » — *Thessala pinus*, navis e pinu Thesalæ silvæ.

337. *Verbera*, remorum ictus.

338. *Part. metus*, etc. Prop. III, 6, 31 sq. « Terra parum fuerat fatis; adjecimus undas; Fortunæ miseras auximus arte vias. »

339. *Illa*, Argo.

340. *Tam longos timores.* Viam tam longis scatentem asperitatibus et periculis.

341. *Quum duo montes.* Cyaneæ, Symplegades, quas transmisere Argonautæ, Phinei monitu præmissa viæ duce columba, non sine periculo, mutilata summa puppis parte. Farn. — Symplegades, vel Cyaneæ insulæ sunt, seu scopuli in Ponti Euxini ostio : quæ finguntur concurrentes, eo quod non multum a se distantes, navigantibus modo disjungi, modo coire videantur : quingentis passibus ab Europa discretæ.

342. *Claustra profundi.* Maris enim Pontici aditus claudere videntur. Vid. not. sup.

343. *Subito impulsu.* Hoc est, collisione, unde et nomen habent, ἀπὸ τοῦ συμπλήττεσθαι, quum duo scopuli, utrinque moti et concurrentes, quasi tonitrua ederent. Apollonius Rhodius, II, 566, de iisdem : ταὶ δ' ἀμυδὶς πάλιν ἀντίαι ἀλλήλῃσιν ἄμφω ὁμοῦ ξυνιοῦσαι ἐπέκτυπον. Plinius, Hist. Nat. II, 85 : « Montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo adsultantes, recedentesque. »

344. *Ætherio sonitu*, tonitru. — *Spargeret astra.* Id est, mole aquarum insurgentium fere tangeret. Emphatice dictum.

345. *Mare deprensum.* Quando hi scopuli collidebantur, in medio deprehensum et interceptum mare sic exprimebant, ut ejus undæ in cælum ipsum exsilirent : simillima illa Herc. Fur. 1213 (nost. ed. vol. I, p. 142) : « quumque revocata vice In se coibunt saxa, quæ in cælum exprimunt, Actis utrinque rupibus, medium mare. »

346. *Palluit audax*, etc. Expres-

Labente manu misit habenas :
Orpheus tacuit torpente lyra;
Ipsaque vocem perdidit Argo.
Quid! quum Siculi virgo Pelori,
Rabidos utero succincta canes,
Omnes pariter solvit hiatus,
Quis non totos horruit artus,
Toties uno latrante malo?
Quid! quum Ausonium diræ pestes

sit illa Horatii, Odar. III, xxvii, 26 : « et scatantem Belluis pontum mediasque fraudes Palluit audax. »

347. *Habenas*, clavum, et generaliter quidquid regebat navem, vel retinebat, ut equos habenæ.

348. *Orpheus*, etc. Metu stupefactus ipse tacuit Orpheus, et lyra prius vocalis.

349. *Ipsaque vocem perd. Argo*, cujus carina præsaga, garrula, fatidica dicitur, ut quæ ex Dodonæa quercu, πολυγλώσσῳ, λαλεῦσάν τινα εἶχε τὴν τρόπιν ἐκ τῆς Δωδώνης δρυὸς, in qua duæ columbæ, seu mulieres *columbæ* vocatæ, responsa reddere solebant.

350. *Siculi virgo Pelori*. Scylla, Phorci filia, quam quum Glaucus Circe spreta amaret, hæc veneficiis, dum se in fonte lavaret, in monstrum canibus inguina succinctum mutavit; estque in mari Siculo ad promontorium Pelorum, humana figura saxum cavernosum, ad quod maris æstuosi fluctus refracti latratum canum repræsentant. Argonautæ vero, a Jove propter discerptum Absyrtum irato immissa tempestate, errantes hæc loca appulerant.

351. *Rabidos utero succincta canes*. Lucret. V, 890 : « Aut rabidis canibus succinctas semimarinis Corporibus Scyllas. » Tibull. Eleg. III, iv, vs. 89 : « Scyllaque virgineam canibus succincta figuram. » Virg. in Ecl. VI, vs. 74 : « Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam fama sequuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates. »

354. *Toties uno latrante malo?* Hoc est, uno monstro tot simul latratus edente, quot canibus Scylla succingebatur.

355. *Ausonium*, Italicum, ab Ausone, Ulyssis et Calypsus filio. — *Diræ pestes*. Sirenes, sive Acheloi et Terpsichores, secundum Nonnum et Isacium; sive Acheloi et Steropes, juxta Homeri Schol. sive Acheloi et Melpomenes, ex Nicandri sententia; sive Acheloi et Calliopes, ut Servius ad Æneid. III voluit. Quæ nomina habuerint non satis constat. Sunt qui vocitent Aglaopen, Thelxiopeiam, Pisinoen, Molpen, Aglaophonen; Dionysius Halicarnasseus, Solinus et alii plerique, Parthenopen, Ligiam, Leucosiam. Hæ Junonis instinctu Musas cantu provocarunt, a quibus victæ, implumes abierunt : earum-

Voce canora mare mulcerent;
Quum Pieria resonans cithara
Thracius Orpheus solitam cantu
Retinere rates pæne coegit
Sirena sequi? Quod fuit hujus
Pretium cursus? aurea pellis;
Majusque mari Medea malum,
Merces prima digna carina.
Nunc jam cessit pontus, et omnes
Patitur leges : non Palladia
Compacta manu, regum referens
Inclita remos quæritur Argo,
Quælibet altum cymba pererrat;

que plumas Musæ capitibus suis imposuerunt; ideo indignatæ Sirenes cantus suos in perniciem hominum converterunt : aliam tamen causam reddit Claudian. de raptu Proserp. III, v. 254 sqq. « Discedunt aliæ rapidis Acheloides alis Sublatæ; Siculi latus obsedere Pelori, Accensæque malo, jam non impune canoras In pestem vertere lyras. Vox blanda carinas Alligat, audito frenantur carmine remi. »

356. *Voce canora.* Harum una voce, teste Servio ad Æneid. V, circa finem (864), alia tibiis, alia lyra canebat.

357. *Pieria cithara*, quam a Calliope matre acceperat.

359. *Pæne coegit.* Apollon. item de Orpheo : Παρθενικὴν δ' ἐνοπὴν ἰδιήσατο φόρμιγξ.

361. *Aurea pellis.* Phryxi arietem aureo insignem vellere ex Mercurii contactu Apollonius, Orpheus, Catullus et plerique scribunt; Simonides aliquando candidum, aliquando purpureum vocat, πορφυρεῶν; sed, opinor, more græco, quibus albus color quandoque dicitur purpureus. Horat. ipse, IV, od. I, 10, *olores* notat *purpureos.* Arcesilaus maris contactu hunc purpureum colorem credit accepisse. Mythologiam tradit Dionysius Mitylinæus: Crion (sic vocant arietem) Phryxi pædagogum fuisse, et cum eo in Colchos navigasse addunt; alii navigii in prora pictam fuisse arietis effigiem, forte auratam. Plura Hygin. Fabul. cap. 188, et Lucil. Tharræus ad Apollon. I, 256.

363. *Merces prima digna carina.* Effera, audax, temeraria mulier, merces digna fuit prima illa temeraria nave.

365. *Palladia.* Argo Minervæ opera confectam fuisse primus Simonides scripsit : idem postea Seneca, Claudianus aliique permulti tradiderunt.

366. *Regum*, Jasonis, et sociorum regum.

368. *Quælibet cymba.* Naves, vel maxime vulgares.

Terminus omnis motus, et urbes
Muros terra posuere nova.
Nil, qua fuerat sede, reliquit
Pervius orbis.
Indus gelidum potat Araxem:
Albim Persæ, Rhenumque bibunt.
Venient annis secula seris;
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thule.

369. *Motus.* Ex antiqua sede emotus.

370. *Muros terra posuere nova.* I. e. urbes se propagaverunt coloniis; urbes novæ ædificari cœptæ in terris aliis, novæque deductæ coloniæ.

371. *Nil, qua fuerat sede*, etc. Sensus est: « Ubi orbis nemini non fuit pervius, nihil relictum est eadem in sede, quam primum obtinuerat. »

373. *Araxen*, Armeniæ fluvium.

374. *Albin, Rhenum*, fluvios Germaniæ.

375. *Venient annis*, etc. Veniet tempus inter posteros, quum Oceanus, qui nunc circumligat terram, hominesque illum transire timentes tenet conclusos, aperietur demum longinquis navigationibus, et vastissimæ, quæ nunc etiam latent, deprehendentur terræ in ipso mari.

376. *Vinc. r.* Terminos suos, quibus terras, et ideo res omnes, cingit.

377. *Ingens pateat tellus.* Non tam acceptum hoc Platoni in Phædone de orbe incognito disserenti refert Abrahamus Ortelius, quam poetæ Hispani de America a suis inventa vaticinio. FARN.

379. *Nec sit terris ultima*, et aliquid ultra detegetur. — *Thule.* Oceani septemtrionalis insula. Virgilius, Georg. I, 30: « tibi serviat ultima Thule. » Similis est, quamvis de cælo agatur, non de terra, prædictio Senecæ philosophi, Quæst. Nat. VII, 25: « Veniet tempus, quo ista quæ nunc latent, in lucem dies extrahat; et longioris ævi diligentia, etc. » Nihil his notabilius.

ACTUS TERTIUS.

NUTRIX, MEDEA.

NUTR. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem?
Resiste, et iras comprime, ac retine impetum.
Incerta qualis entheos cursus tulit,
Quum jam recepto Mænas insanit Deo,
Pindi nivalis vertice, aut Nysæ jugis;
Talis recursat huc et huc motu effero,
Furoris ore signa lymphati gerens.
Flammata facies spiritum ex alto citat.

Act. III, sc. 1. In vindictam præceps fertur Medea, nutrice incassum eam debortante.

380. *Tectis*, e tectis, extra tecta.

382. *Incerta qualis*, etc. Hæc secum nutrix. — *Entheos*. Τὸ ἔνθεον apud hunc poetam, pro sacro et furioso. *Enthei* sunt qui impetu quodam divino rapiuntur in sacris Bacchi, ut hic, et in OEdip. 628: « Vibrate thyrsos. *Enthea* natos manu Lacerate. » In sacris Apollinis: in Agamemn. 588: « Effrena Phœbas *entheas* laurus quatit. » In sacris Cybeles, Martial. Epigr. XI, 84, 4: « Quum furit ad Phrygios enthea turba modos. » Fabr. — *Entheos* refer ad *Mænas*, vs. sq.

383. *Mænas*, Baccha, à μαίνεσθαι. Troad. vs. 674 sq. « ... qualia Deo Percussa Mænas, entheo silvas gradu Armata thyrso terret, etc. »

384. *Pindi nivalis vertice*, Thessaliæ montis, in quo bacchari solitæ Mænades. Lucan. lib. I, 674: « Nam qualis vertice Pindi Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo. » — *Nysæ*. Græci quidam Νύσαν, alii Νίσσαν, alii Νύσσαν scribunt. Nysæ porro tam urbes, quam montes nominantur a Stephano et reliquis geographis decem: hic agitur, vel de altero Parnassi vertice, vel de urbe Indica, ad radices montis Meri: in cujus antro Dithyro Bacchus fuit educatus.

386. *Furoris lymphati*. Poterit lector conferre hanc iræ descriptionem cum ea quam reliquit Seneca in libro de Ira, I, 1: « Quidam itaque e sapientibus, etc. »

387. *Flammata facies*, etc. Spiritus e corde excitus et per faciem diffusus, turbulentos ipsius motus

Proclamat : oculos uberi fletu rigat.
Renidet : omnis specimen affectus capit;
Hæret, minatur, æstuat, queritur, gemit.
Quo pondus animi verget? ubi ponet minas?
Ubi se iste fluctus franget? exundat furor.
Non facile secum versat aut medium scelus.
Se vincet : iræ novimus veteres notas.
Magnum aliquid instat, efferum, immane, impium.
Vultum furoris cerno. Dii fallant metum!
MED. Si quæris odio, misera, quem statuas modum,
Imitare amorem. Regias egon' ut faces
Inulta patiar? segnis hic ibit dies,
Tanto petitus ambitu, tanto datus?
Dum terra cælum media libratum feret;
Nitidusque certas mundus evolvet vices;

arguit. — *Ex alto*, ex imo pectore.

388. *Oculos uberi fletu*, etc. Vid. Animadv.

389. *Renidet*. Vindictæ spem sibi gratulata ridet. FARN. — *Specimen*. Signa et argumenta omnium cogitationum.

390. *Hæret*, cogitabunda et dubia. — *Minatur*, vultu truci, quassato capite. — *Æstuat*, irata.

391. *Verget*, quo inclinabit animus malorum pondere oppressus. — *Ubi*, ad quem terminum.

392. *Iste fluctus*, irarum.

393. *Facile*, junge cum *scelus*; et *scelus facile et medium*, intellige, « leve et vulgare scelus. »

394. *Se vincet*. Emphasis. Vincet priora facinora.

396. *Fallant metum*. Faxint, ut falsum sit quod metuo.

397. *Si quæris*, etc. Medea nutrici non attendens, hæc secum.

398. *Imitare amorem*. Non sunt hæc referenda ad alium amorem quam unius Medeæ. Itaque supervacua dant illi, qui vim amoris ad hunc locum multis stabiliunt. Dicit enim ita extremo odio habendum Jasonem, quemadmodum immoderate amarat; quippe cujus gratia omnia divina et humana jura confuderat. Vid. Aristotel. Ethic. Nicom. lib. II, cap. 6, ubi explicat Stagirites philosophus, quibus de causis possit amor intra legitimos fines se continere. — *Regias faces*, in Jasonis cum regis filia nuptiis, accensas.

400. *Segnis*. Diem otiosa et segnia perdam. — *Petitus*. Vix a Creonte impetratus. Sup. vs. 295.

401. *Dum*, etc. Dum circumfuso pendebit in aere tellus, ponderibus librata suis. Ovid. Met. I, 12.

402. *Nitidus mundus*. Cælum stellatum. — *Vices*, anni tempestates.

Numerusque arenis deerit; et solem dies,
Noctem sequentur astra; dum siccas polus
Versabit Arctos; flumina in pontum cadent;
Nunquam meus cessabit in pœnas furor,
Crescetque semper. Quæ ferarum immanitas,
Quæ Scylla, quæ Charybdis, Ausonium mare
Siculumque sorbens, quæque anhelantem premens
Titana, tantis Ætna fervescit minis?
Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusque Coro sævus, aut vis ignium
Adjuta flatu, possit inhibere impetum
Irasque nostras: sternam et evertam omnia.
Timuit Creontem, ac bella Thessalici ducis?
Amor timere neminem verus potest:
Sed cesserit coactus, et dederit manus;
Adire certe, et conjugem extremo alloqui

403. *Numerusque aren. deerit.* Nostra quidem ignoratione deest arenæ numerus; non re ipsa: exstabat olim de *arenæ numero* liber Archimedis: vid. Horat. Od. I, 28, 1, et not. nost.

404. *Siccas Arctos.* Ursam majorem et minorem, quæ, quia nunquam infra horizontem cadunt, siccæ dicuntur. Virg. G. I, 246.

405. *Versabit*, circumaget. — *Flumina*, etc. Sic Virg. Æn. I, 607: « In freta dum fluvii current. »

406. *In pœnas.* Ut repetam pœnas. — *Furor*, meus.

408. *Charybdis.* Nihil est aliud, quam vorticosum mare, flante præcipue Austro. — *Ausonium mare.* Quod inter fretum Siculum et Adriaticum, sive Superum mare, interfluit usque ad Salentinos. De Scylla cf. sup. v. 250, et ibi not.

410. *Titana.* Typhoeum, ut volunt plerique; secundum alios, inter quos Noster, Enceladum.

412. *Pontusque Coro sævus.* Euxinus, in quo procellas excitat Corus, ventus ab occasu solstitiali flans, adversus Vulturnum, sive Eurum. Thyest. vs. 578.

415. *Timuit Creontem*, etc. Paululum dubia hæret, et se ipsam interrogat: « Nonne, quum me relinquit Jason, timet Creontem, etc. » — *Thessalici ducis*, Acasti. Sup. vs. 257.

416. *Amor timere*, etc. Audacia amantium pleni sunt poematum libri. Propert. Eleg. II, 27, 11 sq. « Solus amans novit, quando periturus, et a qua Morte; neque hic Boreæ flabra, nec arma timet. »

417. *Sed cesserit.* Sed fac eum cessisse, huc coactum. — *Coactus.* Vid. Animadv.

418. *Conjugem*, me, Medeam.

Sermone potuit; hoc quoque extimuit ferox.
Laxare certe tempus immitis fugæ
Genero licebat : liberis unus dies
Datus duobus : non queror tempus breve;
Multum patebit : faciet, hic faciet dies,
Quod nullus unquam taceat : invadam Deos,
Et cuncta quatiam. NUTR. Recipe turbatum malis,
Hera, pectus : animum mitiga. MED. Sola est quies,
Mecum ruina cuncta si video obruta.
Mecum omnia abeant : trahere, quum pereas, libet.
NUTR. Quam multa sint timenda, si perstas, vide.
Nemo potentes aggredi tutus potest.

JASON, MEDEA.

JAS. O dura fata semper, et sortem asperam,
Quum sævit, et quum parcit, ex æquo malam!
Remedia toties invenit nobis Deus

419. *Hoc quoque extimuit ferox.* Et me alloqui forte timuit, alias superbus ac ferox.

420. *Laxare.* In longius temporis spatium porrigere. —*Immitis fugæ*, exsilii, quo damnor ego crudeliter. — *Genero*, Jasoni, facto jam genero Creontis.

421. *Liberis.* Quo liberis meis duobus valedicam.

423. *Multum patebit.* Satis superque temporis mihi suppetet.

424. *Nullus*, dies. — *Invadam Deos.* Imprecationibus. Sup. vs. 271, et inf. vs. 672.

425. *Et cuncta quatiam*, et omnia movebo. Virg. Æneid. VII, 312 : « Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. »

426. *Sola est quies.* Respondet nutrici quæ adhortatur, ut mitiget se et quiescat.

428. *Libet.* Generaliter dictum. —*Trahere quum pereas*, etc. Lucan. VII, 654 : « ..... trahere omnia secum Mersa juvat, gentesque suæ miscere ruinæ. »

430. *Potentes.* Late enim patens est ira; longæ manus regis.—*Tutus.* Ita ut nihil adeat periculi.

Act. III, sc. II. Jasonem, qui gravatim Medeam deserere videtur, seque excusare tentat, aggreditur Medea, opprobriis, precibus, simulata conciliatione.

431. *Fata*, mea. — *Sortem*, et sortem iniquam meam.

433. *Remedia toties*, etc. In ex-

Periculis pejora? si vellem fidem
Præstare meritis conjugis, leto fuit
Caput offerendum : si mori nolim, fide
Misero carendum est. Non timor vincit virum,
Sed trepida pietas : quippe sequeretur necem
Proles parentum. O sancta, si cælum incolis,
Justitia, numen invoco ac testor tuum!
Nati patrem vicere : quin ipsam quoque,
Etsi ferox est corde, nec patiens jugi,
Consulere natis malle, quam thalamis, reor.
Constituit animus precibus iratam aggredi.
Atque ecce, viso memet, exsiluit, furit.
Fert odia præ se, totus in vultu est dolor.
MED. Fugimus, Iason, fugimus : hoc non est novum,

peditione Colchica ut effugerem tauros, draconem, serpentigenas, jurisjurandi reus duxi Medeam; hic, ne ab Acasto petitus, Creontis insidiis peream, violata priore fide, ducenda est Creusa.

434. *Fidem Præstare*. Stare pactis, et ostendere me gratum.

437. *Misero*, mihi.—*Non timor* etc. Nec tamen mori refugio, timore vacuus, parum de me sollicitus.—*Vincit virum*. Vid. Animadv.

438. *Sed trepida pietas*, etc. Sed pietas in filios me trepidum facit, ne et illi meam necem comitentur. — *Sequeretur necem proles parentum*. I. e. post necem parentum brevi quoque liberi necarentur. Et h. l. ἑλληνίζει Seneca, ut in Œdipo, vs. 617; « sequitur et Bacchas lacer Pentheus. »

440. *Justitia*, Astræa. Cf. Thyest. vs. 857, et ibi not.

441. *Nati patrem vicere*. Amor natorum coegit me vivere.—*Ipsam*, Medeam. Emphasis.

442. *Etsi ferox est*. Ait Horat. Art. Poet. vers. 123 : « sit Medea ferox invictaque. »

443. *Consulere natis malle, quam thalamis*. Malle vitam natorum servare, quam meis thalamis frui.

444. *Constituit animus*. Ego animo constitui.

446. *Totus in vultu est dolor*. Vultus dolorem integrum, quantus quantus est, exprimit : nihil illa necesse est iram profiteatur, ex vultu manifeste deprehendas. — *Dolorem*, pro ira etiam invenitur, Hercul. OEt. 247, et Agam. 406.

447. *Fugimus*. In exsilium mittor, Jason, in exsilium jam abeo. Ironice dictum, ita ut revocet aliam fugam suam, quum fugeret Jasonem comitata.—*Hoc non est novum*. Fugi enim e Colchide patris mei iram verita : rursus e Thessa-

Mutare sedes : causa fugiendi nova est.
Pro te solebam fugere : discedo, exeo.
Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phasin et Colchos petam,
Patriumque regnum, quæque fraternus cruor
Perfudit arva? quas peti terras jubes?
Quæ maria monstras? Pontici fauces freti?
Per quas revexi nobiles regum manus,
Adulterum secuta per Symplegadas?
Parvamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?
Quascumque aperui tibi vias, clusi mihi.
Quo me remittis? exsuli exsilium imperas,
Nec das : eatur; regius jussit gener.

lia, Acasti Pelian patrem interfectum ulturi. Sed hæc propter te.

449. *Discedo, exeo.* Suppl. quum tu ipse nunc jubes.

451. *Phasin.* Sup. vs. 44, 133.

452. *Quæque fraternus cruor Perfudit.* Apud Catullum, Carm. LXIV (edit. nost. pag. 258), Ariadne sic exclamat : « An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui, Respersum juvenem fraterna cæde secuta? »

453. *Quas peti terras jubes?* Citantur hæc verba a Quintiliano, Instit. Orat. lib. IX, cap. 2, Senecæ nomine, ἁπλῶς, quod de alio quam philosopho minime accipiendum : est autem hæc interrogatio apta concitandæ invidiæ, ex iis quæ responsione carent : multiplex enim interrogatio : nam vel instamus ea, vel commiserationem aut invidiam movemus, vel ridemus, vel scire aliquid cupimus, quod nescimus.

454. *Quæ maria monstras?* quæ maria indicas mihi enaviganda?

455. *Nobiles regum manus.* Argonautas innuit, seu quia manualem operam præstabant ipsi reges, remigum officio fungendo; sive verbum *manus* significet *ministros*, ut se ait Gronovius adnotavisse ad Statii Silvas.

456. *Adulterum.* Te, tum raptorem, jam desertorem. — *Symplegadas.* Sup. vs. 341, et ibi not.

457. *Tempe.* Tempe dicta, quævis situ amœna loca; quædam Bœotiæ, quæ Theumesia; quædam Siciliæ, quæ Eloria; quædam Thessaliæ, quæ simpliciter *Tempe* vocari consuevere a scriptoribus : describuntur ab Æliano, Var. Hist. lib. III, in princip. et ab Ovidio, Metam. lib. I, 569, et VII, 222.

458. *Quascumque aperui.* Namque et patriam, et Thessaliam mihi infesta atque inimica reddidi, tibi ut placerem.

460. *Nec das.* Non hæc argute dicta; verum et animose cogitata, et poetico spiritu expressa, quorum vis etiam augetur per ea quæ

Nihil recuso : dira supplicia ingere;
Merui : cruentis pellicem pœnis premat
Regalis ira, vinculis oneret manus,
Clusamque saxo noctis æternæ obruat;
Minora meritis patiar. Ingratum caput!
Revolvat animus igneos tauri halitus,
Interque sævos gentis indomitæ metus,
Armifero in arvo flammeum Æetæ pecus,
Hostisque subiti tela : quum jussu meo
Terrigena miles mutua cæde occidit.
Adice expetita spolia Phrixei arietis,
Somnoque jussum lumina ignoto dare

sequuntur, *eatur.*—*Regius... gener.* Quo melius agnoscatur quid πάθους habeant hæc, « exsuli exsilium imperas, » revocare libeat animo Medeam, dum sequeretur Jasonem, sibi ipsi exsilium procul a sua patria indixisse, et rursus Jasonem, dum fieret Creontis gener, novum priori suæ conjugi indicere exsilium, ita ut hæc nesciat quo possit aut debeat inferre gradum.—*Reg. gener.* Jason, Creontis jam gener. Scoptice.

461. *Dira supplicia ingere.* Quæ bene de te merendo, perfide, meruerim.

462. *Pellicem*, me, velut filiæ suæ pellicem.

463. *Regalis*, Creontis.

464. *Saxo noctis*, specu tenebroso, semper me obrutam teneat Creo, Sisyphius ipse; inf. vs. 512.

465. *Meritis.* Præ malis meritis in patrem, fratrem meum et Peliam : bonis erga te. — *Ingratum caput.* Nihil dubii est quin summopere delectandus sit lector, si contulerit hæc cum imprecationibus Didonis, apud Virg. Æn. IV, 612.

466. *Revolvat animus.* Recordare id, quum non liceret aureum vellus auferre, nisi tauris ignivomis domitis jugoque junctis campum sulcasses Martium, et dentes serpentis seminasses, etc.

468. *Armifero.* Claudian. XXI, 324, de Spartis : « Armifer et viridi florebat milite sulcus. » —*Pecus*, tauros.

470. *Terrigena miles.* Armatorum messis. Addit Delrius : « Observavi Jasonem seminasse dentes draconis, non illius Colchici, sed ejus quem Cadmus prius in Bœotia occiderat. Nam Apollonius et Pherecydes scribunt, Bœotii illius dentes æquis partibus a Minerva divisos Cadmo et Æetæ; hos Æetas Jasoni seminandos dedit. Hunc draconem Pherecydes et Herodotus autumant occisum ab Jasone; Antimachus vero, Apollonius et Valerius Flaccus dumtaxat veneficiis Medeæ consopitum memorant.

471. *Adice*, adjice. — *Expetita*, quæ tanto studio expetebas. —

Insomne monstrum : traditum fratrem neci;
Et scelere in uno non semel factum scelus;
Jussasque natas, fraude deceptas mea,
Secare membra non revicturi senis.
Aliena quærens regna, deserui mea.
Per spes tuorum liberûm, et certum larem,
Per victa monstra, per manus, pro te quibus
Nunquam peperci, perque præteritos metus,
Per cælum, et undas, conjugii testes mei,
Miserere : redde supplici felix vicem.
Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ
Usque a perustis Indiæ populis petunt,

Phrixei. Quem Marti Phrixus sacravit. — *Somnoque jussum*, etc. Draconem adde te fefellisse : te, inquam, Promethei herba venenata, inf. vs. 707, a me donatum taurorum flammis restitisse, lapidem a me acceptum in medios terrigenas jecisse, quo facto seges illa armata mutuis vulneribus cecidit; succo denique Lethæo tibi a me dato, vigilem draconem sopivisse.—*Jussum*.Verbum solemne, quod potentiam declarat veneficæ. Ovid. Rem. Amor. vs. 253 : « Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra. » Bau.

473. *Traditum fratr. neci*. Supple, *revolvat animus*, vs. 466. Et de hac nece cf. sup. vss. 44 et 133.

474. *Non semel*. Bis.

475. *Natas*, Peliæ filias. Suprà, vs. 261, et ibi not.

477. *Aliena quærens regna*. Vid. Animadv.

478. *Per spes tuorum*, etc. Per liberos quos e novo conjugio speras te suscepturum, per lares certos quos te tibi addixisse speras.

479. *Manus*, meas.—*Metus*, tuos.

481. *Undas, conjugii testes mei*. Celebratas Jasonis et Medeæ nuptias alii in mari scribunt, in Peuce insula, alii in Corcyra.

482. *Vicem*, parem tu quoque salutem, quam a me accepisti.

484. *A perustis Indiæ populis*. De Indo-Scythis agit, quos Gedrosiæ et Arachosiæ Ptolemæus opponit. Gentes Colchidos, ait Delrius, longinqua sine dubio emensas fuisse maria, et legem populis ditissimis imposuisse, quippe quas penes tot tantique erant thesauri. Si credas Plinio, regiæ apud Colchos ædes aureæ effulgebant, trabibus columnisque fultæ argenteis. Nec minori cum admiratione loquitur Strabo. Unde fere conjecerimus per hanc Argonautarum fabulam alludi posse ad iter, quod et Jaso et comites ejus suscepissent, veros orbis limites agnituri; aut avos Medeæ tam uberem auri copiam jam detexisse; aut denique penetravisse tantum in Indiam, quæ tam celebris erat propter suas divitias, ut eam

Quas quia referta vix domus gazas capit,
Ornamus auro nemora, nil exsul tuli,
Nisi fratris artus : hos quoque impendi tibi.
Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor.
Hac dote nupsi : redde fugienti sua.
JAS. Perimere quum te vellet infestus Creo,
Lacrimis meis evictus, exsilium dedit.
MED. Pœnam putabam ; munus, ut video, est fuga.
JAS. Dum licet abire, profuge, teque hinc eripe.
Gravis ira regum est semper. MED. Hoc suades mihi,
Præstas Creusæ : pellicem invisam amoves.
JAS. Medea amores obicit? MED. Et cædem, et dolos.
JAS. Objicere crimen quod potes tandem mihi?
MED. Quodcumque feci. JAS. Restat hoc unum insuper,
Tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
MED. Tua illa, tua sunt illa : cui prodest scelus,
Is fecit : omnes conjugem infamem arguant;

aurea arena Veteres perfusam existimarent.

485. *Ornamus auro nemora.* Propter vellus aureum in luco Martis quercui appensum.

489. *Hac dote nupsi.* Horum impendii et damni dote; quæ omnia tu mihi restitue, quoniam tua culpa intervenit divortium. FARN.

490. *Perimere*, etc. Sup. vs. 184 : « Abolere propere pessimam ferro luem Equidem parabam. »

495. *Præstas Creusæ.* Id est, das, tribuis, gratificaris Creusæ. Senec. de Benefic. V, 19, « qui domum meam, quo minus ruat, fulcit, *præstat* mihi. » Idem in Epist. IV : « Caius Cæsar jussit Lepidum Dextro tribuno præbere cervicem; ipse Chereæ præstitit. » Et intellige : Pulchre sane consulis superinductæ novæ nuptæ, me ut pellice amota.

496. *Medea.* Objicisne mihi novos Creusæ amores?

498. *Restat hoc unum insuper*, etc. Quasi dicas hæc meis consiliis facta, culpamque in me rejicias.

500. *Cui prodest scelus, is fecit.* Supra vs. 276. Cicero pro Roscio Amerino : « L. Cassius, ille quem populus romanus verissimum sapientissimumque judicem putabat, identidem in causis quærere solebat, cui bono esset. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. » Nullus dubito, quin Seneca huc respexerit. Apud Heliodorum, Æthiop. p. 514 : οὐχ' ὁ ἀδικήσας, εἶπεν ὁ Θεαγένης, ἀλλ' ὁ τὸ ἀδίκημα ἔχων ἀποδιδόναι δίκαιος.

501. *Omnes conj. infam. arguant.*

Solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.
JAS. Ingrata vita est, cujus acceptæ pudet.
MED. Retinenda non est, cujus acceptæ pudet.
JAS. Quin potius ira concitum pectus doma.
Placare natis. MED. Abdico, ejuro, abnuo.
Meis Creusa liberis fratres dabit?
JAS. Regina natis exsulum, afflictis potens.
MED. Non veniat unquam tam malus miseris dies,
Qui prole fœda misceat prolem inclitam;
Phœbi nepotes Sisyphi nepotibus.
JAS. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede, quæso. MED. Supplicem audivit Creo.

Ovidius in Medeæ Epist. vs. 131: « Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est, Pro quo sum toties esse coacta nocens. »

502. *Tibi*, tuo judicio. — *Quisquis*, qualiscumque.

504. *Ingrata vita est*, *cujus acceptæ pudet*. Quod a te tam effreni vitam acceperim, idque veneficiis malisque artibus obnoxius, pudet me pigetque. Plura affatim ad eumdem sensum apud Latinos auctores reperias. Cæsar, de Bello Civ. III, cap. 18: « Eum ingressum in sermonem Pompeius interpellavit, et loqui plura cohibuit. Quid mihi, inquit, aut vita, aut civitate opus est, quam beneficio Cæsaris habere videbor? » Curtius, VI, cap. 8, § 8. « Quædam beneficia odimus; meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut malit videri injuriam accepisse, quam vitam. »

505. *Retinenda non est*, *cujus*, etc. Est itaque in tua manu, simul te vita ac pudore exsolvere.

507. *Placare natis*. Velis mitigare animum, et te reservare ad curam liberorum tuorum, qui sunt amoris pignora et spes. — *Ejuro*. Verbum Senecæ, Consolat. ad Marc. 19: « Senectutem solitudo, quæ solebat destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et liberos ejurent, et orbitatem manu faciant. » De Benef. VI, 4: « Quid? non tam duri quidam, et tam scelerati patres sunt, ut illos aversari et ejurare jus fasque sit? »

509. *Regina*, etc. Regina est et potens, quæ dabit fratres natis exsulum et afflictis. Idem apud Euripid. in Medea, vs. 563: Σπείρας τ' ἀδελφοὺς τοῖσιν ἐκ σέθεν τέκνοις, Εἰς ταὐτὸ θείην, καὶ συναρτήσας γένος, Εὐδαιμονοίην.

510. *Miseris*. Iis et mihi, æque miseris.

512. *Phœbi nepotes*, filios meos, quæ Phœbi neptis sim. — *Sisyphi nepotibus*. Creusæ natis, cui pater Creon, filius Sisyphi.

514. *Creo*, etiam mihi infensus. Conf. supra, vs. 295.

JAS. Quid facere possim, eloquere. MED. Pro me? vel scelus.
JAS. Hinc rex, et illinc. MED. Est et his major metus,
Medea : nos conflige : certemus; sine,
Sit pretium Iason. JAS. Cedo defessus malis :
Et ipsa casus sæpe jam expertos time.
MED. Fortuna semper omnis infra me stetit.
JAS. Acastus instat, propior est hostis Creo.

515. *Pro me! vel scelus.* Quærit Jasou quid in gratiam Medeæ fieri a se possit. Respondet illa, omnia immo et scelus. Sceleribus enim obstrictus erat Jason. In sequentibus ostendit se magis quam utrumque regem esse metuendam. Cic. pro Cœlio, de Catilina : « Servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia. » Quatenus autem pro utilitatibus amicorum delinquendum sit, vid. Gell. lib. I, cap. 3.

516. *Hinc rex et illinc.* Creon et Acastus. — *Est et his major metus*, etc. Utroque tamen major ego, quam vel propter merita verearis, vel propter magicas artes metuas.

517. *Nos conflige.* Vid. Animadv. Et si acceperis una cum nobis lectionem Badenii, *conflige*, sumendum pro *compara.* Sic jam usus est Cic. de Invent. II, 43 : « Sæpe cum scripto factum adversarii confligendo. » Apud eumdem, Orat. Part. § 55, « inter se pugnantium rerum conflictio; » et § 102, « quasi conflictio cum adversario », sunt dicta pro comparatione. — *Sine*, per te liceat.

518. *Sit pretium Jason.* Asinius Pollio, quum se post Brundusinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset unquam reginam, aut post enervatum amore ejus Antonii animum partibus ejus se miscuisset, rogante Augusto, ut secum proficisceretur ad bellum Actiacum, « Mea, inquit, in Antonium majora merita sunt; illius in me beneficia notiora. Itaque discrimini vestro me subtraham, et ero præda victoris. »

520. *Fortuna semper omnis*, etc. Meam ego semper constitui fortunam; fortunæ victrix semper fuit mea sapientia. Eadem Medea Ovid. Met. VII, 55 : « Maximus intra me deus est. » Sed hic *deus* Cupido. Senecæ autem videtur, ut Floro, *infra esse* idem quod minorem esse : « Fortuna nunquam potuit, quantum ego ipsa; semper me minor fuit : et ego illam, non illa me in potestate habuit. » Propert. in contrarium, III, 9, 2 : « Intra fortunam qui cupis esse tuam, » qui te contentum habes tua fortuna : quumque ea tibi præturas, consulatus, triumphos ingerat, ea repellis, et in equestri ordine manes. Nec aliter Ovid. T. III, 4, 26 : « et intra Fortunam debet quisque manere suam, » hoc est, non excedere sortem suam, secum habitare et contrahere se,

MED. Utrumque profuge : nolo ut in socerum manus
Armes; nec ut te cæde cognata inquines,
Medea cogit : innocens mecum fuge.
JAS. Et quis resistet, gemina si bella ingruant?
Creo atque Acastus arma si jungant sua?
MED. His adice Colchos, adjice Æeten ducem,
Scythas Pelasgis junge : demersos dabo.
JAS. Alta extimesco sceptra. MED. Ne cupias, vide.
JAS. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
MED. Nunc summe toto Jupiter cælo tona.
Intende dextram : vindices flammas para,
Omnemque ruptis nubibus mundum quate:
Nec diligenti tela librentur manu.
Vel me, vel istum : quisquis e nobis cadet,
Nocens peribit : non potest in nos tuum
Errare fulmen. JAS. Sana meditari incipe,

certe non extendere, ultra quam statos et conditio fert.

522. *In socerum*, Creonta.

523. *Cognata*, patruelis tui, Acasti : cujus pater fuit Pelias, Æsonis frater.

525. *Gemina bella.* Explicat hæc sequens versus.

527. *Adice*, adjice. — *Colchos.* Quibus imperat pater meus, i. e. veniant, adversus nos cum Græcis Colchici, arte tamen mea evincam. — *Adjice*, etc. Sic apud Valerium Flaccum, ultimo libro inchoati operis, inquit Medea : « An fratris te bella mei, patriæque triremes Terrificant, magnoque impar urgeris ab hoste? Finge rates alias, et adhuc majora coire Agmina, etc. »

528. *Demersos dabo*, pro simplici *demergam*; et hæc est dicendi formula, quam usurpant frequentius comici.

529. *Alta sceptra.* Potentium regum iram. — *Ne cupias, vide.* Cave illam potius cupias adipisci potentiam, quam extimescas, ne illa te obruat.

531. *Nunc*, quum, posito omni pudore et grati animi sensu, hic Jaso respuit et repudiat me, conjugem suam.

533. *Ruptis nubibus.* Unde emicet fulmen.

534. *Nec diligenti manu.* Et manu quæ non selegerit, quæ non discreverit, utrum e nobis feriat.

535. *Vel me, vel istum*, scilicet feri. Vox Domitiani, quum multa fulgura fierent, et lateret ipse : « Feriat jam quem volet. »

537. *Errare*, immerito et erroneo ictu decidere nos ambo meruimus.

Et placida fare : si quid ex soceri domo
Potest fugam levare, solamen pete.
MED. Contemnere animus regias, ut scis, opes
Potest, soletque : liberos tantum fugæ
Habere comites liceat, in quorum sinu
Lacrimas profundam : te novi nati manent.
JAS. Parere precibus cupere me, fateor, tuis;
Pietas vetat : namque istud ut possim pati,
Non ipse memet cogat et rex et socer.
Hæc causa vitæ est, hoc perusti pectoris
Curis levamen : spiritu citius queam
Carere, membris, luce. MED. Sic natos amat?
Bene est : tenetur : vulneri patuit locus.
Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata : liceat ultimum amplexum dare.
Gratum est et illud. Voce jam extrema peto,
Ne si qua noster dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba : melioris tibi

538 sq. *Si quid*, si qua res. — *Solamen pete.* Ex ea re.

540. *Animus*, meus. — *Ut scis*, tu, quem ego secuta, reliqui opes paternas et delicias regni.

542. *In quorum*, ut in eorum.

543. *Novi nati.* E nova conjuge.

545. *Pietas* paterna. — *Istud*, quod tu poscis.

546. *Et rex et socer.* Unus et idem, scilicet Creon.

547. *Hæc causa*, etc. Sup. 438.

548. *Citius*, quam liberis meis queam carere.

549. *Sic natos amat.* Hæc secum. Itane? siccine natos amat? habeo quo eum uram, quo ulciscar.

550. *Tenetur.* Vid. vs. præced. — *Vulneri patuit locus.* Metaphora a gladiatoribus sumta, qui detegunt aliquod membrum adversarii suis ictibus demum patens.

551. *Suprema certe.* Hæc ait ad Jasonem conversa. — *Certe*, saltem. — *Abeuntem*, me.

553. *Voce extrema.* Voce quam tu jam brevi non audies. Et simulat se ad placidiorem rediisse mentem, quo melior sit fraudi locus. Sic apud Euripidem, αἰτοῦμαί σε τῶν εἰρημένων Συγγνώμον' εἶναι.

554. *Dubius*, vix stans in modo. — *Noster*, meus. — *Effudit*, verbum quod indulgentiam reposcit.

555. *In animo*, tuo. — *Melioris tibi*, etc. Quemadmodum Medea, ut possit liberos necare, se ad meliorem mentem rediisse simulat,

Memoria nostri subeat : hæc iræ data
Obliterentur. JAS. Omnia ex animo expuli;
Precorque, et ipsa fervidam ut mentem regas,
Placideque tractes : miserias lenit quies.
MED. Discessit : itan' est? vadis oblitus mei,
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Nunquam excidemus. Hoc age, omnes advoca
Vires et artes : fructus est scelerum tibi,
Nullum scelus putare. Vix fraudi est locus :
Timemur. Hac aggredere, qua nemo potest
Quidquam timere : perge : nunc aude, incipe,
Quidquid potes, Medea, quidquid non potes.

sic plane Sophocleus Ajax a priore senteotia recessisse se fingit, Tecmessæ a se removendæ causa, ne se interficere volenti impedimento foret : illaque Sophoclis fictio sic Virgilio placuit, ut in divinum opus, Æn. IV, eam transtulerit : ibi namque Dido certa jam mori et deliberata morte fortior, (v. 477) « Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat. »

556. *Hæc iræ data.* Illa verba quæ iræ meæ ego concessi, tu obliterare debes.

559. *Miserias lenit quies.* Leviores videntur miseriæ, si leviter illas quis ferat, nec querendo exasperet : augescunt iracundia et impatientia. Horat. Od. I, 24, 19 sq. « Levius fit patientia quidquid Corrigere est nefas. » — Jason abit.

661. *Tot meorum facinorum.* Tot rerum quas pro te gessi. — *Excidimus tibi?* e memoria.

562. *Nunquam excidemus.* Id faciam, ut semper sis memor mei. — *Hoc age.* Monebantur hoc verbo sacrificantes et, sacrificio adstantes, ut, curis aliis exclusis, huic uni rei animo attenderent : formulæ mentio fit apod Senecam, de Clem. lib. I; usum et significationem Plutarchus tradidit in Numa et in Coriolano : videndus adagio, *hoc age*, et Brissonius, de Formulis, lib. I. Noster, vs. 905 : « hoc age, et faxo sciant, etc. » Vs. 976 : « Nunc hoc age, anime, non in occulto, etc. » — *Omnes advoca.* Se ipsam alloquitur et concitat Medea.

564. *Nullum sc. put.* Nihil habere tanquam sceleratum, tanquam nefandum, et a quo debeas idcirco abstinere. — *Vix fraudi e. locus : Timemur.* Difficile est eum fallere, qui falli timet : e contra facile est illum circumvenire, qui se decipi non posse confidit : plane confidentia insidiis exposita : metuentem non nisi aperto Marte opprimere queas.

565. *Hac aggredere, qua nemo potest*, etc. Explicat infra, v. 570.

567. *Quidquid potes, Medea*, etc. Proni enim studii certius iudicium est supra vires niti, quam viribus

Tu, fida nutrix, socia mœroris mei,
Variique casus, misera consilia adjuva.
Est palla nobis, munus ætheriæ domus,
Decusque regni, pignus Æetæ datum
A Sole generis : est et auro textili
Monile fulgens ; quodque gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comæ.
Hæc nostra nati dona nubenti ferant,
Sed ante diris illita ac tincta artibus.
Vocetur Hecate : sacra luctifica appara.
Statuantur aræ, flamma jam tectis sonet.

ex facili uti ; et Cicero : « Non solum debeo quæ possum, sed ea quoque quæ non possum. » FARN.

569. *Misera consilia.* Consilia ad quæ meæ me adigunt miseriæ.

570. *Manus ætheriæ domus.* ὅν ποθ' Ἥλιος, Πατὴρ πατρὸς, δίδωσιν ἐκγόνοισιν οἷς. Pignus scilicet quo Sol testetur, se illum genuisse.

571. *Pignus*, junge cum *generis*. Ovid. Met. VII, 422, de Ægeo et Theseo : « Quum pater in capulo gladii cognovit eburno Signa sui generis. » Idem de Phaethonte, Met. II, 38 : « Pignora da, genitor, per, quæ tua vera propago Credar. »

572. *Et*, quoque, insuper. — *Textili*, intertexto.

573. *Monile fulgens ; quodque gemmarum nitor.* Monile, quo nomine Barthius, ad Stat. Silv. I, 2, 128, omnem ornatum corpori appensum comprehendi docuit, hic est, quam *coronam auream* vocat Euripides, Med. v. 786, 949 et 961 ; *gemmas* vero *distinguentes aurum* accipe de gemmis auro inclusis, et vide Heynium ad Virg. Æneid. I, Excurs. XXII. BADEN. — *Quodque gemmarum nitor.* Tria hic agnoscunt dona Delrius et Raderus, pallam, monile, aureum crinale. Euripides duo tantum agnoscit, vs. 786, 960 et 1160. Apollodorus solius pepli, Hyginus solius coronæ aureæ meminit. Et sane monile illud non aliud erat, ut nobis certe videtur, quam corona aurea gemmis distincta. Itaque secutus Euripidem Seneca scripserat : « est et auro textili Monile fulgens, quique gemmarum nitor Distinguit aurum, quo solent cingi comæ. » Monile fulgens, inquit, auro textili et nitentibus gemmis aurum distinguentibus. Virgil. X, 134 : « Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum, Aut collo decus, aut capiti. » Nitor gemmarum propric. Phædr. F. III, 18, 7 : « Nitor smaragdi collo præfulget tuo. »

574. *Aurum.* Aureum crinale, gemmis distinctum.

575. *Nubenti.* Creusæ.

576. *Ante*, quam tulerint. — *Diris artibus.* Veneficiis.

577. *Hecate.* Vid. Hipp. v. 411. — *Sacro*, magica.

CHORUS.

Nulla vis flammæ, tumidique venti
Tanta, nec teli metuenda torti,

Act. III, sc. III. Canit Chorus « rejectæ uxori quot amore dolores polluto, notumque furens quid femina possit, » et quum cæteri Argonautæ pœnas dederint violati maris, Jasoni bene precatur. — Chorus elegantissimus, ait Heinsius. Græci tragici, auctores habebant suos, e quibus dramata sua constituebant. Qualis erat ὁ ἐπικὸς Κύκλος, qualia τὰ Κύπρια, ut ab Aristot. vocantur, aut Κυπριακά, ut ab aliis; quæ nonnulli, teste Proclo, Salaminio Hegesiæ, alii Stasino adscripsere. Talis erat Ὁ τοὺς νόστους ποιήσας, qui quæ singulis in reditu Argonautis evenissent, diligenter collegerat. Sophocles plurimum τῷ ἐπικῷ Κύκλῳ tribuere solebat, sicut Græci critici nos docent : idemque in multis ab Euripide et aliis abibât. Quasdam quoque πραγματείας penitus vitarat. Quæ de nuptiis Jasonis cum filia Creontis tradidit Euripides, unde constitutum est hoc drama, multi veterum non admittebant : qui heroem illum ad extremam usque senectutem cum Medea ætatem egisse, tandemque ejus opera repubuisse, volebant. Simonides et Pherecydes antiquissimi scriptores, et ὁ ἐπικὸς Κύκλος, ita hoc tradebant. Quare omnia e quibus drama suum Euripides conflavit, penitus tollebant. Ideoque nusquam rem, sive ut aiunt Græci, πραγματείαν, eo, quo apud Euripidem Senecamque illius imitatorem, tractatam modo apud Sophoclem invenisses ; multo minus apud Æschylum, tanto antiquiorem. Ab iis abibat Ὁ τοὺς νόστους ποιήσας : quem quum Apollodorus, tum alii laudant, qui tamen Æsonem repubuisse volebat : cætera autem sine dubio admittebat. Nam in hanc sententiam ab antiquis citatur. Hunc secutus est Euripides, Euripidem Ovidius, Seneca : et qui antea Euripidis drama converterant. Seneca totum hunc Chorum ex auctore isto confecit. Qui tum temporis adhuc sine dubio exstabat, neque enim admodum antiqui sunt, qui ex eo versus adducunt. Quid enim aliud hic docet quam quid singulis evenerit, qui primum illud iter suscepissent? eo facilius ab alio inseri potuerunt, quæ prætermissa videbantur : qua de re postea agemus.

579. *Nulla vis flammæ.* Eodem fere sensu Propert. IV, VIII, 55 : « Fulminat illa oculis, et, quantum femina, sævit. » — *Tum. venti.* Horat. Od. I, 25, 11 : « Thracio bacchante magis sub interlunia vento, Quum tibi flagrans amor et libido, Quæ solet matres furiare equorum, Sæviet circa jecur ulcerosum. »

580. *Tanta*, junge cum *quanta*, vs. sq. — *Torti*, rapide vibrati.

Quanta, quum conjux viduata tædis
Ardet et odit.

Non, ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit; properatque torrens
Ister, et junctos vetat esse pontes,
Ac vagus errat.

Non, ubi impellit Rhodanus profundum;
Aut ubi in rivos, nivibus solutis
Sole jam forti, medioque vere,
Tabuit Hæmus.

Cæcus est ignis stimulatus ira,
Nec regi curat, patiturve frenos.
Haud timet mortem : cupit ire in ipsos
Obvius enses.

Parcite, o Divi : veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.

581. *Quanta, quum conjux*, etc. Adulterium virorum mulieres maxime exasperat. Noster in Herc. OEt. 233 : « O quam cruentus feminas stimulat dolor, Quum patuit una pellici et nuptæ domus! Scylla et Charybdis Sicula contorquens freta Minus est timenda : nulla non melior fera est. » — *Viduata tædis.* A conjuge repudiata.

582. *Ardet.* Interpretantur, *amore.* — *Odit*, ob repudium.

583. *Non*, supple, tanta vis explicatur et furit.

585. *Ister*, Danubius. — *Junctos vetat esse pontes.* Compages pontium rumpit indignatus.

586. *Vagus errat*, inundat ripas.

587. *Non*, ut supra vers. 583. — *Rhodanus.* Notus amnis Lugdunensis Galliæ, quem accuratissime describit Ammian. Marcell. l. XV, ubi Ararim, *Sauconnam* dicit vocari; melius fortasse legeretur *Saonnam.* De ostiis ejus non consentiunt; Polybius et Ptolemæus duo faciunt; Artemidorus et Plinius, tria; Diodorus et Timæus, quinque; prudenter Livius scribit pluribus in mare ostiis divisum incurrere. Vide Strabonem, lib. IV. — *Impellit profundum*, mare Massiliense, dum inter se maris fluctus et rapidissimi amnis fluenta decertant.

588. *In rivos*, junge cum *Tabuit Hæmus*, resolutus, liquefactus est.

590. *Hæmus*, mons in Thracia.

591. *Ignis.* Dolor ex amore polluto, sive zelotypia.

596. *Mare qui subegit.* Jason, quem primum cum Argonautis navigasse concinunt poetæ. Vide

Sed furit vinci dominus profundi
Regna secunda.

Ausus æternos agitare currus
Immemor metæ juvenis paternæ,
Quos polo sparsit, furiosus ignes
Ipse recepit.

Constitit nulli via nota magno.
Vade, qua tutum populo priori :
Rumpe nec sacro, violente, sancta
Fœdera mundi.

Quisquis audacis tetigit carinæ
Nobiles remos, nemorisque sacri

sup. ad vs. 318. — Eo magis animum sibi conciliant verba hujus Chori, quod revocant splendidissimum facinus ab uno e præcipuis fabulæ actoribus commissum, et quod ad id attinet ut a Jasone pœna avertatur, in ejus socios delapsa inter obtinendum aureum vellus. Quod autem spectat ad mores, propositum sibi habet auctor, ut demonstret periculosum esse, si quis extra fines egrediatur a summo numine et natura assignatos; nec, nisi soluta rerum omnium compage, posse aliquem ab itineribus tritis aberrare. Unde duplex accedit et regibus et populis documentum.

597. *Sed furit vinci.* Sed inique fert Neptunus maria quæ sibi obtigerant secunda sorte (Herc. Fur. vers. 598) vinci jam, navibusque pervia fieri.

599. *Æt. currus*, Solis. — *Paternæ*, Phœbo observatæ filioque Phaethonti frustra præscriptæ.

601. *Furiosus.* Amens, et furore correptus inter cursum. — *Ignes recepit.* Quod igneos Phœbi currus exspatiari passus est, fulminatus est igne Jovis, qui « sævis compescuit ignibus ignes. » Ovid. Met. II, 313.

603. *Constitit magno.* Multum nocuit. — *Via nota*, per viam notam ivisse.

604. *Vade.* Generaliter dictum homini cuilibet. — *Qua tutum*, supple, fuit ire. — Eodem sensu Lucianus, in Demosthenis Encomio, cap. 22, ait: ὁδὸν θαῤῥαλεωτάτην εἶναι τὴν συνηθεστάτην.

605. *Sacro, violente, sancta.* Restitue, « sacrosancta, violente. » Similis tmesis apud Plinium, Hist. Nat. VII, 45 : « Quum resistendi, sacroque sanctum repellendi jus non fuit. » BADEN.

606. *Fœdera.* Supra, vs. 335.

607. *Audacis carinæ*, Argus temerariæ.

608. *Nobiles remos*, nempe a regibus ductos.

Pelion densa spoliavit umbra :
Quisquis intravit scopulos vagantes,
Et tot emensus pelagi labores,
Barbara funem religavit ora,
Raptor externi rediturus auri ;
Exitu diro temerata ponti
Jura piavit.
Exigit pœnas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi
Liquit indocto regimen magistro,
Litore externo procul a paternis
Occidens regnis, tumuloque vili
Tectus, ignotas jacet inter umbras.
Aulis amissi memor inde regis

609. *Pelion*, montem Thessaliæ, e quo excisa materia ad fabricandam Argo.

610. *Scopulos vagantes*, Cyaneos. Supra v. 341, et Herc. Fur. 1210.

612. *Barbara funem religavit ora.* Ad barbaricum litus appulit. Ne autem intelligas : rediturus funem solvit, vel anchoram, ex ora barbarica Colchidos, ut ait interpres, quem egregie confutat Gronovius.

613. *Auri.* Velleris aurei.

614. *Exitu diro.* Jason sane, de quo hic non tradit, quod eo vivo hæc agi fingantur, mala morte periit : animi scilicet dolore, juxta Diodorum Siciliensem, quia cuncti eum, ob ingratitudinem in Medeam, calamitatibus, quibus premebatur, dignum judicabant, uecem sibi ipsi conscivit. Euripides tamen, in fine Medeæ, innuit illum ruina Argus, sub qua dormiebat, vetustate collabentis, oppressum : idqne eo loco probat Schol. —*Temerata ponti Jura p.* Dedit pœnas ub violata ponti fœdera.

617. *Tiphys.* Sup. vss. 3 et 318. Subito, clavum manu tenens, mortuus, teste Val. Flacc. lib. III; sed incertum, an id antequam Colchos pervenirent Argonautæ, an in reditu : quia Nymphis et Herodotus dissentiunt, ut refert Scholiastes ad Apoll. lib. II.

618. *Indocto*, qui non a Minerva doctus, ut Tiphys, fuerat, vs. 3 supra. — *Magistro.* Ancæo, ut nonnullis placet, aliis *Euphemo;* sed Apollonius et Valerius Flaccus dant *Ergino.*

619. *Litore externo.* Scil. dum Mariandynum in Bithynia Acherusia specu famosum appelleret.

622. *Aulis amissi mem.* etc. Aulis portus Euboicus, memor regem suum Tiphyn cum Argonautis navi vectum abiisse, neque unquam repedasse, naves omnes moratur et detinet : alludit autem ad moram

Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.
Ille vocali genitus Camœna,
Cujus ad chordas, modulante plectro,
Restitit torrens, siluere venti;
Cui suo cantu volucris relicto
Adfuit, tota comitante silva,
Thracios sparsus jacuit per agros;
At caput tristi fluitavit Hebro:
Contigit notam Styga, Tartarumque,
Non rediturus.
Stravit Alcides Aquilone natos.

quam Græci in Aulide traxerunt. — Viri literarum harum principes, quibus libenter assurgimus, et hæc et alia hujus Chori pro supposititiis delent, quippe partim historiæ heroum repugnantia, partim tempori argumenti male congruentia. Quia tamen omnibus in codicibus habentur, videbimus, num quis illis excusandis reperiri possit color. Aulis ex quo morata est Græcos Trojam petentes, infamatur pro mala statione navium. Lucanus, lib.V, « ad iniquam classibus Aulin. » Id fingit eleganter, non tum primo contraxisse crimen illum portum, sed statim post expeditionem Argonautarum, quod inter illos regem suum navigantem perdiderit; sive ille designetur Tiphys (nam hujus quoque agnoscit *paterna regna*), sive Erginus: uterque enim Bœotus, et in Bœotia Aulis. Neque quærendum, an aliquis prodiderit, ob regis Orchomenii vel Bœoti mortem detentum fuisse Agamemnonem. Hujus modi enim causas fingere poetæ cuivis licet. Atque hoc est quod concessum vatibus laudatumque παραλογίζεσθαι.

625. *Ille*, Orpheus. — *Vocali Camœna*, Musa Calliope.

626. *Cujus ad chordas*, etc. Supra vs. 229, et Herc. Fur. 573.

628. *Suo cantu relicto*. Non jam ausa cantus expromere.

630. *Thracios sparsus jacuit per agros*. A Thraciis mulieribus, ut nemo nescit; et de argumento toties et a tam multis trito, vide Ovid. Metam. lib. X init. et Virg. Georg. IV, 457 sqq. et ibi præsertim notas.

630. *At caput*, etc. Vid. Anim.

632. *Notam*, sibi. Quam scilicet prius, in vivis, adierat, repetendæ Eurydices gratia. Conf. Herc. Fur. v. 569, et ibi not.

634. *Aquilone natos*. Zetem et Calaim. Supra vers. 231. Propert. lib. I, Eleg. 20, vs. 25 sq. « Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles, Hunc super et Zetes, hunc super et Calais. » Occidit eos Hercules in Teno insula, et ad rei me-

Patre Neptuno genitum necavit,
Sumere innumeras solitum figuras.
Ipse post terræ pelagique pacem,
Post feri Ditis patefacta regna,
Vivus ardenti recubans in Œta,
Præbuit sævis sua membra flammis,
Tabe consumtus gemini cruoris
Munere nuptæ.
Stravit Ancæum violentus ictu
Setiger: fratres, Meleagre, matris
Impius mactas; morerisque dextra
Matris iratæ: meruere cuncti.

moriam sepulcro duas columnas imposuit, quarum alteram ferunt flante Borea solitam moveri: causam necis prodit Apollonius, quod Argo navem in Mysiam, Herculis recipiendi causa, redire prohibuissent: Nicander, quod pater illorum Boreas Herculem in Co insula tempestate afflixisset: Hesimbrotus quia cum Hercule de datis a Jasone muneribus contendissent: Ænesidemus, quod exceptum hospitio Herculem conati fuissent occidere.

635. *Patre Neptuno genitum*, Periclymenum: qui Neptuni patris dono in varias formas versus, ab Hercule tandem occisus est, quum in aquilam se mutaret; ut alii, in apem, vel muscam.

638. *Feri ditis patefacta regna*. Cf. Hercul. Fur. vs. 770 sqq.

639. *Vivus*, etc. Conf. Hercul. OEt. act. IV.

641. *Gemini cruoris*. Hydræ et Nessi centauri.

642. *Nuptæ*, Dejaniræ. Hercul. OEt. vs. 570.

643 sq. *Stravit Ancæum v. i. Setiger*. Aper vineam ingressus, Ancæo, qui poculum jam labris admoverat, nece interveniens: notum est tritum illud Ancæo a servo objectum, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

644. *Fratres*, Plexippum et Toxea, avunculos tuos, o Meleagre, quod Atalantæ invidi male volebant.

645. *Morerisque*. Quod ubi audivisset mater ejus Althæa, stipitem filii ævo fatalem in ignem conjecit, natumque simul exstinxit.

646. *Meruere cuncti*. Tiphys, Orpheus, Zetes, Calais, Periclymenus, Hercules, Ancæus, et Meleager male mortui sunt: quod quia dici posset ob alia crimina quam maris violationem illis contigisse, subjungit de Hyla, de quo id suspicari non liceat: apparet enim illum propter nullum aliud crimen interemtum, quam quia cum Argonautis una navigarat: quum igitur Hylas, in cujus ætatem nullum scelus morte dignum cadebat, in tutis undis Bithyni fontis sit interemtus: ite

Morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer irrepertus,
Raptus heu ! tutas puer inter undas?
Ite nunc fortes; perarate pontum
Fonte timendo.
Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit serpens Libycis arenis.
Omnibus verax, sibi falsus uni
Concidit Mopsus, caruitque Thebis.
Ille si vere cecinit futura,
Exsul erravit Thetidis maritus.
Igne fallaci nociturus Argis

nunc vos, qui fortes haberi vultis, et navigate.

648. *Puer irrepertus.* Hylas Thiodamantis fil. Herculi dilectus puer, quem, quum, aquatum missus, in Ascanium Mysiæ flumen decidisset, Hercules quæsivit clamans, ita ut « litus Hyla, Hyla, omne sonaret. »

650. *Ite nunc fortes.* Epitrope ironica. — *Perarate pontum Fonte timendo.* « Ite nunc, inquit, homines temerarii ac male fortes, et mare navigate, tanquam periculi expers, quum Hylæ exemplum ostendat, ne fonti quidem fidendum; etiam tenuem scaturientis aquæ venam mergere posse. »

652. *Idmon.* Augur Argonautarum. — *Quamvis bene fata nosset.* Sic enim apud Apollonium : Αὐτὰρ ἐμοὶ θανέειν στυγερῇ ἐπὶ δαίμονος αἴσῃ Τηλόθι που πέπρωται ἐπ' Ἀσίδος ἠπείροιο.

653. *Libycis arenis.* Vid. Anim.

655. *Concidit Mopsus, caruitque Thebis.* Hæc significant interfuisse Mopsi, ut Thebis potius obiret quam alibi : nec conveniunt Mopso Ampyci et Chloridis filio, Titaresio, Argonautæ, sed alteri Mopso Apollinis et Mantus filio, Tiresiæ Thebani nepoti, qui in Cilicia sedes et mortem invenit.

656. *Si vere cecinit futura.* Explicanda hæc de ipso Mopso, quem auctor bene fingit cecinisse illa futura, quæ Chorus scire nondum poterat, poeta noverat. Quæ sequuntur ad versum 663, omnia erant postera, et nondum facta, quo tempore Jason Corinthi ducebat Glaucen, sive Creusam. Quum tamen ad institutum poetæ pertinerent (ille enim probare instituit, omnium qui primi mare tentaverunt, infelices fuisse exitus), fingit elegantissime Chorum ea scire ex prædictione vatis Mopsi.

657. *Thetidis maritus.* Peleus, Achillis pater.

658 sq. *Igne fallaci*, etc. Nauplius, Eubœæ rex, ulturus indignam filii sui Palamedis, falsa Ulyssis criminatione oppressi mortem, redeunti Græcæ classi atque tempestate actæ, in Caphareo promon-

Nauplius præceps cadet in profundum.
Crimini pœnas patrio pependit
Fulmine et ponto moriens Oileus.
Conjugis fatum redimens Pheræi
Uxor impendit animam marito.
Ipse, qui prædam spoliumque jussit
Aureum prima revehi carina,
Ustus accenso Pelias aheno
Arsit angustas vagus inter undas.
Jam satis, Divi, mare vindicastis.
Parcite jusso.

torio igues accendit, quo Græci velut in portum cursum suum dirigentes perirent naufragi; ipse vero postquam Ulyssem et Diomedem evasisse intellexit, se ex iisdem saxis præcipitem dedit.

660. *Crimini pœnas patrio pependit*, etc. Vult Seneca hoc loco παραλογίζεσθαι, et comminisci Ajacem Oilea periisse fulmine et ponto, quia pater ejus cum cæteris Argonautis mare, rem sacram et Diis sepositam, temeravit? Nec inauditum est liberos plecti ob scelera parentum.—*Oileus*. Vid. Animadv.

662. *Conjugis fat. redimens*, etc. Alcestis, Peliæ filia, impium patris imperium luens, sua morte Admetum maritum suum, et Thessaliæ (in qua Pheræ oppidum) regem redemit.

664. *Ipse*, scil. Pelias, v. 666.

667. *Vagus*. Discerptus.— *Angustas undas*, vasis aheuei.

668. *Parcite jusso*. Hoc veniæ et clementiæ lenocinio etiam Jason utitur apud Æeten, tam Apollonio quam Valerio Flacco. Illi: ἀλλά με δαίμων Καὶ κρυερὴ βασιλῆος ἀτασθάλου ὦρσεν ἐφετμή. Huic V, 481 sq. « Nec tua, Thessalicis quamquam inclita nomina terris, Sponte sequor : cui non jusso tot adire voluptas Monstra maris? »

ACTUS QUARTUS.

NUTRIX.

PAVET animus, horret; magna pernicies adest.
Immane quantum augescit, et semet dolor
Accendit ipse, vimque præteritam integrat.
Vidi furentem, sæpe et aggressam Deos,
Cælum trahentem : majus his, majus parat
Medea monstrum : namque ut attonito gradu
Evasit, et penetrale funestum attigit,
Totas opes effudit, et quidquid diu
Etiam ipsa timuit, promit; atque omnem explicat
Turbam malorum; arcana, secreta, abdita.
Et triste læva comprecans sacrum manu,

Act. IV, sc. 1. Quid agat Medea, quid paret, narrat nutrix.

671. *Immane*, etc. Mirum quam augescat dolor. Sic Hor. Od. I, 27, 6 : « immane quantum discrepat. »

672. *Vimque præteritam integrat.* Ex diutina intermissione acriorem ad veneficas artes impellit.

673. *Furentem*, Medeam. — *Aggr. Deos.* Lunam, et cætera sidera, quæ antiquis, ex sententia Stoicorum, Dii. Vid. Thyest. 893.

674. *Cæl. trahentem*, i. e. incantationibus devocantem, sollicitantem; supra, vs. 271 et 424. Apud Ovid. Metam. VII, 207, Medea : « Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesæa labores Æra tuos minuant. » Quod Seneca *cælum trahere*, Apuleius *deponere cælum* dixit, Met. I, p. 6 : « Saga, inquit, et divina, potens cælum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, Deos infimare, sidera exstinguere, Tartarum ipsum illuminare. »

675. *Attonito*, furenti, amenti.

676. *Penetrale.* Conclave suum, ubi magicas artes exercet.

677. *Totas opes.* Vires magicas, veneficas copias.

680. *Læva.* Quæ tristibus, infaustis, δυσωνύμοις convenit. —

Pestes vocat, quascumque ferventis creat
Arena Libyæ, quasque perpetua nive
Taurus coercet frigore Arctoo rigens;
Et omne monstrum : tracta magicis cantibus
Squammifera latebris turba desertis adest.
Hic sera serpens corpus immensum trahit,

Triste sacrum, funestam aram. — *Comprecans*, tangens precatura. Finxit scite in scelesto sacro Medeam non dextram, sed sinistram aræ imponere, ad precandos scilicet tristes ac lævos Deos.

681. *Pestes*. Venena perniciosa.

682. *Arena Libyæ*. Herbarum et animantium venenatorum feracissimæ sunt terræ, vel frigore rigidæ, vel æstu torridæ. Inter has autem Libya, Africæ regio, Ægypto ab occasu conterminà, tota arenis, æstu, siccitate squalet. Lucan. II, 206, *æstiferam* vocat et siticutem; Claudianus, *perustam*, et nimio calore munitam, squalentem, anhelantem, semper solibus torridam, in Ruf. II, 146, etc. et lib. de Bell. Gild. 145, etc. Sunt qui nomen deducant ἀπὸ τοῦ λείπεσθαι τὸ ὕειν, quod sit pluviæ indiga : licet alii malint a *Libya*, Epaphi filia; vel quod inde *libs* ventus spiret.

683. *Taurus*. Ptolemæus, Geograph. lib. V et VI, et Mela, lib. I, cap. 15, montem Asiæ tradunt, orbis maximum; si Eusthatio fides, a magnitudine nomen sortitus est, nam a veteribus omnia quæ robore, aut mole corporis præstant, ταῦροι dicuntur: universam Asiam discriminat. In Lycia Taurus vocatur, deinde Hæmodes, mox supra Iberiam in Bactris Caucasus, tum Paropamisus, inde Caspiæ Pilæ, mox Niphates, tum Armeniæ Pilæ, et ubi jam nostra maria attingit, iterum Taurus, ut scribit Pomponius : numerosis et novis nominibus quacumque incedit insignem dicit Plinius : proprie *Taurus* dicitur, qua Pamphyliam et Ciliciam ab Armenia minore et Cappadocia distinguit. Ovid. Met. II, 217 : « Ardet Athos, Taurusque Cilix. » Seneca non tam de Tauro proprie dicto, quam de Boreali ejus parte agit, quæ Caucasus dicebatur; perpetuis nivibus obsessa, unde et teste D. Isod. d. c. 8, nomen nacta : quæ pars frigidissima, et venenorum feracissima.

686. *Sera*. Non, quæ sero propter immensam suam molem advenit; aut quæ frigore pigra, quod alii annuunt, sed annosa; ideo in molem excreverat. Lucian. Philopseudes, § 12 (Bip. vol. VII, p. 261): Ἐξῄλασεν ὅσα ἦν ἑρπετὰ ἐντὸς τῶν ὅρων. Ἧκον οὖν ὥσπερ ἑλκόμενοι πρὸς τὴν ἐπῳδὴν ὄφεις πολλοί, καὶ ἀσπίδες, καὶ ἔχιδναι, καὶ κεράσαι, καὶ ἀκοντίαι, φρῦνοί τε, καὶ φύσαλοι· ἐλείπετο δὲ εἷς δράκων παλαιός, ὑπὸ γήρως, οἶμαι, ἐξερπύσαι μὴ δυνάμενος, παρακούσας τοῦ προστάγματος· ὁ δὲ μάγος οὐκ ἔφη παρεῖναι ἅπαντας, ἀλλ' ἕνα τινὰ τῶν ὄφεων τὸν νεώτατον χειροτονήσας, πρεσβευτὴν ἔπεμψεν ἐπὶ τὸν δράκοντα, καὶ μετὰ μικρὸν ἧκε κἀκεῖνος.

Trifidamque linguam exsertat, et quærens, quibus
Mortifera veniat, carmine audito stupet,
Tumidumque nodis corpus aggestis plicat,
Cogitque in orbes. Parva sunt, inquit, mala,
Et vile telum est, ima quod tellus creat:
Cælo petam venena : jam nunc tempus est
Aliquid movere fraude vulgari altius.
Huc ille vasti more torrentis jacens
Descendat anguis, cujus immensos duæ,
Major minorque, sentiunt nodos feræ;
Major Pelasgis, apta Sidoniis minor.
Pressasque tandem solvat Ophiuchus manus,
Virusque fundat : adsit ad cantus meos
Lacessere ausus gemina Python numina.
Et hydra, et omnis redeat Herculea manu

687. *Trifidam.* Ita visum ob celerem motum. Ovid. Metam. III, 32 : « Martins anguis erat. »

688. *Quibus Mortifera veniat.* Ad quos occidendos evocetur. — *Carmine audito stupet.* Demum incantata, a Medea sopitur.

689. *Tumidum nodis.* Qui implicant, iidem tumidum faciunt flexus, et in orbes immotos cogunt.

692. *Cælo petam venena.* Quasi diceret, « serpentes devocabo cælestes ad ultionem meam. »

694. *Vasti more torrentis jacens.* Qui sinuosus instar fluminis flexuosi utramque Arcton amplectitur, minorem collo et capite, majorem canda.

696. *Duæ Major minorque feræ.* Vid. vs. præc. Arat. Phæn. vs. 40 sq. Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται, ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν· Τῇ δ' ἄρα (Κυνοσούρῃ) Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν. Quod sic vertit Avien. vs. 124 sq. (Poet. Lat. Min. ed. nost. V, p. 542): « Namque Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum Dirigit, etc. »

698. *Pressasque tandem solvat Ophiucus manus;* quibus anguem premere videtur Ophiucus; quem Latini vocant *anguitenentem*; et sidus est illud, quod Æsculapius, Carnabutas, Phorbas, Triopas, Hercules, Prometheus, etc. fuisse fingitur.

700. *Gemina numina.* Apollinem et Dianam recens a Latona editos: de Pythone multa Nicand. et Schol. ejus in Theriacis, et Ovid. Met. I.

701. *Hydra.* Herc. Fur. v. 240. — *Et omnis Herculea manu*, etc. Vult Farnabius agi de Hesperidum custode, et de iis qnos in cunis ipse elisit, Herc. Fur. 239, 216; sed confutat Gronovius; et minime hæc esse intelligenda de Hesperidum custode, neque de illis, qnos infans elisit Hercules, osten-

Succisa serpens, cæde se reparans sua.
Tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
Sopite primum cantibus serpens meis.
Postquam evocavit omne serpentum genus,
Congerit in unum frugis infaustæ mala:
Quæcumque generat invius saxis Eryx;
Quæ fert opertis hieme perpetua jugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei;
Et queis sagittas divites Arabes linunt,
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthus levis;

dit, quum sequenti versu adjectum sit: « cæde se reparans nova: » quod de sola Hydra verum est; cujus et centum dracones agnoscit Hercul. OEtæus.

704. *Sopite.* Draconem intelligit, pellis aureæ custodem. Supra vs. 472. Pherecydes occisum vult, sed Antimachus et Apollonius sopitum dumtaxat.

706. *Frugis infaustæ.* Herbarum, fructuum, seminum; cujus modi sunt selectæ deliriis illarum herbæ: coracesia, callicia, aproxis, aglaophotis, achemænidon, et similes, quas sparsim Plinius et Apuleius recensent.

707. *Invius saxis.* Propter rupes inaccessas. — *Eryx.* De quo vide Hercul. Fur. vers. 482. Cæterum, mons est nobilis Siciliæ, dictus ab Eryce, quem Hercules cæstubus superavit; mari imminet ad Italiæ prospectum, et inter Drepanum et Panormum alte eminet, præruptis undique rupibus circinatus: in summo planities jacet duodecim millium passuum pervia et culturæ aptissima: maritimis auris præclare expositus est, et mortiferarum ferarum omnino expers: a mari et mediterranea regione rupes habet inaccessas: hæc Polybius. Unde intelligitur cur ab Italico dicatur, lib. XIV, vs. 203: «... nec non altus Eryx, » nam (teste Pomp.) post Ætnam est Siciliæ montium altissimus, item cur ab Ovid. Fast. lib. IV, 478, dictum: « zephyro semper apertus Eryx; » cur denique noster *invium saxis* vocarit. Herbas noxias et veneficiis aptas gignere, nusquam legis nisi hoc loco.

708 sq. *Quæ fert opertis*, etc. Quibusdam aconitum; aliis herba Promethei, quam ex sanie et cruore in terram stillante nasci ferunt, dum Promethei immortale jecur aquila, seu vultur lancinans in Caucaso, depasceretur.

710. *Et queis sagittas divites*, etc. Et venena, inquit, quibus sagittas inficiunt Arabs et Medus, aut Parthi leves. — *Divites Arabes*, ex Arabia Felici. — *Linunt.* Notat Barbarorum mores, qui solent « Ungere tela manu, ferrumque *armare veneno;* » toxicum deduci videtur παρὰ τὸ τόξον, arcus, telum.

711. *Pharetraque.* Τοξοφόρων Μήδων. Sunt autem, qui ἀναχρονισμὸν

Aut quos sub axe frigido succos legunt
Lucis Suevi nobiles Hercyniis.
Quodcumque tellus vere nidifico creat,
Aut rigida quum jam bruma decussit decus
Nemorum, et nivali cuncta constrinxit gelu;
Quodcumque gramen flore mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicibus
Causas nocendi gignit, attrectat manu.
Hæmonius illas contulit pestes Athos;
Has Pindus ingens; illa Pangæi jugis
Teneram cruenta falce deposuit comam;
Has aluit altum gurgitem Tigris premens;

non levem poetæ objiciant, quod Medeæ nutricem de Media loquutam induxerit, quam a Medo Medeæ et Ægei filio nominatam voluut. Sed antiquior Mediæ appellatio a *Madai*, Japheti filio. — *Parthus levis*. Fidens fuga Parthus, Thyest. 384 : veloces enim Parthi equites utebantur veneno patrio, quod *Scythicum* nominatum, teste Aristot. lib. de Admirand. Audition. dicti *Parthi*, quia sic Scythæ « fugaces et exsules » vocant. Parthia Asiæ Majoris regio est circa Persas, inter flumen Indum et Arios ab Oriente, Tigrim et Mediam ab occasu, desertum Carmaniæ a meridie, et Hyrcaniam a septemtrione, sita.

712. *Frigido*. Ad septemtrionem vergente.

713. *Suevi*. Germaniæ populi Danubii accolæ, *Alemanni*. Vel hinc patet Suevorum fines olim quam hodie latiores fuisse, si quidem intra et extra Hercyniam habitabant. — *Lucis Hercyniis*. Hercynia silva Germaniæ nobilissima. Græci hanc silvam Orcyniam appellarunt, auctore Cæsare, de Bello Gallico, lib. VI. Optime descripsit Irenæus, Exeges. lib. VII, cap. 16.

714. *Nidifico*. Quo nidos ponunt volucres. — *Aut rigida quum*, etc. Vid. Animadv.

718. *Tortis*. Quum radix manu fortiter torquetur.

720. *Hæmonius*, mons Hæmoniæ seu Thessaliæ. — *Pestes*, herbas venenatas.

721. *Pindus*. Herc. Fur. 1285. — *Pangæi*. OEdip. 434.

722. *Cruenta falce*, cædis instrumento; vel cruore tincta, sed ænea: æri enim supra alia metalla medicatam vim tribuunt. Virg. Æn. IV, 513 : « Falcibus et messæ ad lunam quæruntur ahenis Pubentes herbæ. »

723. *Tigris*. Herc. Fur. v. 1324. Tigris Mesopotamiam amplectitur, ortus in Armenia. Ita appellatus, teste Curtio, propter undarum rapiditatem, quamvis profundus.

Danubius illas; has per arentes plagas
Tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
Nomenque terris qui dedit Bætis suis,
Hesperia pulsans maria languenti vado;
Hæc passa ferrum est, dum parat Phœbus diem;
Illius alta nocte succisus frutex;
At hujus ungue secta cantato seges
Mortifera carpit gramina, ac serpentium
Saniem exprimit, miscetque et obscœnas aves;
Mœstique cor bubonis, et raucæ strigis

724. *Danubius.* Stephanus scribit *Istrum* aliquando *Matoam* vocatum : sed quum Scythæ eum prædas acturi trajecissent, a damno hoc, cujus ille auctor videbatur, Δανούσιον dictum, et postea Δανούβιον : idem memorat Eusthatius. Plinius censet a capite ad Illyricum usque vocari Danubium; inde Istrum dici incipere, et ex auriferis fluminibus censeri.

725. *Hydaspes gemmifer.* Indiæ fluvius, in quo magna gemmarum copia reperitur, veluti lychnis, adamas, beryllus, achates et aliæ innumerabiles.

726. *Bætis.* Fluvius a quo regio illa Hispaniæ Bætica, dicta *Granata.* Hodie *Guadalquivir* arabice; Latini *magnum amnem* dicerent.

727. *Hesperia puls. maria*, etc. Per ampla spatia lacui similis, in Oceanum occidentalem labitur. — *Languenti vado.* Nam dimissus ex Tarraconensi provincia divisaque Hispania, priusquam in mare labatur, efficit magnum lacum, unde fit, ut minore impetu in Oceanum incidat.

728. *Hæc passa ferrum est.* Incisa est falce ferrea, vel ahenea. Synecdoche. — *Dum parat*, etc. Sub ortu solis : namque et tempore suo lectis herbis plus efficaciæ inesse credebant, maxime autem lucente luna, ut quæ veneficiorum præses, plena aut « propior despumet in herbas, » Lucan. VI, 506 : ideoque subjicitur : « illius alta nocte succisus frutex. »

729. *Alta nocte.* Quo videlicet tempore, luna, medio itinere confecto, totam nostro se infert hemisphærio.

732. *Obscœnas*, ferales, inauspicatas. Herc. Fur. vs. 687.

733. *Et raucæ strig. Bubonis*, etc. Quæ duæ, mali ominis et diri eventus aves, plerumque conjungi solent. Stat. Theb. III, 510 : « Monstra volant, diræ strident in nube volucres, Nocturnæque gemunt striges, et feralia bubo Damna canens. » At in hoc numero incendiaria avis, seu spinturnix, de qua Plinius, Hist. Natur. X, 13, bubo quidem solivaga est avis et nocturna, gemens verius quam cantans : ideo mœstum vocat. Ovidius, de Ascalapho, Met. V, v. 550 sq. « Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctus, Ignavus bubo, dirum mor-

Exsecta vivæ viscera : hæc scelerum artifex
Discreta ponit : his rapax vis ignium,
His gelida pigri frigoris glacies inest.
Addit venenis verba, non istis minus
Metuenda. Sonuit ecce vesano gradu,
Canitque : mundus vocibus primis tremit.

MEDEA.

Comprecor vulgus silentum, vosque ferales Deos,

talibus omeu.» *Strix*, seu *stridula*, et ipsa volucris funesta, quæ sit et qualis, nou satis notum. Rob. Constantiuns in Supplemento liuguæ latinæ eamdem putat cum Caprimulgo (quæ αἰγοθήλας Aristoteli et Æliauo), colore et magnitudiue uon absimilem cuculo resupinam pedibusque conversis iu altum volare: Græcis ςρίξ et κέρχνη, vel κερχνηΐς. Sic describitur ab Ovidio, Fast. VI, 133 sqq. « Graude caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ; Canities pennis, unguibus hamus iuest. Nocte volaut, puerosque petunt uutricis egentes, Et vitiant cunis corpora rapta suis. Carpere dicuntur lacteutia viscera rostris, Et pleuum poto sanguine guttur habent. Est illis strigibus uomen : sed uomiuis hujus Causa, quod horreuda stridere nocte solent. » Alii veneuata sua ubera iufautibus præbere existimaut, atque ita perimere specie pietatis. Serenus : « Præterea si forte premit strix atra puellos, Virosa immulgens exsertis ubera labris. »

734. *Exsecta*. Quod in magicis rituale. Thyest. 763.

735. *Discreta*. Seorsim seposita.

736. *Pigri frigoris*. Nam reddit frigus torpentes, quia ut dicit Xenophon, « abigit et deducit iugenitum calorem ad peuitas corporis partes. » Et frigus (ut inquit Contareuus de Elem. lib. III) congregat tam homogenea, quam heterogeuea, coustipatque omnia, et unumquodque reddit sua uatura immobile, ac velnti mortuum. Eteuim sicut motus iudicium est vitæ, ita immobilitas mortis et iuteritus. Ideo calor collatus frigori, ratiouem habet uaturæ et vitæ : frigus vero, iuteritus. Suut alia præterea multa frigoris incommoda, quæ refert Cornel. Celsus, de Med. lib. I, cap. 2, unde fit ut frigidus pro uoxio ponatur, ut accipit Servius illud Virgilii, Ecl. VIII, 71 : « Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. »

738. *Canitque*, incautatiouesque concipit.

Act. IV, sc. II. Invocatis Manibus et rite conceptis incantationibus, Medea veneficiis illitam pallam cum mouili, aureoque crinali, douo mittit ad Creusam per filios suos.

740. *Comprecor*, etc. Furibuuda

Et Chaos cæcum, atque opacam Ditis umbrosi domum,
Tartari ripis ligatos squalidæ Mortis specus,
Suppliciis, animæ, remissis currite ad thalamos novos.
Rota resistat membra torquens; tangat Ixion humum.
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.
Gravior uni pœna sedeat conjugis socero mei:
Lubricus per saxa retro Sisyphum solvat lapis.
Vos quoque, urnis quas foratis irritus ludit labor,
Danaides, coite; vestras hic dies quærit manus.
Nunc meis vocata sacris, noctium sidus, veni,
Pessimos induta vultus, fronte non una minax.
Tibi more gentis vinculo solvens comam,

fertur, et dithyrambico more, vario carminis genere abutitur.—*Vulgus.* Animas, manes. — *Ferales.* Plutonem et Proserpinam. Virgil. Æn. VI, 264: « Dii quibus imperium est animarum, umbræque silentes, Et Chaos, etc. »

741. *Chaos.* Sup. vs. 9.

742. *Tartari ripis.* Hipp. vs. 841. — *Mortis specus*, circumdatos et quodammodo inclusos ripis Tartari, hoc est, infernorum fluminum. Sic Virgil. Georg. IV, vs. 478 sqq. « Quos circum limus niger et deformis arundo Cocyti tardaque palus inamabilis unda Alligat, etc. »

743. *Thalamos novos*, Jasonis et Creusæ.

744. *Rota resistat.* Hercul. Fur. vs. 750, et Thyest. vs. 152.—*Tangat Ixion humum.* Jam non per inania aeris volutus.

745. *Securus*, non deceptus, non frustra captans. — *Pirenidas.* Pirenes fontis prope Corinthum, e Pirenes nymphæ lacrimis propter obitum filii Cenchriæ.

746. *Gravior uni*, etc. Sensus est: « Creontem maneat pœna longe gravior Tantali supplicio. »—Vide Animadv.

747. *Sisyphum solvat.* Id est, dimittat ab inani labore. Quod aliter alii, pro dissimili lectione, *volvat*, interpretantur. Vid. Animadv.

748. *Ludit*, fallit, decipit, incassum exercet.

749. *Danaides*, Belides. Hercul. Fur. vs. 500 et 757. — *Coite*, ad has nuptias convenite. — *Vestras.* Ut vestro exemplo nupta maritum prima nocte interficiat.

750. *Noctium sidus.* Luna. Νυχία dicta θεὰ, cui quod nocte litatur; aut quod inferis maxime et proxime dominetur.

751. *Pessimos.* Hippol. vs. 411, et inf. vs. 787. — *Fronte non una.* Scil. triplici, ut Hecates vultus esse fingitur.

752 sq. *Tibi more gentis*, etc. Tibi ritu nocturnis magicisque sacris operantium, peragravi secreta loca « veste recincta, Nuda pedem, nudos humeros, diffusa capillos. » Solebant magæ nudis pedibus et passo capillo sacra sua peragere. Apud Virg. Æn. IV, magicis sacris

Secreta nudo nemora lustravi pede.
Et evocavi nubibus siccis aquas;
Egique ad imum maria, et Oceanus graves
Interius undas æstibus victis dedit.
Pariterque mundus lege confusa ætheris
Et solem et astra vidit; et vetitum mare
Tetigistis, Ursæ. Temporum flexi vices:
Æstiva tellus floruit cantu meo,
Messem coacta vidit hibernam Ceres.
Violenta Phasis vertit in fontem vada;

operatura, unum exuta pedem inducitur. Apud Valer. Flacc. vates idem facturus, III, 435, « vincula solvere monstrat Prima pedum. » Horat. Sat. I, 8, vs. 24, scribit se vidisse « Canidiam pedibus nudis, passoque capillo. » Ovid. Metam. VII, vs. 182 sqq. « Egreditur tectis vestes induta recinctas; Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos. »

752 sq. *Et evocavi*, etc. Quid possit, quid effecerit per vim magicam enumerat, in quibus pleraque falsa: quæ enim vel per motum localem, vel res naturales accelerando, vel impediendo, vel sensibus illudendo fieri possunt, operabatur Dæmon per magos suos: universi autem ordinem a Deo constitutum movere non valebat: non itaque solem aut lunam deducere, non orbium cælestium cursum mutare. Farn. — Vi carminis magici elicui: hoc enim ut plurimum significat verbum *evocandi*; δύναμιν et imperium quoddam: ideo tribuitur vel Diis: Virg. Æn. IV, vs. 242: « ... manes evocat Orco; » vel magis, ut hic; vel dominis, ut frequenter in comœdiis, vel magistratibus et imperatoribus, unde *evocati* milites.

756. *Undas interius dedit.* In submissiora loca retraxit undas. — *Æstibus victis.* Compressis fluxibus et refluxibus.

757. *Pariterque.* Uno eodemque tempore. — *Lege ætheris*, cæli cursu.

758. *Astra.* Supple, nocturna. *Et solem et ast. vid.* Simul nempe uno eodemque tempore, quum alioqui lucente sole astra non appareant. — *Vetitum mare.* Thyest. vs. 477. Ovid. Met. II, vs. 172: « Et vetito frustra tentarunt æquore tingi. » Claudian. de Raptu Proserpinæ, II, 189: « vetito se proluit Arctos æquore. » De fabula, alias. Vid. Hygin. Astron. lib. II et III.

760. *Æstiva.* Scil. etiam quum per æstivos fervores sicca langueret et arida.

761. *Coacta.* Insolitis legibus parere jussa.

762. *Violenta vada.* Immensum aquarum agmen. — *In fontem vertit*, ad fontem retro egit. Gallicus interpres, errore quem vix debuimus indicare: « Mes charmes ont changé en faibles ruisseaux les torrents impétueux du Phase. »

Et Ister, in tot ora divisus, truces
Compressit undas, omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit insanum mare
Tacente vento: nemoris antiqui domus
Amisit umbram vocis imperio meæ.
Die relicto Phœbus in medio stetit:
Hyadesque nostris cantibus motæ labant.
Adesse sacris tempus est, Phœbe, tuis.
Tibi hæc cruenta serta texuntur manu,
    Novena quæ serpens ligat:
Tibi hæc, Typhoeus membra quæ discors tulit,
    Qui regna concussit Jovis.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,

763. *Et Ister*, etc. Sensus generalis est: « Fluvios alios retro egi versus fontes, alios sistere feci. » — *Tot ora*. Quinque, aliis septem. Vid. Troad. vs. 9.

766. *Nemoris antiqui domus*. Silva ita implexa ramis, et convestita frondibus, ut pro tecto esse possit.

767. *Amisit umbram*. Vel frondibus excussis, vel translatis in alium locum silvis, hanc nudavi.

768. *In medio*, vel cursu, vel æthere.

769. *Hyades*. Sidera: synecdoche. De Hyadibus, vid. Thyest. vs. 852, et ibi not.

770. *Phœbe*, Luna.

771. *Serta*. Non amœnis floribus, sed venenatis ex herbis.

772. *Novena quæ*, etc. Serta, quæ serpens novena numero, vel novies circumdata ligat. Numerus autem novenarius Pythagoreis sacer et perfectissimus, quia ab impari unitate est primo quadratus, tribusque constat ternariis, e quibus trias singula in tres dividitur unitates. In sacris autem ex superstitiosa veterum cærimonia, « numero Deus impare gaudet. »

771. *Typhoeus*. Thyest. vs. 809. — *Tibi hæc membra*, etc. Tibi hæc, quæ membra tulit Typhoeus. Nec alia de re accipiendus hic quam duo versus præcedentes. Tibi, vel in tuum honorem hoc sertum e novem anguibus implicitis texo: tibi, inquam, hoc ex anguibus, quos membrorum seu pedum loco habuit Typhoeus. Gronov.

775. *Vectoris*. Nessi Centauri, qui, præstita Herculi opera in trajicienda per Evenum flumen Dejanira, vim illi inferre voluit, propter quod sagittis ab Hercule confossus est, etc. Hercul. OEt. vs. 500. — *Istic*. In isto tuo, tibi dicato, sacrificio. — *Sanguis*. Etiam est ultima in *sanguis* producta. Virg. Æn. X, 487: « Una eademque via sanguis animusque sequuntur. » Tibullus, Eleg. I, vi, 66: « sanguis est ta-

Quem Nessus exspirans dedit.
OEtæus isto cinere defecit rogus,
Qui virus Herculeum bibit.
Piæ sororis, impiæ matris facem,
Ultricis Althææ vides.
Reliquit istas invio plumas specu
Harpyia, dum Zeten fugit.
His adice pennas sauciæ Stymphalidos,
Lernæa passæ spicula.
Sonuistis, aræ: tripodas agnosco meos,
Favente commotos Dea.
Video Triviæ currus agiles,
Non quos pleno lucida vultu

men illa tuus. » — Vid. Animadv.

776. *Quem Nessus*, etc. Qusm violeutus hic cruor fuerit, ostendit OEtæus Hercules : item quia flumeu, iu quod defluxit, tam tetri odoris factum, ut ab eo accolæ Ozolæ dicti : testes Strabo, lib. I, et Eustath. Iliad. II.

777. *OEtæus*, etc. Ciuis hic est e rogo quo Hercules in OEtæo monte combustus est, imbibitque virus, quo iufectus est.

779. *Piæ sororis*, etc. Supra vs. 644. — *Impiæ matris facem*. Ovid. Met. 475 sq. « melior germana parente, Et cousanguineas ut sanguine leniat umbras Impietate pia est. » Apud Homerum Meleager Althææ imprecatiouibus coufixus moritur. Quidam stipitem fatalem fuisse aiunt e rogo raptum, cujus interitus secum Meleagri necem trahebat : alii fuisse uon e rogo raptum stipitem, sed oleastri ramum scribunt. Vide Isacium iu Lycophron. et Autonin. Liberalem in Met.

780. *Ultricis Althææ*. Vid. not. ad vers. præced.

781. *Istas*, has, quas tibi consecro. Et existimsmus caveudum esse, ne omittatur iu hac voce vis insita pronomiuis *tui*.

782. *Harpyia, dum Zeten*, etc. Harpyias Zetes et Calais Boreæ filii, alati in Plotas insulas fugaruut, quod Phineus benigne Argouautas excepisset. — *Fugit*, expulsa e Phinei regia: Apollon. et Valerius.

783. *Adice*, adjice, adde. — *Stymphalidos*. Herc. Fur. vs. 244.

784. *Spicula*, Herculis sagittas Hydræ felle tiuctas.

785. *Sonuistis, aræ*. Vox est illa qusm Hecate præferebat. Vide Animadv. — *Tripodas agnosco meos*. Oracula mihi non miuus certa quam tripodss Delphicos, uude vaticiuantur Phœbsdes. Cf. OEdip. vs. 230.

787. *Triviæ*, Dianæ, Lunæ. Hipp. vs. 411. — *Agiles*, veloces, propter minorem orbem. Thyest. vs. 840.

Pernox agitat; sed quos facie
Lurida mœsta, quum Thessalicis
Vexata minis, cælum freno
Propiore legit : sic face tristem
Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos;
Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretiosa sonent æra Corinthi.
Tibi sanguineo cespite sacrum
Solemne damus : tibi de medio
Rapta sepulcro fax nocturnos
Sustulit ignes : tibi mota caput

791. *Vexata*, incantata.—*Cælum freno propiore*, etc. Quasi cælo deducta, aut præ metu arctius constricta esset luna, ex opinione vulgi : vel in hypogeo, vel menoides, nec tota lucens nocte : ut opponatur illi, quod prius dixerat, « pleno lucida vultu Pernox. »

795. *Inque auxilium*. Hippol. vs. 790 sq. — *Dictynna*. Quod nomen sibi assumere dignata est Diana in memoriam comitis suæ Britomartis, quæ, quum amatorem suum Minoem fugiens in mare se præcipitaret, incidit in piscatoria δίκτυα, id est, retia, unde *Dictynnæ* numine culta, a Diana in Deorum numerum relata. Aliis *Dictynna* dicitur, quia Diana retia venatoria (δίκτυον) invenisse traditur.

796. *Pretiosa*. Anachronismus quo poeta romanam scenam summque tempus respicit : etenim anno Urbis 607, colliquatis statuis et simulacris in Corinthii incendio, confluxere æris, auri, argentique venæ : unde æs Corinthium mixtum, generosius et laudabilius.—*Sonent*. Ne scilicet luna, incantatione audita, cælo detraheretur.—*Æra*. Hoc est, pelves ex hoc ære confectæ : nominat autem hoc æs, vel quia sonus ejus acutior, vel quia Corinthi hæc agebantur.

797. *Tibi sanguineo*. Ex fovea perfusa nigræ agnæ sanguine, egesto cespite in morem aræ quadrato, atque ipso sanguineo. Vid. OEdip. vs. 550. Horat. Sat. I, 8, vs. 26 : « scalpere terram Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam. »

798. *Tibi de medio*. Olim sepulcris, bustis, vel rogis eruta, ad maleficia deligebantur. Horatius, Epod. V, vers. 17 sq. « Jubet sepulcris caprificos erutas, Jubet cupressus funebres. » Lucanus autem hoc ad nauseam usque plus XL versibus persequitur, VI, 507 sq.

799. *Rapta sepulcro*. In maleficiis magicisque sacris adhibuerunt faces bustis ereptas. OEdip. v. 550 : «...et super rapti rogis Jaciuntur ignes. »

800. *Tibi mota caput*. Jactare caput, fanaticum est, verbis Quintiliani, XI, III, 71. Bas.

Flexa voces cervice dedi.
Tibi funereo de more jacens
Passos cingit vitta capillos.
Tibi jactatur tristis Stygia
Ramus ab unda : tibi nudato
Pectore Mænas sacro feriam
Brachia cultro.
Manet noster sanguis ad aras.
Assuesce, manus, stringere ferrum,
Carosque pati posse cruores.
Sacrum laticem percussa dedi.
Quod si nimium sæpe vocari
Quereris, votis ignosce, precor.
Causa vocandi, Persei, tuos
Sæpius arcus, una atque eadem
Semper, Iason : tu nunc vestes
Tingue Creusæ, quas quum primum
Sumserit, imas urat serpens
Flamma medullas. Ignis fulvo
Clusus in auro latet obscurus;
Quem mihi, cæli qui furta luit

802. *Funereo*, etc. Troad. vs. 84.

804. *Tristis.* Taxus, cupressus et arbores ad Stygem natæ, veneficiis idoneæ habitæ. Conf. Hercul. Fur. vs. 689, et ibi not.

805. *Tibi nudato*, etc. More sacerdotum, quos Dea Magna movet: et, ut ait Tibull. I, 6, 47 et 50, « Ipsa bipenne (cultro) suos cædit violenta lacertos : » namque in sacris Cybeles et Bellonæ, sacerdotes cultris sibi lacertos, humeros, pectusque sanciabant.

806. *Sacro feriam Brachia cultro.* Dum hæc dicit, sibi cultro simul incidit brachium.

810. *Carosque*, etc. Nunc patere emitti meum cruorem, ut mox valeas effundere sanguinem filiorum meorum. Excidit hoc velut omen futuræ cædis; vid. not. ad vs. 26.

811. *Sacrum laticem dedi*, liquorem sacris hujusmodi adhibendum.

814. *Persei.* Hecate, filia Persei regis, Jovis neptis : aliis autem Aristei : aliis Jovis et Asteriæ filia.

815. *Arcus*, radios, vimque tuam et opem in magicis.

820. *Fulvo clusus in auro.* Monili, seu crinali aureo. Sup. vs. 574.

821. *Cæli*, ignis cælestis domo ætheria subrepti. Herc. Fur. 1206.

Viscere feto, dedit, et docuit
Condere vires arte Prometheus.
Dedit et tenui sulfure tectos
Mulciber ignes : et vivacis
Fulgura flammæ de cognato
Phaethonte tuli : habeo mediæ
Dona Chimæræ.
Habeo flammas usto tauri
Gutture raptas ; quas, permixto
Felle Medusæ, tacitum jussi
Servare malum.
Adde venenis stimulos, Hecate,
Donisque meis semina flammæ
Condita serva : fallant visus,

822. *Viscere feto*, quia nempe erant viscera pœnis fecunda ; et jecur in pœnas assidue renascebatur, ubi aquila illud depasta fuerat. Hercul. Fur. loc. laud.

823. *Condere vires arte*. Solerter vim et potentiam miscere, conjungere. — *Prometheus*. Alludit ad vulgatam traditionem Hesiodi, Horatii, aliorum, Prometheum subduxisse furto ignem cælestem, atque mortales ignis usum docuisse. Plato, de hac re late agens in Protagora, inter cætera : « Quumque aliam salutis humanæ viam consultans Prometheus non inveniret, subripuit Vulcani Minervæque artificiosam pariter cum igne sapientiam : neque enim fieri poterat, ut ea sine igne quis potiretur, vel etiam uteretur. Eum itaque sic hominum generi Prometheus intulit, atque ita sapientiam, quæ victum suppeditat, consequuti sumus. »

825. *Flammæ*. Qua fulminatus in Eridanum incidit. — *De Phaethonte*. De corpore Phaethontis.— *Cognato*, meo. Solis enim Phaethon filius ; Medea neptis.

827. *Mediæ*. Namque apud Hes. Th. vs. 322 : Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ Χίμαιρα Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο. Virg. Æn. VI, vs. 288 : « ... flammisque armata Chimæra. »

828. *Dona*, ignem.

829. *Tauri*. Colchici a Jasone subjugati. Sup. vs. 241 et 466.

831. *Medusæ*, Gorgonis : cui aliæ duæ sorores Sthenyo et Euryale, quibus unicus oculus, quo per vices utebantur ; crines ex anguibus ; alæ, ungues ærei ; hanc Perseus occidit.— *Tacitum*, occultum.— *Malum*, virus, potentiam.

833. *Stimulos*, vires.

834. *S. flammæ*. Pindarus dixit, σπέρμα φλογὸς, et Virg. Æn. VI, 6 : « ... quærit pars semina flammæ. »

835 sq. *Fallant visus*, *Tactusque*

Tactusque ferant : meet in pectus
Venasque calor : stillent artus,
Ossaque fument; vincatque suas
Flagrante coma nova nupta faces.
Vota tenentur; ter latratus
Audax Hecate dedit, et sacros
Edidit ignes face luctifera.
Peracta vis est omnis : huc natos voca,
Pretiosa per quos dona nubenti feras.
Ite, ite, nati, matris infaustæ genus,
Placate vobis munere et multa prece
Dominam et novercam : vadite, et celeres domum
Referte gressus, ultimo amplexu ut fruar.

CHORUS.

Quonam cruenta mænas
Præceps amore sævo

ferant. Ne qua videntibus tangentibusve oriatur suspicio.

837. *Stillent*, scil. liquefacti.

838. *Vincatque suas*, etc. Ardens ex venenato crinali coma novæ nuptæ exsuperet flammas tædarum nuptialium.

840. *Vota*, etc. Exaudior: annuit, votaque rata fecit Hecate, meque audere jubet: nam Στράπτε δ᾽ ἀπειρέσιον δαΐδων σέλας, ἀμφὶ δὲ τήν γε Ὀξείῃ ὑλακῇ χθόνιοι κύνες ἐφθέγγοντο. Apoll. Arg. III, 1215. Cf. OEd. 569.

841. *Audax Hecate*. De hac Cœlius, Antiq. Lect. lib. XX, cap. 6, et Natalis, Mythol. lib. III, cap. 5. — *Sacros ign*. Nam illa adventante, solum tremebat et tædarum fulgur cernebatur, auctor Schol. Apollonii, et Turneb. lib. XV, cap. 8. — *Face luctifera*. Bene vocatur fax Hecates *luctifera*.

843. *Vis omnis*. Omne incantamentum. — *Hac natos voca*. Siste mihi huc, o nutrix, natos meos.

845. *Ite, ite, nati*. Adstiterunt scilicet pueri, quibus et pallam Medea et gemmas dat manibus. — *Infaustæ*, repudiatæ, et in exsilium missæ.

846. *Placate*. Verba mentientis, et scientis se mentiri. — *Vobis*. Unde sit vobis tuta salus.

Act. IV, sc. III. Furorem Medeæ Chorus timet, malitiam ejus exsecratus.

849. *Cruenta mænas*. Mulier illa, sanguinem spirans, et furens quasi Baccho percita. OEdip. vs. 436.

850. *Præceps*, inconsulta, furiosa.

Rapitur? quod impotenti
Facinus parat furore?
Vultus citatus ira
Riget, et caput feroci
Quatiens superba motu
Regi minatur ultro.
Quis credat exsulantem?
Flagrant genæ rubentes,
Pallor fugat ruborem.
Nullum vagante forma
Servat diu colorem.
Huc fert pedes et illuc,
Ut tigris orba natis,
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus: sic
Frenare nescit iras
Medea, non amores.
Nunc ira amorque causam

851. *Impot. furore*, quo correpta jam non fit animi compos.

853. *Citatus ira.* In quo oculorum orbes rapide propter iram volvuntur.

854. *Riget*, truculentus horret.

856. *Ultro.* Etiamsi nemo illi vim inferat.

857. *Quis credat exsulantem?* Ex minaci vultu gestuque superbo quis credat illam in exsilium ire jussam, aut ad fugam se parantem?

860. *Nullum vagante forma*, etc. Similiter Horatius, Od. I, XIII, 5, « nec mens mihi, nec color Certa sede manet. »

863. *Ut tigris orba natis.* Qua, catulis a venatore subreptis, nullum animal truculentius, nullum velocius; vide quæ nos ad Martial. Ep. XVIII, lib. Spect. FARN.—De tigridis amore in catulos et arte qua capitur, de furore relictæ in litore, de speculo quo retardatur, de spontanea morte, multa, præter Claudianum, Plin. Nist. Nat. lib. VIII, cap. 10; Solin. Polyhist. cap. 21; D. Ambros. Hexamer. lib. IV. — Eucherius eo refert illud Jobi, juxta Hebræorum contextum: «Tigris periit, eo quod non prædam fuerit assequuta.» Fusissime omnium Wottonus, de Differ. anim. lib. V, cap. 81.

865. *Gangeticum nemus.* Indiæ tigridibus admodum feracis, nemora secat Ganges, fluvius maximus.—*Frenare*, cohibere, regere.

Junxere : quid sequetur?
Quando efferet Pelasgis
Nefanda Colchis arvis
Gressum, metuque solvet
Regnum, simulque reges?
Nunc, Phœbe, mitte currus
Nullo morante loro.
Nox condat alma lucem:
Mergat diem timendum
Dux noctis Hesperugo.

869. *Quid sequetur?* ex illa amoris et iræ conspiratione. Ne autem velis cum Farnabio intelligi : « Utri succumbet locumve dabit? iræne an amori? »

870. *Pelasgis arvis.* Ex imperio Creontis. Sup. vss. 180 et 185.

871. *Colchis,* Medea : a Colchide patria.

873. *Reges*, id est, Creonta et Jasonem.

874. *Mitte currus.* Nunc rapidissimo cursu age currus tuos, ut, ex præscripto illi diei termino, in exsilium proficiscatur. Sup. v. 295.

876. *Alma.* Quum proprie diei consecrata sit vox *alma*, hanc nocti attribuit hic auctor, quæ rapido adventu suo advehet diem optatam, qua Medea est abitura.

877. *Diem timendum.* Intra cujus spatium timeri potest, ne multa mala edantur. Et hoc canit vaticinando Chorus.

878. *Hesperugo.* Hipp. vs. 541, et sup. vs. 71. — Lucifer, Eous, Phosphorus, Hesperus, Vesperus, Hesperugo, una eademque stella est. *Hesperus*, quod Bernardino placuit, versum facit claudicare. Plaut. Amph. I, 1, 119 : « Nec jugulæ, neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt. » Sic etiam vocat Terentius Varro, de Ling. Lat. lib. VI : « Vesperugo, stella quæ vespere oritur : a quo etiam Opilius scribit Vesperum. » Vitruvius Pollio, de Architectura, lib. IX, de hoc astro ita scripsit : « Quum solem sequitur, post occasum apparens in cælo, clarissimeque lucens, Vesperugo vocatur : aliis autem temporibus, eum antecurrens et oriens ante lucem, Lucifer appellatur. »



ACTUS QUINTUS.

NUNTIUS, CHORUS, NUTRIX, MEDEA, JASON.

NUNT. PERIERE cuncta : concidit regni status.
Nata atque genitor cinere permixto jacent.
CHOR. Qua fraude capti? NUNT. Qua solent reges capi;
Donis. CHOR. In illis esse quis potuit dolus?
NUNT. Et ipse miror; vixque jam facto malo
Potuisse fieri credo. CHOR. Quis cladis modus?
NUNT. Avidus per omnem regiæ partem furit,
Ut jussus, ignis : jam domus tota occidit,
Urbi timetur. CHOR. Unda flammas opprimat.
NUNT. Et hoc in ista clade mirandum accidit;
Alit unda flammas, quoque prohibetur magis,

Act.V, sc. unica. Narrat nuntius Creusam cum patre regiaque tota flagrasse pernicioso Medeæ munere. Medea filios suos trucidat et aufugit.

879. *Regni status.* Regnum quod nuper stabat.

880. *Nata atque genitor.* Creusa et Creon.

881. *Capti*, oppressi.—*Qua solent reges capi.* Δωροφάγοι et δωροβόροι, quandoque δωρολῆπται : ut pisces hamo, quem captantes capiuntur.

884. *Potuisse fieri.* Rem evenire potuisse vix credo. — *Quis cladis mod.* Quo modo clades hæc facta fuerit enarra.

886. *Ut jussus.* Quasi imperio cuidam pareret : quasi docilitatem adhiberet in adjuvandis malis consiliis. Vid. Animadv.

889. *Alit unda flammas.* Augetur ignis superinjecta aqua. Φάρμακον ἀσφαλτῶδες καὶ θειῶδες, incantatum. Sup. vs. 819 sq. — *Ipsa præsidia.* Ipsas defensiones.—*Occupat*, scil. ignis. Gallicus interpres, quamvis hæc male, ut fit sæpius, intellexerit : « c'est Médée qui conduit

Magis ardet ignis : ipsa præsidia occupat.
NUTR. Effer citatum sede Pelopeia gradum,
Medea : præceps quas libet terras pete.
MED. Egon' ut recedam? si profugissem prius,
Ad hoc redirem : nuptias specto novas.
Quid, anime, cessas? sequere felicem impetum.
Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?
Amas adhuc, furiosa, si satis est tibi
Cælebs Iason : quære pœnarum genus
Haud usitatum; jamque sic temet para.
Fas omne cedat : abeat expulsus pudor.
Vindicta levis est, quam ferunt puræ manus.
Incumbe in iras, teque languentem excita,
Penitusque veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri. Quidquid admissum est adhuc,

toul; » veram tamen h. l. auctoris mentem subodoratus est, quum τὸ *ipsa* referat ad *Medeam*; et *præsidia* tunc accipere debuisset pro *arce*, seu regia, quam revera occupat Medea, incendium et cernens, et adjuvans.

891. *Effer citatum*, etc. Hæc nutrix territa ad Medeam ex improviso in scena apparentem. — *Sede Pelopeia.* Corintho, in faucibus Peloponnesi, Pelopi quondam regnata. Herc. Fur. vs. 1165.

893. *Egon' ut recedam?* Supple, suades.

894. *Ad hoc*, facinus, vel spectaculum. —*Novas.* Amare dictum : quibus, novo ritu, prælucet incendium. Troad. vs. 901.

895. *Felicem*, per quem tam feliciter iræ meæ morem gessi.

896. *Pars*, etc. Quantula est ista, qua tantopere exsultas, vindicta, quod Creusa cum patre totaque regia conflagraverit.

897. *Amas adhuc, furiosa*, etc. Sensus est : Non vides, insana, a te adhuc amari Jasonem, quem pessime debes odisse, si satis ad vindictam tuam putas, quod eum cælibem, Creusam occidendo, reddidisti. Vs. 126.

899. *Sic*, ex tali consilio, secundum eam mentem, scilicet ut invenias pœnarum genus inusitatum.

901. *Quam ferunt puræ manus.* Hoc est, quæ servat modum, neque punit, nisi quos pium fasque est punire. *Puræ manus* sunt eorum, qui aut parcunt, aut non occidunt, nisi hostes, vel supplicium meritos. —Quod est de lectione *parvæ*, vel *pravæ manus*, vid. Animadv.

904. *Violentus.* Referendum est ad *animum*.

Pietas vocetur : hoc age : et faxo, sciant,
Quam levia fuerint, quamque vulgaris notæ,
Quæ commodavi scelera : prolusit dolor
Per ista noster : quid manus poterant rudes
Audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc sum : crevit ingenium malis.
Juvat, juvat rapuisse fraternum caput,
Artus juvat secuisse, et arcano patrem
Spoliasse sacro : juvat in exitium senis
Armasse natas : quære materiam, dolor;
Ad omne facinus non rudem dextram afferes.
Quo te igitur, ira, mittis? aut quæ perfido
Intendis hosti tela? nescio quid ferox
Decrevit animus intus, et nondum sibi
Audet fateri : stulta properavi nimis.
Ex pellice utinam liberos hostis meus
Aliquos haberet! quidquid ex illo tuum est,

905. *Pietas vocetur.* Præ iis quæ admittenda restant. — *Hoc age*, attende. Et est rituale verbum.

907. *Commodavi*, non pro me, sed in mariti mei gratiam admisi. — *Scelera.* Sup. v. 276 sqq. Alludit ad ea quæ prius patravit in Jasonis gratiam. — *Prolusit dolor*, etc. Ea fuerunt quasi præludium furoris mei.

908. *Rudes.* Sceleri parum adhuc assuetæ.

909. *Puellaris*, virginis.

910. *Medea nunc sum.* Emphasis. Nunc demum par et sufficiens meis immanibus sceleribus patrandis. — *Crevit ingenium malis.* Vel malis quæ feci, vel malis quæ accepi. Priori sensui videntur addere auctoritatem ea quæ sequuntur : nam tot et tanta jam admisisse facinora sibi ob id potissimum gratulatur, quod inde didicerit omne jam aggredi scelerum et cædis genus.

913. *Arcano sacro.* Vellere aureo, Marti sacrato.

914. *Senis*, Peliæ. — *Materiam*, nocendi.

916. *Quo te mittis*, ad quam inimicum lædendi rationem. — *Perfido hosti*, Jasoni.

917. *Ferox.* Refer ad *animus*, potius quam ad *quid*.

919. *Stulta pr. nimis.* Quæ surgit animo Medeæ sententia, spectat ad natos Jasonis contrucidandos; et statim sibi ait : « Stulta ego, quæ non distulerim iras, donec mater ex Jasone facta suppeditasset ulterioris materiam vindictæ. »

920. *Quidquid ex illo tuum*, etc. Sed puta tuos, o Medea, quoniam Jasonis sunt, etiam Creusæ esse.

Creusa peperit : placuit hoc pœnæ genus,
Meritoque placuit : ultimum agnosco scelus.
Anime, parandum est : liberi quondam mei,
Vos pro paternis sceleribus pœnas date.
Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit : ira discessit loco,
Materque tota conjuge expulsa redit.
Egon' ut meorum liberûm ac prolis meæ
Fundam cruorem? melius, ah demens furor!
Incognitum istud facinus, ac dirum nefas
A me quoque absit. Quod scelus miseri luent?
Scelus est Iason genitor, et majus scelus
Medea mater : occidant; non sunt mei :
Pereant; mei sunt. Crimine et culpa carent :
Sunt innocentes : fateor... et frater fuit!

922. *Hoc p. genus.* Natos cædi, quod nondum verbis expressit.

923. *Ultimum agn. scelus.* Hæc sunt invenientis, deprehensûmque velut tenentis modum, quo summam vindictæ manum per summum scelus imponat.

924. *Anime, parandum est.* Hoc ipso momento demum constituit de liberis trucidandis.

926. *Cor pepulit horror.* Deliberantem inducit poeta Medeam, post Apollonium, Ovidium, Valerium, dumque vinci ratione affectus laborant, iræ tandem succumbentem.

927. *Ira disc. loco.* Locum dedit amori materno.

928. *Materque.* Maternusque affectus redit, expulsa animo vindictæ cupiditate ob repudiatam me ab Jasone conjugem.

929. *Egon' ut*, etc. Supple, fieri poterit.

930. *Melius, ah demens furor!* Integra sententia est : « Ah furor demens, suadeas mihi aliquid, quod sit melius. »

931. *Istud*, dirum atque inauditum scelus, quod tu, furor, mihi inspiras.

932. *A me quoque*, etiam a me absit, quæ scilicet et ipsa tandem sum mater.

933. *Scel. est Jason.* Tyrannicum, quale illud apud Phædrum, Fab. I, 1, 12 : « Pater, hercle tuus, inquit, maledixit mihi lupus; » quum aliam causam non inveniret. Satis est illis culpæ, quod scelestum habent patrem, quod iratam patri et immisericordem matrem. Thyest. 1100 : « TH. Quid liberi meruere? ATR. Quod fuerant tui. »

934. *Occidant*, pereant. Secunda syllaba correpta.

936. *Et frater.* Suppl. meus innocens : nec tamen illi peperci, ut Jasoni prodessem.

Quid, anime, titubas? ora quid lacrimæ rigant?
Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Diducit? anceps æstus incertam rapit.
Ut sæva rapidi bella quum venti gerunt,
Utrinque fluctus maria discordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet : haud aliter meum
Cor fluctuatur; ira pietatem fugat,
Iramque pietas. Cede pietati, dolor.
Huc cara proles, unicum afflictæ domus
Solamen, huc vos ferte, et infusos mihi
Conjungite artus : habeat incolumes pater,
Dum et mater habeat. Urget exsilium ac fuga:
Jam jam meo rapientur avulsi e sinu,
Flentes, gementes: osculis pereant patris;
Periere matri. Rursus increscit dolor,
Et fervet odium : repetit invitam manum
Antiqua Erinnys : ira, qua ducis, sequor.
Utinam superbæ turba Tantalidos meo

939. *Æstus*, tamquam maris. Et est vox, tali loco, usitata.

942. *Dubium*, qua feratur.

945. *Cara proles, unicum*, etc. Cf. Troad. vs. 463 sq. et 962.

946. *Infusos mihi.* Significat nodos quibus vult sese cum natis in gremio receptis implicare.

948. *Et*, quoque. — *Urget exsilium, ac fuga.* Urget tamen in iras cædesque instans exsilium.

950. *Osculis pereant patris*, etc. Nunc, inquit, amittat illos et pater. Nam ego liberos amisi jam ex quo constitutum est, eos hic mansuros esse. Itaque, si peribunt, non mihi, sed illi peribunt. — Refert tamen Euripidis Scholiastes corruptum a Corinthiis Euripidem v talentis, transtulisse in Medeam filiorum suorum cædem, quos ipsi Corinthii in matris odium interfecerant.

952. *Repetit invitam man. Antiq. Erin.* Quamvis nolens seque subtrahens crudeli ministerio manus reposcitur a veteri Furia, ut qualis in fratrem fuit, talis et sit in filios. Deinde consentit et sequitur deteriora, videns probansque meliora.

954. *Utinam superbæ*, etc. Utinam peperissem tot filios quot Niobe Tantali filia, Hercul. Fur. vs. 390. « Quam mihi ampla foret vindictæ seges! et tamen duos habeo Mermerum et Pheretem, quos patri meo prodito fratrique cæso quasi inferias offeram. » Infra v. 968.

Exisset utero, bisque septenos parens
Natos tulissem ! sterilis in pœnas fui.
Fratri patrique quod sat est, peperi duos.
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quærit? aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello : quem trabe infesta petit
Megæra? cujus umbra dispersis venit
Incerta membris? frater est : pœnas petit :

956. *Natos.* Quot Medea filios habuerit, ex Parmenisci et aliorum sententiis refert Schol. Eurip. in Medea : hos omnes, uno Thessalo excepto, a Medea necatos scribit Diodor. lib. IV, 55 : sed Ælianus, Var. Histor. lib. V, cap. ult. refert eos a Corinthiis interemtos fuisse : Pausanias in Corinthiacis, lapidibus obrutos propter allata Creusæ munera.—*Sterilis in pœnas fui.* Id est, sterilis mihi videor fuisse, si ad pœnas spectem, quas velim repetere.

957. *Duos.* Consentaneum hoc est Euripidis traditioni. Isacius eos Mermerum et Pheretem; Hyginus Macarium et Pheretum appellat; alii aliter : sed quid ad rem nomina?

958. *Quonam.* Sibi per phantasiam videtur Furias videre, mox fratris umbram. — *Turba.* Hercul. Fur. vs. 101; Thyest. vs. 78.

959. *Quo.* Ad quem finem.

960. *Aut cui cruentas.* Similiter apud Nostratem Racinium, Orestes Furiis agitatus, terribilia sibi ante oculos fingit phantasmata, et exclamat, Andromach. act. V, scena ultima : « Eh bien! filles d'enfer, vos mains sont-elles prêtes? Pour qui sont ces serpents qui sifflent sur vos têtes? »

961. *Ingens anguis.* Cf. Thyest. vs. 96; Herc. Fur. vs. 88 et 101. Visis Furiis et audito verberum sono, ad insaniam homines adigi credebant veteres, ut patet ex hoc ipso loco, et Hercul. Fur. vs. 892 : « Flammifera Erinnys verbere excusso sonat, etc. »

963. *Megæra.* Μεγάλη Ἔρις καὶ μεγαίρουσα. — *Dispersis.* Ut curas affectusque animi, ita corporis vulnerum indicia post mortem manere fingunt poetæ.

964. *Incerta.* Quam prima facie vix agnosco. — *Frater.* Absyrtus, quem conveniunt omnes ab impia sorore laniatum : sed Pacuvius et Diodorus Ægialeum vocant : plerique volunt fuisse germanum fratrem, Sophocles uterinum tantum. Timonax et Apollonius ob formæ præstantiam Phaethontem nominarunt. Quidam Medea natu majorem faciunt, quibus favet Val. Flaccus : Pherecydes a Medea ex cunis infantulum sublatum, et in mari postea necatum tradidit. Quod tamen in patriis ædibus patratum mavult Sophocles, sed Apollonius

Dabimus : sed omnes fige luminibus faces;
Lania; perure : pectus en Furiis patet.
Discedere a me, frater, ultrices Deas,
Manesque ad imos ire securas jube :
Mihi me relinque; et utere hac, frater, manu,
Quæ strinxit ensem : victima manes tuos
Placemus ista. Quid repens affert sonus?
Parantur arma, meque in exitium petunt.
Excelsa nostræ tecta conscendam domus,
Cæde inchoata. Perge tu mecum comes :
Tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.
Nunc hoc age, anime : non in occulto tibi est
Perdenda virtus : approba populo manum.

prope Istrum, Plinius in insulis quæ ab hoc facinore Absyrtides nuncupatæ. Vide Scholiast. Apollonii in lib. IV.

965. *Faces.* Furoris mei incitamenta, et quæ in me pietatis maternæ lumina exstinguant. Ut apud Virgilium, Æn. VII, 457, Alecto : « atro Lumine fumantes fixit sub pectore tædas. »

968. *Securas.* Nec dubitent quin scelus factura sim.

970. *Strinxit*, in te olim, nunc in filium. — *Victima.* Atque, hoc dicto, unum e filiis interficit.

971. *Quid repens*, etc. Irruit Jason cum armatis satellitibus.

973. *Nostræ.* Quam Medea *nostram* hic appellat, non est Creontis regia, ut quidam credidere, sed quam Medea cum marito habitare nuper solebat : regia enim tota jam conflagravit, vs. 886.

974. *Cæde inchoata.* Uno filio occiso. — *Tu*, mea nutrix.

975. *Corpus*, non nati quem jam trucidavit; sed nutricem, ne pereat. — *Aveham.* Asportabo.

976. *Anime.* Se ipsam alloquitur. — *Non in occulto*, etc. Non ut prius magicis et veneficiis, idque clam; sed spectanti Jasoni cum Corinthiis ostende specimen virium tuarum, in interficiendis filiis.

977. *Approba populo manum.* Testare, proba populo, quid tua possit manus. Pari modo loquitur Seneca, Epist. 99 : « Stultius vero nihil est, quam famam captare tristitiæ, et lacrimas approbare, » et 102, « ipsos concubitus portentosos sibi ipse ostendit, sibi ipse approbavit. » — Contra Horatii præceptum filios coram populo trucidat. Quia tantus furor, quantum superius descripsit, supremo actu, quem oportet multum assurgere, nuda commemoratione, pro dignitate exprimi nequivisset, spectandum facinus, non narrandum auditoribus fuit. Decorum ergo servatum. Aliter Riccius conatur excu-

JAS. Quicumque regum cladibus fidus doles,
Concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
Capiamus : huc, huc, fortis, armigeri, cohors,
Conferte tela : vertite ex imo domum.
MED. Jam, jam recepi sceptra, germanum, patrem ;
Spoliumque Colchi pecudis auratæ tenent.
Rediere regna : rapta virginitas rediit.
O placida tandem numina ! o festum diem !
O nuptialem !... Vade : perfectum est scelus;
Vindicta nondum : perage, dum faciunt manus.
Quid nunc moraris, anime? quid dubitas? potes.
Jam cecidit ira : pœnitet; facti pudet.
Quid, misera, feci? misera, pœniteat licet,
Feci. Voluptas magna me invitam subit;
Et ecce crescit : deerat hoc unum mihi,
Spectator ipse : nil adhuc factum reor.

sarc, de Imit. lib. I. Mihi videtur melior causa, quam dixi. DELR.

978. *Quicumque.* Hæc Jason, conversus ad milites, quibus præest. — *Cladibus.* Junge, cum *doles.* — *Fidus*, ut est fidi subditi.

980. *Fortis, armigeri, cohors.* Debent hæc « fortis cohors » sumi pro appositione : vos ferte tela.

982. *Jam, jam.* Jam, postquam injurias nunc ulta sum, videor mihi abunde omnia priora damna recuperasse.

983. *Tenent.* Recepisse videri possunt in mea vindicta.

985. *Placida tandem.* Justo furori meo demum faventia.

986. *Vnde.* Desere, Medea, hanc regionem. — *Perfectum est scelus.* In uno interfecto.

987. *Vindicta nondum.* Restat enim alter interficiendus, ne quid Jasoni supersit, quo se oblectet. — *Perage, dum faciunt manus.* Neque enim ad tantum facinus semper erunt promtæ : fac, dum dolet : dum nullus affectus ira potentior. Hercul. OEt. vs. 435 : « Scelus occupandum est : perge, dum fervet manus. »

988. *Potes.* H. e. vindictam habes in manu et potestate tua. — Ad hæc verba, vim rursus ira suscitante, alterum occidere parat filium.

990. *Misera.* Sero me miseram agnosco, sero pœnitet, postquam fecerim.

991. *Voluptas magna me invitam subit.* Vindictæ voluptas me urget, licet ipsa averser hanc voluptatem, et me propemodum oderim, quia sic gaudeam. — *Crescit.* Jam tum Jasonem ex domus fastigio despicit.

993. *Spectator ipse.* Ut Jason

Quidquid sine isto fecimus sceleris, periit.
JAS. En ipsa tecti parte præcipiti imminet.
Huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
Suis perusta. MED. Congere extremum tuis
Natis, Iason, funus, ac tumulum strue.
Conjux socerque justa jam functis habent
A me sepulti : natus hic fatum tulit.
Hic te vidente dabitur exitio pari.
JAS. Per numen omne, perque communes fugas,
Torosque, quos non nostra violavit fides,
Jam parce nato : si quod est crimen, meum est :
Me dede morti; noxium macta caput.
MED. Hac, qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
I nunc, superbe, virginum thalamos pete.

filiorum suorum spectaret necem. Canace Nasoniana, Heroid. XI, 7 : « Ipse necis cuperem nostræ spectator adesset. » — *Reor.* Quum non adfuerit spectator.

994. *Sine isto*, spectatore.

995. *En ipsa*, etc. Loquitur Jason cum suis militibus.

996. *Rapiat*, celeriter afferat, et huc intorqueat.

997. *Suis*, quibus ipsa in aliis usa est. — *Congere extremum tuis Natis, Iason, funus*, etc. Immo pie et pro tuo officio feceris, si rogum tuis natis a me cæsis construxeris : namque ego conjugi tuæ ac socero pyram accendi, et rite eos ignibus absumptos sepelivi.

999. *Justa functis*, Justa funebria, ea quæ justum et solemne est fieri et præstari functis. Vide Animadvers.

1000. *Hic fatum tulit.* Ostendit filii corpus jam occisi.

1001. *Hic te vidente.* Ostendit alterum, cui perituro instat mucro.

1002. *Communes fugas*, e Colchide, ne pater tuus Æetas; ex Thessalia, ne Acastus, Peliæ filius, pœnas a nobis repeteret.

1003. *Quos non nostra violavit fid.* Creon enim turbator pacis conjugalis, ipsa teste Medea, vs. 137 : « Quid tamen Iason potuit, alieni arbitrii Jurisque factus ? » Et vs. 143 : « Culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens Conjugia solvit. » Vid. Animadv.

1004. *Meum est.* Non nati.

1006. *Hac, qua recusas, quo*, etc. Sumam de te pœnas hac quæ te magis urit parte, i. e. in filio altero.

1007. *Virginum thal. pete.* Creusæ nuptias pete, me conjugem factamque ex te matrem desere. Pluralia autem sæpe per indignationem pro singularibus ponuntur. Cf. Herc. Fur. vs. 1284, et ibi not.

Relinque matres. JAS. Unus est pœnæ satis.
MED. Si posset una cæde satiari manus,
Nullam petisset : ut duos perimam tamen,
Nimium est dolori numerus angustus meo.
In matre si quod pignus etiamnum latet,
Scrutabor ense viscera, et ferro extraham.
JAS. Jam perage cœptum facinus, haud ultra precor;
Moramque saltem suppliciis dona meis.
MED. Perfruere lento scelere; ne propera, dolor.
Meus dies est : tempore accepto utimur.
JAS. Infesta memet perime. MED. Misereri jubes.
Bene est, peractum est : plura non habui, dolor,
Quæ tibi litarem. Lumina huc tumida alleva,
Ingrate Iason : conjugem agnoscis tuam?
Sic fugere soleo : patuit in cælum via.
Squammosa gemini colla serpentes jugo
Summissa præbent : recipe jam natos parens.

1008. *Unus*, filius, scilic. is qui jam est interemtus.

1009 sqq. *Si posset una cæde*, etc. Si tantum mihi superesset pietatis, ut unius cæde me satiarem, alteri parcerem, etiam neutrum interficere sustinuissem : sed omnem exui pietatem, itaque vix dolori meo sufficiunt isti duo : immo, si me gravidam sentirem, etiam dissecto utero, fetum tui sanguinis extraherem.

1015. *Moramque saltem suppliciis dona meis.* Quum *donare* sit remittere, *donare moram* est, moræ gratiam facere, neque mora supplicii et lento cruciatu torquere : ne differas, maturato supplicium. — Locum hunc Gronovius vocat crucem eruditorum : et sensus quem hic exhibemus ejusdem est, at e longiori expressus nota, pluribusque omissis exemplis ab eo allatis.

1016. *Perfruere*, etc. Se ipsam, suum dolorem Medea alloquitur.

1018. *Misereri jubes.* Miseris enim mors grata. Sic in Herc. Fur. vs. 513 : « Miserum veta perire, felicem jube. »

1019. *Bene est; peractum est.* Cæso jam altero filio.

1020. *Lumina*, etc. Alloquitur Jasonem : attolle oculos tuos meque vide. Annon agnoscis me ex solita cæde? prius quidem tibi, jam mihi vindictam poscentem. — *Tumida*, præ ira et dolore.

1022. *Sic fugere soleo*, per cædes : patrem fugi occiso fratre; Acastum mariti mei patruelem occiso patre suo; te jam conjugem occisis filiis.

Ego inter auras aliti curru vehar.
JAS. Per alta vade spatia sublimi ætheris :
Testare nullos esse, qua veheris, Deos.

1025. *Ego inter auras*, etc. Et his dictis, vecta curru junctis draconibus, avolat Athenas, ubi Ægeo, Theseos patri, nupta consedit, donec privigno insidiata, rursus fugere coacta est. — *Vehar.* JAS. *Per alt.* Ita Both. ad hunc vers. et sq. Vulgo, inquit, « ... vehar. JAS. Per alta vade spatia sublimi ætheris : Testare, etc. » Ut in cælum aufugere jubeat Medeam Jason, cujus erat potius optare, ut in Tartarum mulier detruderetur. Neque *sublimus* est ex usu Senecæ. Legendum » « Ego inter auras aliti curru vehar, Per alta vadens spatia sublime veheris. » Scriptum *vadesspatia*, *vadespatia*, *vadespatia*. Cic. « Animi *sublime* feruntur, etc. » Olim *sublimus* dicebatur : *sublima nebula*, in Sallust. Fragm. apud Nonium, cap. 8, n. 45. Et Lucretius, I. 340, « per maria ac terras, sublimaque cæli. »

1027. *Testare*. Testimonium feras contra Deorum justitiam ; vel argumento sis nullos esse in cælo Deos, si tibi tot et tam horrendis sceleribus contaminatæ per æthera pateat impune via.

DE VARIIS

QUÆ AD MEDEÆ TRAGOEDIAM SPECTANT, SEU JUDICIIS, SEU IMITATIONIBUS.

Illud est Medeæ argumentum, quod a variis variarum linguarum auctoribus sæpissime tractatum fuit; ita ut illa Medeæ incantamenta et facinora non paucioribus usurpata fuerint, quam et Atridarum et Orestis nunquam cessantes miseriæ.

Gallicus interpres, quem in tragœdiæ contextu citandi locum habuimus, ad calcem voluminis multa retulit, quæ, ut non omnia debuimus accipere, ita non potuimus omnia omittere. Ibi scilicet comparantur inter se tragœdiæ Euripidis, Senecæ, et quorumdam inter nostrates (1), v. c. *Corneille, de Longepierre,* et professorem Divionensem satiricis operibus, asperitate judiciorum et sagacitate ingenii satis celebrem, *Clément*, quem *inclément* vocabat ille vir unicus, in omni genere scribendi ita excellens, ut sæculi proxime elapsi fata suo dominatu per sexaginta annos teneret et moderaretur. Claudit demum hanc seriem mentio facta de iis qui inter recentiores, tum Italos, tum Germanos, tum Anglos, attigere hoc argumentum.

Recurrere libeat ad opus cui titulus est : *le Théâtre des Grecs, traduit par le Père Brumoy,* si quis velit incertam de auctore Græco opinionem stabilire : nos cæterum in variis locis cavimus diligenter, ne non indicaremus, quotiescumque Seneca Euripidem satis feliciter expressisset.

(1) Abs re fuisset citare vetustiorem quemdam tragœdum, qui Senecæ Medeam imitatus est, *Jean de la Péruse*, Engolismæ natus 1523; et apud Pictavos mortuus 1556.

Quod est de judiciis super hoc nostro Latino pronuntiatis, pauca sunt quæ possimus dicere. Aut Euripidem sequitur Seneca, et tunc videas Euripidem; aut se ipsum ingeniumque suum, et tunc is est quem apprime jamdudum novimus, id est, aliquando vere tragicus et sublimis, aliquando diffusus, locos affectus plenos assueta nimis prolixitate debilitans et enervans. Nec referemus acerbiorem viri supra citati, *Clément*, diatribam; quæ, ut non semper æquior, ita paulo severior et morosior nobis esse visa est.

E tragœdia magni *Corneille*, anno 1635 acta, quæ jam tanti viri ingenium ad grandiora mox perventurum prænuntiabat, nihil voluimus excerpere, præter locum insignem qui sequitur (1):

Souverains protecteurs des lois de l'hyménée,
Dieux garants de la foi que Jason m'a donnée,
Vous qu'il prit à témoin d'une immortelle ardeur,
Quand, par un faux serment, il vainquit ma pudeur,
Voyez de quel mépris vous traite son parjure,
Et m'aidez à venger cette commune injure.
S'il me peut aujourd'hui chasser impunément,
Vous êtes sans pouvoir et sans ressentiment.

Et vous, troupe savante en noires barbaries,
Filles de l'Achéron, Spectres, Larves, Furies,
Fières sœurs, si jamais notre commerce étroit
Sur vous et vos serpents me donna quelque droit,
Sortez de vos cachots avec les mêmes flammes
Et les mêmes tourments dont vous gênez les ames;
Laissez-les quelque temps reposer dans les fers;
Pour mieux agir pour moi faites trève aux enfers.
Apportez-moi du fond des antres de Cerbère
La mort de ma rivale et celle de son père;

(1) Senec. act. I, sc. 1; Corneille, act. I, sc. IV.

Et, si vous ne voulez mal servir mon courroux,
Quelque chose de pis pour mon perfide époux.
Qu'il coure vagabond de province en province,
Qu'il fasse lâchement la cour à chaque prince.
Banni de tous côtés, sans bien et sans appui,
Accablé de malheurs, de misère et d'ennui,
Qu'à ses plus grands malheurs aucun ne compatisse;
Qu'il ait regret à moi pour son dernier supplice,
Et que mon souvenir, jusque dans le tombeau,
Attache à son esprit un éternel bourreau.
Jason me répudie, et qui l'aurait pu croire!
S'il a manqué d'amour, manque-t-il de mémoire?
Me peut-il bien quitter après tant de bienfaits?
M'ose-t-il bien quitter après tant de forfaits, etc.

Et alibi (1):

Votre pays vous hait, votre époux est sans foi:
Dans un si grand revers que vous reste-t-il? — Moi!
Moi, dis-je, et c'est assez. — Quoi! vous seule, madame?
— Oui, tu vois en moi seule et le fer et la flamme,
Et la terre et la mer, et l'enfer et les cieux;
Et le sceptre des rois, et la foudre des dieux.

Præterea scena tertia actus tertii ex Seneca depromta est tota, vs. 447 sqq.

Plura sunt in Medea viri non omnino inglorii, *Longepierre* (2), quæ et indicanda existimavimus et citanda.

ACTE II, SCÈNE I.

. . . .
Quels bruits, quels chants d'hymen ont frappé mon oreille?

(1) Senec. act. II, sc. 1, vs. 164 sq. Corneille, act. I, sc. v.

(2) Longepierre (Hilaire-Bernard de Requeleyne, baron de), né à Dijon le 18 octobre 1659, mort à Paris le 31 mars 1721. — Sa Medée fut jouée en 1694.

Corinthe retentit de chants et de concerts, etc.

. . . .

Et quæ sequuntur, ut in Seneca et Cornelio imprecationes.

ACTE II, SCÈNE III (1).

CRÉON A MÉDÉE.

. . . Ah ! c'est trop long-temps contraindre ma colère.
Va, sors de mes états, sors, barbare étrangère,
Abandonne Corinthe, et cours en d'autres lieux
Porter tes attentats et le courroux des dieux.
D'un monstre tel que toi délivre mon empire,
Cesse d'infecter l'air qu'en ces lieux on respire;
De ton horrible aspect ne souille plus mes yeux,
Et n'empoisonne plus la lumière des cieux, etc.

ACTE II, SCÈNE V.

MÉDÉE A JASON.

L'exil, vous le savez, n'est pas nouveau pour moi (2);
J'ai su pour vous, Jason, m'en imposer la loi;
Sa cause est ce qui fait ma peine et ma disgrace:
Je fuyais pour Jason, et c'est lui qui me chasse.
N'importe; obéissons aux lois de mon époux.
Partons puisqu'il le veut. Mais où m'envoyez-vous?
Reverrai-je Colchos? irai-je en Thessalie (3),
Implorer les bontés des filles de Pélie?
Irai-je sur le Phase, où mon père irrité,
Réserve un juste prix à mon impiété?
Hélas! du monde entier pour Jason seul bannie,
Ai-je encor quelque asile en Europe, en Asie?

(1) Senec. vs. 266 sqq. « Tu, tu malorum machinatrix facinorum, etc. »

(2) Senec. vs. 447 sq. « Fugimus, Jason, fugimus. Hoc non est novum Mutare sedes, etc. »

(3) Vs. 451: « Ad quos remittis? Phasin et Colchos petam, etc. »

Et pour vous les ouvrir me fermant tous chemins (1),
Contre moi n'ai-je pas armé tous les humains? etc.

Ibidem.

J'ai conservé cent fois et ta vie et ta gloire (2).
Ressouviens-t-en, ingrat, rappelle en ta mémoire
Ce temps où vil rebut du destin et des flots, etc.

Ibidem, loco citato.

Remets devant tes yeux ce fatal champ de Mars (3),
Sous cent formes la mort offerte à tes regards,
Ces enfants de la terre, affamés de carnage,
Ces tourbillons de feu, ces monstres pleins de rage, etc.

ACTE III, SCÈNE IV.

Il ne me reste plus que d'évoquer Hécate (4),
Et tous ces dieux cruels dont la fureur me flatte.

Ibidem.

.... Tu connais cette robe éclatante (5)
De rubis lumineuse, et d'or étincelante;
Parure inestimable, ornement précieux
Où l'art et la richesse éblouissent les yeux.
Le Soleil, mon aïeul, favorisant mon père,
Pour présent nuptial en fit don à ma mère,
Et semble avoir mêlé, pour enrichir ses dons,
Le feu de sa lumière à l'or de ses rayons.
C'est de tous les trésors, où je pouvais prétendre,

(1) Vs. 458: « Quascumque aperui tibi vias, clusi mihi. »

(2) Vs. 465 sq. « ..... Ingratum caput! Revolvat animus igneos Tauri halitus, etc. »

(3) Vs. 468 sqq. « Armifero in arvo, etc. »

(4) Vs. 577: « Vocetur Hecate, etc. »

(5) Vs. 570-576: « Est palla nobis, munus ætheriæ domus, etc. »

L'unique qu'en fuyant Médée ait daigné prendre.
. . . .
. . . .
Je vais l'empoisonner, et, par mon art funeste,
Mêler un prompt venin à son éclat céleste.
. . . .
Je veux que mes enfants, pour cacher ma vengeance,
Et feignant d'implorer ses soins et sa clémence,
Ministres non suspects de mon courroux affreux,
Portent à leur marâtre un don si dangereux.

ACTE IV, SCÈNE I.

Il est temps d'achever le charme et la vengeance (1),
Hécate, viens pour moi signaler ta puissance.
Hécate, triple Hécate, etc. etc. *et tota scena.*

ACTE IV, SCÈNE II.

Ministres rigoureux de mon courroux fatal (1),
Redoutables tyrans de l'empire infernal,
Dieux, ô terribles dieux, etc. etc. *et tota scena.*

ACTE IV, SCÈNE V.

Approchez, approchez, jeunes infortunés (2),
Qu'aux maux presque en naissant le ciel a condamnés, etc.

ACTE IV, SCÈNE VII.

Quelque vive douceur qu'ait pour moi la vengeance (3),
Un trouble violent en secret la balance, etc.

(1) E versu 740 ad versum 846.

(2) Vs. 843 sq. «Ite, ite, nati, matris infaustæ genus, Placate, etc.»

(3) Vs. 924 : «Cor pepulit horror, membra torpescunt, etc.» Et fere omnia quæ sequuntur in hac scena.

ACTE V, SCÈNE IV.

MÉDÉE A JASON.

Hâte-toi de conclure un si doux hyménée (1),
Le sacrifice est prêt, et le temple est orné;
On n'attend plus que toi. Cours, époux fortuné!

Ibidem.

C'en est fait! pour repaître et mes yeux et mon cœur (2),
Moi-même j'ai voulu jouir de ta douleur.
Un spectacle si doux met le comble à ma gloire:
Je savoure à longs traits ta peine et ma victoire.

Ibidem.

Lève encor jusqu'à moi tes yeux chargés de larmes (1),
Ingrat. Vois ces dragons, qui, soumis à ma loi,
Et plus reconnaissants, plus fidèles que toi,
Par des chemins nouveaux vont guider leur maîtresse.

Ea est recentioris viri *Clément* tragœdia, e qua nihil excerpendum esse existimavimus, commendantibus scilicet neque auctoris fama, neque ipsius dramatis laude. In hac fabula apparet Medea magicis veneficisque potestatibus exuta, nisi quod retinuit fatalem togam, mittendam Creusæ. Cæterum desideratur in affectibus vis et veritas; nec misericordiam, aut terrorem, quæ sunt præcipua tragœdiæ momenta, legentium animis potest injicere.

Quum multi sint apud varios exterarum gentium au-

(1) Vs. 1007: « I, nunc superbe, virginum thalamos pete. »
(2) Vs. 1016: « Perfruere lento scelere, ne propera dolor. »
(3) Vs. 1020 sqq. « ... Lumina huc tumida alleva, etc. »

ctores qui Medeæ tractaverint argumentum, tres solummodo, ne in longiora protrahamus hunc excursum, indicare placuit.

Lodovico Dolce, qui Venetiis natus est, et florebat circa priorem quinti decimi sæculi partem, octo conscripsit tragœdias; quarum secundam, Medeam scilicet, totam fere e græco Euripidis vertit; perpauca mutuatus ab auctore Latino; nec dubitavit, Horatianum indocilis præceptum sequi, coram populo pueros trucidare.

Apud Germanos, ann. 1781, *Gotter* breviorem de Medea, nescimus an tragœdiam, scripsit, ubi depingere præcipue aggressus est pueros a matre contrucidatos, naturamque totam horrendum in modum tali facinore turbatam et expavefactam, re tota oculis potius quam animo legentis proposita.

Apud Anglos denique, anno 1761, poeta quidam Anglus, *Glover*, exactam et magnæ molis tragœdiam de Medea composuit, vestigiis tum Græcis, tum Latinis rarius adhærescentem, et Britannica, fere dicamus *Shakespeariana*, obscuritate insolentiaque diffusam. Recurrere autem libeat, si quis de hoc opere sibi ampliora voluerit offerri, ad opus non mediocriter commendandum, *Théâtre des Grecs*, vol. VI, pag. 335, ubi interpretes accuratam et criticis auctam animadversionibus mentionem de hac tragœdia fecerunt.

NOVAE
DE VARIETATE LECTIONUM
IN
MEDEAM
ANIMADVERSIONES.

2. *Luc. custos, quæque.* MSS. plerique, « Lucina custos es. » — *Quæque domituram freta.* Sic Flor. Alii, « quæque domitorem freti. » Manil. I, 621, de Argo: « ... clavumque ratis, quæ *vicerat* æquor. »

8. *Quosque.* Fern. et Caj. *quoque*, unde suspicantur legendum *quæque*, quia sequuntur nomina duo neutra. Sed nihil mutavimus. Mox Flor. « Nunc, nunc adeste sceleris, » quæ est διττογραφία.

12. *Voce non fausta.* MSS. 8029, 6377, *non infausta.*

15. *Atram..... facem.* MS. 8036, *atras..... faces.* — *Amplexæ.* Solus Ægid. *amplexere.*

17. *Quales stetistis.* MS. 8029, *q. fuistis.*

19. *Mihi pejus aliquid*, etc. « Affectus locus, inquit Both. nam recte monet Gronovius, pessimi ominis esse ita conceptas preces: *date mihi malum;* neque hæc expediri intelligendo *est* in verbis *Mihi pejus aliquid*, ut placet Grutero. Cæterum quæ ipsi in mentem veniebant, hæc, « Me pejus aliquid, Nisi pejus aliquid, quod precer sponso malum? » Denique « Me pejus aliud quod precer sp. m. » non magis nobis videntur probanda esse. Legendum censeo: « *In* pejus aliquid, quod precor sponso malum, Vivat, etc. »

25. *Parta jam, parta ultio est.* MS. 8029, « parta jam ultio est »; 8035, « parta, non parta ultio. »

29. *Et spectatur.* MSS. omnes cum Lips. Commel. Ægid. Grut. *et spectator.* Nos vulgat. retinuimus.

32. *Patriis.* Ægidius cum Lipsio legit *patris;* nam Sol Medeæ est avus.

35. *Litori*. Sed, ait Both. recte Gronovius : « Videtur scribendum *litore :* non enim litori opponit moras Corinthus, sed per litus utrumque mari. » Et de toto loco : « Aliquid desidero in interpretibus : sic enim loquuntur, quasi directo Medea innuat intelligatque medicatum ignem et incantationes et liberos occidendos. At ars est poetæ jubentis eam adhuc ignaram imprudentemque et necdum intelligentem, quid ominetur, præsagire et turbatam dictitare, quod futuris ejus consiliis congruit, etsi nondum ipsa verbis hos sensus imponat. Nam currus petit, non tamquam abducturos se post scelus peractum, sed, quasi Phaethon orbem terrarum, Corinthon et Isthmum crematura. At versu 39 intelligit : Restat, ut ego quoque his nuptiis aliquid solennitatis addam et efficiam, ut sint celebriores mea vindicta. Denique *per viscera quære supplicio viam* est : vel peri, dum perdas. Ut Clytæmnestra in Agamemnone : « per tuum, si aliter nequit, Latus exigatur ensis, et perimat duos. » Tantum intelligit persona, quæ loquitur. Sed poeta, observans vim naturæ et animi in præsagiendo, quod instat, ejusmodi verbis hanc mentem ejus explicat, quæ etiam significare possint, quod illa, postquam deliberaverit, et explorata habebit consilia, peractura est. »

36. *Committet*. MSS. omnes fere, Ægid. et Grut. *committat*.

39. *Victimas*. Plerique MSS. *victimam*.

48. *Gravior exs. d.* MS. 8260, *gravis*.

52. *Narrentur*. MS. 6377, *narratur*.

53. *Linquis*. Ægid. et Commel. *linques*.

55. *Quæ sc. parta e. sc. linquenda est d.* MSS. fere omnes, *pacta est;* alii pro *linquenda est*, dant *linquetur*, vel *linquatur*.

62. *Asperi*. MS. 8035, *aspere*.

71. *Et tu, quæ*. MS. 8055, errore manifesto, *et tu qui*.

77. *Et quas Taygeti jugis Exercet*, etc. Grut. *Et quæ Tayg. j. Exercent;* et addit : « retinui lectionem ed. Fabricii, propugnante eam tota familia cod. Pal. Non male quidem retro vulgati, *Et quas Tayg. j. Exercent*, nisi nostram defenderet locus infra, v. 214. »

82. *Si forma velit*, etc. Eo ordine hi versus leguntur in omnibus codd. tam scriptis, quam impressis; quem ordinem quum nulla de causa mutatum cuperet Delrius, ut legeretur : Si forma velit adspici, Cedent Æsonio duci, » ne recte quidem verba ejus intelligentem traxit Gronovium, quum præsertim sic legi in Florentino perperam existimaret. Both.

90. *Sic, sic*. MS. 8035, *si, sic*.

92. *Vir l. ut superat viros*. Lips. Commel. et Grut. *Vir longe superet v.* Nos vulgatam retinnimus; nam formam Jasonis ita laudat, ut conjugem ei forma comparem optet.

93. *Femineo*. Plerique MSS. *virgineo*.

94. *Prænitet*. Omnes fere MSS. *præminet :* in uno codice 6377, versus sic legitur, *Unius fac. præmium omnibus*. Absurde, absque sensu.

95. *Sidereus*. MSS. *sideribus*.

97. *Quum Phœbe solidum l. non s.* MS. 8035, « Quum solitum l. non suo Phœbe. »

105. *F. Æoliam corripe virg.* MSS. omnes fere et Ægid. *Felix Aoniam prendito virg.*

106. *N. pr. soceris, sponse, vol.* Scalig. et Grut. « Nunc pr. soceris sponte volentibus. »

109. *Justa licentia.* Proba lect. *justo.* Lucian. in Cronosolone ex emendatione Guyeti : σκώπτειν ἐξέστω, ἤν τις ἐθέλῃ.

111. *Succendere pinum.* Grut. *succendite pinum.* « Vere reprehenduntur a Delrio, qui substitutum eunt *spinum* : cujus rationibus addatur licet, a voce tali abhorrere figuram versus; neque enim usquam fere Seneca syllabam corripit quæ præcedit *st*, *sp*, *sc*, etc. quod semel dictum semper meminerit juventus et imitetur. »

115. *Nubit fugitiva marito.* Plerique codices *fugitura.* Tuemur *fugitiva*, tanquam invidiose dictum pro exsule, profuga. Sic Turnus apud Virgilium Ænean *desertorem Asiæ* vocat, Æn. XII, v. 15, ubi vid. Heyn.

117. *Vix adhuc, credo m.* MS. 8260, « vix adh. condo mal. »

123. *Mente vesona.* Plerique MSS. exhibent, « mente non sana. »

125. *In hanc Ferrum exigotur.* Heinsius malebat *per hanc.* Sed idem Seneca, Consolat. ad Marc. 16, « tela, quæ in Scipiones, Scipionumque patres et filios exegit. »

129. *Parandum.* Both. præfert *patrandum.*

132. *Ingestum patri.* Commel. et Grut. « incestum patri. »

135. *At nullum*, etc. Pall. quoque et Caj. Ascens. *et nullum.* Mox *munus suum* vocat Jasonis vitam ab se servatam, neque hilum novandum est, ut volunt viri summi. Both.

137. *Arbitrii.* MS. 8035, *arbiter.*

146. *Petatur solus hic; pœnas l.* MS. 8029, « petatur s. ut pœnas. »

152. *Mutus on.* MSS. omnes, Comm. Scal. Grut. et Ægid. *motus.*

156. Hic versus a vetustioribus MSS. abest.

160. *Tunc est proband.* Pall. novem una quasi lingua, *Nunc est.* Nec hoc, nec illud arridet, ait Gruterus. Certe *tunc* incommode applicatur sequenti *si;* et aut omnia me fallunt, aut vox *probanda*, aut alia quæ sincerior, nunc exsul, respicit magis ad *fortunam* quam ad *virtutem.*

173. *Forsan.* Plerique MSS. et Ægid. *forsitan.*

175. *Apturi decet.* Hic *optari*, monente Wakefieldo, Silv. Crit. I; pag. 33, eleganter pro *te aptore* ponitur, ad normam mediæ vocis Græcorum.

180. *Nondum m. exportat.* Ita vett. edd. Vulgo hæc interrogantur, præter necessitatem. Cruserianus MS. *reportat*, ut *recedens*, inf. vs. 282, monente Isacio Pontano. Both.

190. *Vade veloci via.* Non *via*, ut vulgo, sed *fuga* est in Florentino, ut monet Jac. Gronov. in schedis Dietz. Recte, et ex more Nostri, cujus moris ignari alterum subdiderint. Sequente versu Fabricii MS. « Monstrum superbum, horribile. » Both.

197. *I, quærere Colchis.* Sic libb. vett. et MSS. omnes. Sed Comm. « I, quære Colchos. » — *Ferat*, auferat, avehat. Simplex pro composito. Virgilius : « Omnia fert ætas. » Lucan. II, vs. 461 : « .. dubiamque fidem fortuna ferebat. » BOTH.

198. *Vox constituto*, etc. MSS. omnes et Interpres vetus, « Nox constituto sera, » id est, ultima venit, ultra quam hic hærere non potes. Quæ quidem interpretatio, ait Commelinus, mihi nequaquam satisfacit : volebat enim Creon, ut statim discederet Medea; et donum, vs. 295, « Unum parando impetrat exsilio diem. » Prior lectio apertior, q. d. expostulatio illa tua sera venit, jam lata sententia.

201. *Auditus a te Pelia*, etc. Gron. « Cur, inquit, *auditus a te?* Neque enim periit Pelia, quia auditus est a Medea, sed quia audiit Medeam, et supplicem recepit. Utrum igitur *auditor?* Apollonius Rhodius ad Apoll. IV, 1706 : τύνη δὲ κατ' οὐρανοῦ ἵκεο πέτρας Ῥίμφα Μελαντείους ἀριήκοος. An *auditus* vult, ipsum Peliam orantem, ut sibi mutaret ætatem Medea, ab ea audiri et ab exorata simulate interfectum ? Hoc non dicit fabula, sed ipsam quasi supplicem audisse ac suscepisse. Numquid : « Audiit, et a te Pelia supplicium tulit. » « Hi motus animorum atque hæc exordia tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescent. » Ascensianam edit. inspexisset vir doctissimus, nihil mutandum esse intellexisset : nam ibi hæc est interrogatio, ut esse debet. Audiri vult Medea; cui Creon : Num tu audisti Pelian, antequam punires? Sic interpretando V. D. anonym. in Obss. misc. tom. I, pag. 73, difficultates a Gronovio motas repulit, per ironiam : quasi tu audieris Pelian pro se dicentem, antequam interficeres. Nihil planius. BOTH.

204. *Putet.* Pro *putet* omnes MSS. et Ægid. ponunt *caput.* Quid sibi vult ista lectio?

210. *Deduxi.* MS. 8028, *eduxi.*

214. *Quidquid exercet cohors.* Gronovius *exterret* edidit, Florentinum sequutus. Non enim Amazones rus exercuisse. Sed usus verbi latius patet. Avienus in Periegesi, vs. 858 : « ... longas *exercet* Sarmata silvas. » Ubi Wernsdorfius : « Nullum dubium est, verbum *exercere* poetis idem esse ac crebro usurpare et frequentare, ac de omni usu, actione et ratione vitæ adhiberi, intelligendumque esse pro adjuncti ratione. Itaque etsi frequentissimum est « exercere terram, arva, solum » de agricultione, ut vs. 461, 1023 : non minus tamen recte et usitate dicitur *exercere silvas*, de assiduo in silvis discursu, labore, venatu, habitatione, pastione, alioque actu vitæ : quomodo de Massylis Noster, sup. vs. 284 : « nunc silvas inter oberrant Conjugibus natisque simul. » Proprie quidem res et rationes exercentur, sed poeta etiam locum et tempus, quibus res aguntur, exerceri dicit.

218. *Proci.* MS. 8260, *viri.*

226. *Græciæ.* Dant omnes MSS. *gloriæ.*

236. *Inc. n. et cuncta flagitia.* Sane bene, ait Lipsius : tamen in vet. cod. est *cuncta flamina :* quid si *fulmina ?* haud improbe de regiis istis minis.

242. *Fortuna causam quæ volet.* Sic recte Flor. Alii, *qua volet.*

248. *Præsidis dextræ.* Inepte præses dextra dicitur. Florent. « dextra petii » solemni more supplicantium. Herc. Fur. vs. 1005 : « Scelus nefandum, triste, et aspectu horridum, Dextra precante rapuit. » Troad. vs. 693 : « ad genus accido Supplex, Ulysse, quamque nullius pedes Novere dextram, pedibus admoveo tuis. » Plura Drackenborch. ad Sil. Ital. II, vs. 413, « præsidis fidem petii, » id est, in fidem tuam et tutelam me reciperes, obtestata sum.

252. *Violenter geram.* MS. 8028, « viol. regam. »

253. *Miserias.* MS. 8035, *miseras*, sine sensu.

256. *Quippe te pœnæ.* MS. 8260, « quippe te igne. »

265. *Proculque vest.* Sic plerique MSS. Ortelii, Paris. et Basil. At vero Lips. Rapheleng. et Commel. dant, « prorsusque vest. » — Pro *vestro*, MS. 8260, *nostro.*

277. *Fugam, rapinasque.* MS. 8035, « Fugiam rapinas. »

278. *Novas Docet mar. conjuges.* Commel. « novam Docet maritus conjugem. »

293. *Parumne*, etc. Libri : « *Parumne* miseræ *temporis* lacrimis negas? » quod ne latinum quidem est : nam *parum* significat *non satis.* Res nota. Similiter Hercul. Oet. vs. 812, ne numeris quidem rectis : « parum sui Pœnæ reliquit; » ubi liber quidam Delrii, *paulum;* sed rectius Florent. *parvum sui.* Both.

297. *Et ipsa propero.* Ad h. v. Raphel. « Ortelii optimus codex verba hæc : *Et ipsa propera*, Medeæ, ut et præcedentem versum, sequentia Creonti tribuit : optime, meo judicio; juvante modo emendatiuncula, ut scribatur, *Et ipsa propero.* Petierat Medea aliquantum moræ parando exsilio : diem unum concessit Creo : tum illa : Nimium, inquit, tribuis, quum in rem meam etiam sit fugam accelerare. »

305. *Dubioque s. æquora cursu.* Sunt qui *curru* legant. Ita quidem Catull. Carm. LXIV, 9 : « Ipsa levi fecit volitantem flamine *currum.* » Sed *dubius* haud dubie melius convenit *cursui*, quam *currui.*

308. *N. grac. l. ducto.* Libri : *ducto;* nec dubium, quin dici possit *ducere limitem*, ut *ducere iter*, Thyest. 785. Sed minus id sententiæ convenit : nam limitem aliquem valde gracilem ductum esse inter vitæ mortisque vias, quid id ad nautam primum, nisi is eo limite *ducatur?* Nam poterat eum limitem non ingredi, poterat e longinquo tutus adspicere, memor istorum Lucretii :

> Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
> E terra magnum alterius spectare laborem.

Sed sane tam angusta eum et periculosa via incessisse dicit Noster. Legendum igitur *ductus*, cujus verbi compendium, τῷ *ducto* non dissimile, fraudi fuerit librariis. Virgilius, Æn. IX, 324 : « lato te limite ducam. » Infra, vs. 341, de Argo : « Per tam longos *Ducta* timores. » Both.

311. *Nondum pluvias.* MSS. omnes, *Plyadas*; Grut. *Pleiadas*; Scalig. *Pleiades.*

313. *Lumina capræ.* Aliquot libri, *sidera cap.* Flor. bene restituit *lumina.* Noster, Thyest. 794: « Nondum seræ nuntius horæ Nocturna vocat *lumina* vesper. » Stat. Theb. III, 63: « ...noctis vaga *lumina* testur. »

315. *Arctica t. pl. Bootes.* Heinsius ad h. l. « *Arctica* pro Arctoa non legi, nisi apud posterioris ævi scriptores: et sane Flor. *Attica*, quod verum est. *Bootes* enim nonnullis veterum astrologorum Icarius Atheniensis, ut ex Arati Scholiaste liquet, et ex Hygino. Hinc et *Actæus Bootes* apud Valer. Flacc. II, vs. 68. » Vulgatæ tamen maluimus adhærescere.

317. *Habebant.* Commel. *habent.*

331. *Piger.* Id est, pigre, raro, et in sequentibus *Patrioque* positum pro *Sed patrio*, ut usurpari in utraque lingua solet conjunctio. Vid. J. M. Heusinger. ad Corn. Nepot. IV, 3, 7, et Phædri Fab. I, 3, 2. Fallitur interpres. Mox quod præferunt libri: « spargeret astra Nubesque ipsas mare deprensum, » vix caret vitio: nam si *astra* sparsit mare, quidni *nubes*? Et ut istas quoque commemorare voluerit poeta, cur dicit *ipsas* nubes, quasi plus sit nubes spargere, quam astra, quum contra sit? His inductus ego rationibus reponam *Rupesque* ipsas, id est ipsas insulas Cyaneas, quas *scopulos* vocat infra 611, et de quibus Herc. Fur. 1212:

> ....quumque revocata vice
> In se coibunt, saxaque in cælum exprimunt
> Actis utrinque rupibus medium mare.

Sæpe *r* et *n*, *p* et *b* literæ sibi invicem offecerunt; ipsaque vox *rupes* non semel depravata est, velut Ovid. Met. XIII, 868, ubi vid. Nic. Heinsius. Both.

335. *Dissepti.* Comm. *dissecti.* « Edd. aliæ, ait Gruterus, *dissecti*; nec probo: utique quum pro nostra stent item obsoletæ impressiones. »

345. *Deprensum.* In uno Palatino, *depressum.*

368. *Quæl. altum cymba.* MS. 8260, « quælibet altum silva perrerat. »

369. *Term. omnis motus, et urbes.* MS. 8260, « term. motus et urbes: » sublato *omnis.*

370. *Muros terra posuere nova.* Aliquot MSS. *novos* pro *nova.*

380. *Alumna, celerem.* MS. 8260, « Alumna, quo rap. t. p. » — *Rapis tectis p.* MS. 8035, « e tectis pedem. »

384. *Pindi nivalis.* MSS. fere omnes, « Piodi jugalis. »

388. *Proclamat: oculos uberi fletu r.* MSS. omnes cum Lips. Commel. et Grut. exhibent: « Proclamat: o Superi! oculos, etc. » Addit Grut. Insuavis lectio, quam tamen haud muto, quod conservent Pall. octo, uonsque tantum adhæreat Lipsianis membranis: « Proclamat, oculos uberi fletu rigat: » quam cur quidem habeant priore languidiorem, nihil exputo: nam, meo sane animo, nihil alia putidius: neque sic loquuntur poetæ. Vulgatam tamen retinuimus, ut sensu aptiorem.

389. *Renidet : omnis specimen affectus capit.* MS. hunc versum sic mutatum præbet : « Retinet : minatur, æstuat, queritur, gemit. » — *Omnis sp. aff. capit.* Heinsius malebat : « omne specimen affectus. » Omnigenos tamen affectus proxime memoravit nutrix : « oculos uberi fletu rigat, renidet, hæret, minatur, etc. » Similis autem locutio apud Apuleium, Metam. V, p. 102.

391. *Quo pondus animi verg.* MSS. omnes, « Quo pondus istud verget? »

392. *Ubi se iste fluctus franget? exund. furor.* MS. 8035, « Ubi se iste furor : fluct. frang. » Sine dubio vitiose.

397. *Si quæris odio, mis.* etc. Male hunc locum interpunxit Gruterus, virgula tantum posita post *modum.* Ad hunc locum notat : « Non sunt, inquit, hæc extendenda ad alium *amorem* quam unius Medeæ. Itaque supervacue illi, qui vim *amoris* pluribus isto loco nobis stabiliunt. Dicit enim : Ita extremo odio habendum Jasonem, quemadmodum amarat : nam ibi divina et humana confudit monstrum istud. » Nimis sane ingeniosa interpretatio.

408. *Ausonium mare.* MSS. omnes, « Ionium mare. »

410. *Fervescit.* Lips. Commel. et Grut. *fervebit.* Alii, *fervescet.*

415. *Bella Thessalici duc.* Nostram sequitur lectionem Grut. et addit : « Introduxi interrogationem, tanquam Jasonis purgationem et promat simul et refellat Medea. »

417. *Sed cesserit coactus.* MSS. fere omnes, « Sed cessarit convictus. » Aliqui, *cesserit.* Solus MS. 8026 dat, « Sed cessere convict. » Abest hic versus a MS. 8036.

437. *Non timor vincit virum.* Aliquot codd. Delr. *vicit*, probante quidem Raphel. Sed Gruterus : « Mihi, inquit, istud placet : ut ostendat se non tantum eo animo dudum, sed etiam nunc. » Quamquam sic et infra, « Nati patrem vicere. » Ibi igitur se victum dicit Jason, hic vinci : quod non placet, siquidem eodem hæc tempore aguntur. Both.

441. *Nati patrem vicere : quin i. quoque.* MS. 8055 : « Nati patrem vicerunt. » MS. 8026, « Nati patrem vincent. »

442. *Etsi ferox est.* MS. 8055, « Etsi ferox es. »

451. *Remittis.* MS. 8055, *dimittis.*

452. *Quæque fraternus cruor.* Janus Douza filius putabat erigi sententiam, si rescriberetur *Quæve* : at ita deprimitur : pendet enim a priore, « Patriumque regnum. »

455. *Per quas revexi nobiles regum manus.* Scalig. et Florent. « nobilem regum manum. » Ad hunc locum Gronovius : « Fingebam in illo *nobiles regum manus* aliquid magis conveniens Argonautis : nam manuariam operam præstabant ipsi reges, remigum officia fungendo. *Manus* autem dici ministros notavimus ad Statii Silvas. » Affectatum tamen hoc videtur, ut potius pluralem numerum pro singulari usurpatum existimemus.

465. *Ingratum caput!* MSS. complures et Delr. Fern. Caj. Ascens. *o ingratum!* synalœphe Plauto atque Terentio minime usitata, ut Bacch.

716, et Andr. 373. Bothius vellet reponi per ironiam, « o gratum caput! » ut « o justissime Divum », apud Stat. Theb. I, 250.

468. *Armifero in arvo.* Nihil opus est Heinsii conjectura, *Armiparo.* Claudianus enim, XXI, vs. 324, de Spartis verba faciens : « *Armifer* et viridi floreret milite *sulcus.* »

472. *Samnoque jussum.* Heinsius conjicit *passum.* Sed *jubere* potentiam declarat veneficæ. Ovid. Remed. Am. vs. 253 : « Me duce nou tumulo prodire *jubebitur* nmbra. » Ubi Burmannum vide.

475. *Jussasque natas fr.* MS. 8033, *nautas* sine dubio pro *natas* vitiose præbet. Heinsius malit *Ausas* pro *Jussas.* At sic loquutus est Ovid. Met. VII, vs. 331, in hac re : « Intrarunt jussæ cum Colchide limina natæ. » Et similiter Diodorus Siculus, IV, 51 : διόπερ τοῦ Πελίου ταῖς θυγατράσι διαῤῥήδην εἰπόντος πάντα πράττειν, ὅσα ἂν ἡ Μήδεια προςάττῃ περὶ τὸ σῶμα τοῦ πατρὸς, τὰς μὲν παρθένους, ἑτοίμους οὔσας τὸ κελευόμενον ἐπιτελεῖν, κ. τ. λ.

477. *Aliena quærens regna.* MSS. omnes, « Aliena sequens regna. » Commel. et Scalig. *Alienaque seq.* Hanc lectionem profert quoque Lips. et addit : Fortius multo scripseris et interrogando extuleris : « Aliena sequeris regna? deserui mea. » Idque probum est. Tune, o Jason, dicit Medea, alieno regno immines, ideoque me deseris? At ego, tua causa, proprium deserui.

484. *Petunt.* Florent. *agunt*, teste Heinsio ad Ovid. Trist. IV, 1, 82 : non deterius *petunt.* Idem, in Ibin, vs. 20 : « Hic prædam medio raptor ab igne *petit.* »

485. *Quas quia referta vix.* MS. 8035, « Quasque referta vix domus gaza capit. » MS. 8260, « Quasque ref. vix domus earas capit. » Comm. *referta quasque*, et addit : « MS. uno consensu omnes, *quasque refecta* : quid si *que* enclitica, ut apud Græcos τε, producatur? Sed exemplum apud Latinos desidero : ultima in *cuique* non raro apud Prudentium producitur, mihi veterem repræsentasse scripturam sufficiet. » In edd. nonnullis, *Et quas ref.*

487. *Impendi tibi.* MS. 8035, *impendi mihi.*

492. *P. putabam; munus, ut video.* MS. 8260, « Pœnam putab. mitis ut video. »

496. *Medea amores obicit?* Commel. Scalig. et Grut. reponunt *obicis*, et reprehendunt *obicit*, ut ἐμφατικώτερον.

507. *Abdico, ejuro, abnuo.* Hæc est lectio omnium MSS. quam sequuntur quoque Gruter. et Fabric. Solus Commel. « abdico, abjuro. » MS. 8035, « abdico, ejure, abuuo. »

509. *Exsulum, affl.* MS. 8035, « exsilium affl. »

510. *Non veniat.* MS. 8029, *Non veniet.*

513. *In exitium trahis.* Sic Commel. Aliquot MSS. « in exsilium tr. »

515. *Quid facere possim*, etc. MSS. fere omnes, « quid facere possum. » Ad hunc locum Scal. « In omnibus his decem tragœdiis non est locus contaminatior, intricatior, obscurior, quem frustra, qui ita ut

hodie legitur, postulet se intelligere. Totum vitium est in interpunctionibus, quas ita restituo :

> JAS. Quid facere possim, eloquere : pro me vel scelus.
> Hinc rex et illinc : est et his major metus,
> Medea. MED. Nos colligere, certemus, sine,
> Sit pretium Iason.

Primum rogat Jasonem, ut sibi indulgeat eam moram quam jam concessit supplici Creon. Jason negat se posse facere. Quominus id possit, allegat omnia quæ contra illam et pro se faciunt. Primum scelus, h. e. suspicio sceleris, a quo nunquam eam abstinere posse certum est. Deinde duo potentes reges imminentes, Acastus a Thessalis, a Corinthiis Creon, et his omnibus alia magis metuenda quæ dicere compendii facit. Illa, hoc metuis, Jason ? quietus esto; hoc metu te libero, concede hanc moram, in qua tantisper colligere possim me, ut certemus ego et illi reges. Jason in medio positus, pro quo certabitur, erit pretium victoriæ. Qui aliquo judicio sunt, hanc veram hujus loci sententiam esse dicent. »

517. *Nos conflige : certemus*, etc. Ald. habet *confligere;* unde Gronovius : « Nos confligere inter nos sine. » Sed hoc ambiguum, ut in quo et Medeæ cum Jasone nescio quod certamen intelligas. Nec tamen melius quidquam ex ista lectione erui posse puto; nisi forte hoc malis, quod aliquando in mentem veniebat : « Nos confligere, et inermas, sine, » id est : et quidem inermas, sola vi incantationum. Nam quæ alii : « neu conflige, nos colligere, nos confligere certamen sine, etc. » cuinam placeant? Videndum igitur de Palatinorum unius codicum MSS. et quorumdam typis descriptorum lectione *confugere*, quæ lectio primo statim adspectu placet, nisi quod in præpositione erratum esse manifestum est. Legam equidem vel : « Nosne (aut *Nos*) aufugere? » vel « Nos, nos fugere ? » quæ sunt indignantis, ut, quod infra legitur 881 : « Egon' ut recedam? » Virgilius prima Æneide : « Mene incepto desistere victam? Quodsi cui posterius horum placebit, is altero *noc* forte verso exortum dicat *con*, quomodo errari nonnunquam in libris vett. monui in Vindiciis Ovid. ad Met. XV, 364. Sed prius quoque bene se habet, neque vulgatæ scripturæ valde est dissimile. Ne dicam, fieri potuisse, *aufligere* scriptum forte pro *aufugere*, quum sensu cassum esset, neque conveniret *affligere*, ut etiam data opera mutaretur, scribereturque non a librario, sed a correctore, *confligere*. Both.

520. *Infra me*. Sic Florentinus, monente Heinsio ad Ov. Trist. III, 4, 25, estque melius eo, quod vulgo editur, *intra me*. Claudianus, XXXI, vs. 60, de Celerino :

> Tum purpura primum
> Inferior virtute fuit, meruitque repulsam
> Obvia majestas. Doluit Fortuna minorem
> Se concessa viro.

Conf. et Velleius, II, 35, 2, de Catone. Baden.

523. *Nec ut te cæde.* MS. 8035, « nec ut cæde. »

530. *Longa colloquia.* MS. 8029, « longa eloquia. »

535. *Vel me, vel istum.* MSS. fere omnes, « In me vel istum. » Solus 8025, « In me vel in istum. »

545. *Possim pati.* Solus inter omnes Commel. « possum pati. »

549. *Sic natos amat?* MSS. 8260, 6377, cum Raphel. « si hic natos amat? »

550. *Bene est : tenetur.* In MS. 8260 omittitur *tenetur.*

553. *Gratum est et illud.* Ad h. v. observat Lips. « quo enim illud, *gratum est*, referas? ausim scribere : *Ratum est?* cum interrogatoria nota. Liberos inprimis apud se tenere cupienter cupiebat Medea, materiem futuro sceleri, et quum blande id peteret, jamque ille annueret : Ergo ne hoc ratum est, inquit : esto. Etiam hoc amplius peto, etc.

555. *Melioris tibi.* Dant omnes MSS. *melior tibi.*

556. *Memoria nostri subeat. Sedeat* in Florentino legi notat Heinsius, Advers. I, c. 17. Sed alterum blandius, et sic Livius, XL, 8, in oratione Philippi ad filios : « Sed interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse : etiam hostes, armis positis, fœdus icisse, et privatas multorum simultates finitas : subituram vobis aliquando germanitatis memoriam. » Baden.

558. *Precorque, et ipsa*, etc. MS. 8036, « Precorque ipse fervidam mentem regas. » Commel. *et ipse* pro *et ipsa* reponit.

559. *Miserias lenit.* MS. 8055, « miserias levat. »

561. *Et tot m. facinorum? exc. tibi?* Notas interrogatorias supprimit Commel.

566. *Quidquam timere.* MS. 8055, « Fraudem timere. »

570 sq. *Est palla nobis... pignus Æetæ datum.* MS. 8029, « Est palla nobis... animus Æetæ datum. »

572. *A Sole generis.* MS. 8035, « A Sole generi. »

576. *Sed ante diris illita ac tincta artibus.* Illud *tincta*, observat Gruterus, videri queat a mala manu. Certe Scholiastes id adhibuit ceu interpretamentum alterius *illita.* Libri tamen non dissentiunt scripturæ, nisi quod sit in uno, *et tracta.*

578. *Statuantur.* MSS. 8260, 8035, *Struantur.*

585. *Junctos vetat esse pontes.* Arridet Grutero *vinctos*, quod in nonnullis MSS. exstare prodidit Delrius.

593. *Cupit ire in ipsos.* MS. 8028, « cupit ire præceps. »

595. *Parcite, o Divi.* MS. 8035, « Parcite, Divi. »

596. *Vivat ut.* MS. 8035, « Vivat et. »

599. *Agitare.* MSS. quidam Delrii, *rogitare.*

604. *Qua tutum populo.* Vir doctus in ora editionis Fabricianæ corrigit *tritum.* Scilicet non meminerat ὁδὸν θαῤῥαλεωτάτην εἶναι τὴν συνηθεστάτην, ut ait Lucianus in Demosthenis Encomio, cap. 22.

605. *Rumpe nec sacro, violente, sancta Fœdera mundi.* Gruterus ex aliquot suis : « nec sancti, violente, mundi Fœdera sancta. » Sed Gro-

novius : Mnlto, inquit, major venustas in Florentino : « Rumpe nec sacro, violente, sancta Fœdera mundi, » per diæresin pudenter audacem.

606. *Fœdera mundi.* Plerique MSS. » Fœdera sacra. »

608. *Nobiles remos.* Sic Commel. et Gruter. At MSS. veteres et olim editi, *ramos;* quod minime absurdum est : nam *ramos* pro arbore, unde Argo fabricata. — *Nemorisque sacri.* MS. 6377, « nemoris sacrati. »

611. *Et tot emensus.* MSS. 8035, 8031, « Et tot emersus. »

619. *Litore externo.* Mognntiacus codex, qni inter præstantissimos, *Litore extremo*, non *externo*, nt vulgo, qnemadmodum *exterior orbis* et *extremum cælum atque ultimum mundi* leguntur apnd Ciceronem, similiaque passim apud alios. *Externo* litore occidisse, qui *procul a paternis regnis*, per se intelligitur. Both.

622. *Aulis amissi memor inde regis.* MSS. 8028, 8029, 8260, 6377, etc. » Anris amissæ. » MS. 8026, contorto sensn, « Vetus amissæ memor inde regit. » MS. 8031, « Auris amissæ memor Mydæ regis. » Gronovins, defendens poetam contra Dan. Heinsium, vehementer hic turbantem : « Aulis, inquit, ex quo morata est Græcos Trojam petentes, infamatur pro mala statione navium. Lncan. igitur lib. V, *ad iniquam classibus Aulin.* Id fingit eleganter non tum primo contraxisse crimen illnm portnm, sed statim post expeditionem Argonautarum, quod inter illos regem suum navigantem perdiderit; sive ille designetur Tiphys (nam hujns qnoque agnoscit *paterna regna*), sive Erginus : nterque enim Bœotus, et in Bœotia Aulis. Neque quærendnm, an aliqnis prodiderit, ob regis Orchomenii vel Bœoti mortem detentum fuisse Agamemnonem. Hujusmodi enim causas fingere poetæ cuivis licet; atque boc est illud concessum vatibus laudatumque παραλεγίζεσθαι. »

628. *Cui suo cantu.* MS. 8035, « tum suo cantu. »

631. *At caput tristi fluitavit Hebro.* Mire variant lectiones ad bunc locum, MSS. 8032, 8033, » ad caput tractus furialis Ebri. » MS. 8260, « Flnviatur Eber. » Alii MSS. cnm Commel. et Lipsio, « ad c. tr. fluvialis Ebri. » Observat ad hunc vers. Baden. recte ita rescriptum pro : « Ad caput tractus fluvialis Hebri. » Silius, XI, vs. 480, de eodem :

> Tulit ora revulsa
> In pontnm, ripis utrinque sequentibus, Hebrus.
> Tum qnoque, quum rapidi caput a cervice recisum, etc.

636. *Sumere innumeras sol. figuras.* Burmann. ad Propert. IV, 2, 47, *inversas* reponendum arbitratur. *Innumeras* enim Sappbici versus legibus repugnare. Sed istam legem, ut secundo loco solus ponatur spondeus, passim in his tragœdiis migrari cernas. OEdip. vs. 412 : « Te caput Tyria cohibere mitra. » Et vs. 477 : « Sidus Arcadium, geminumque plaustrum. » Troad. vs. 836 : « An ferax varii lapidis Carystos. » Agam. vs. 614 : « Ut quondam Herculea cecidit pharetra ». Et vs. 855 : « Audivit sonitum crepitante lamna. » Quæ omnia loca corrigere temerarium

esset. Commode vero Burmannus comparavit illud Ovidii, Met. XII, 557, de eodem :

> Cui posse figuras
> Sumere, quas vellet, rursusque reponere sumtas,
> Neptunus dederat. Baden.

641. *Gemini cruoris*. MS. 8028, « gemitu cruoris; » absurde absque sensu positum.

645. *Morerisque dextra*. MS. 8055, « Morierisque dextra. » Plerique alii, « moriensque dextra. »

647. *Morte quod crimen*, etc. « Sunt qui transponunt versus, ait Gruterus, e vestigiis codd. veterum; mihi non videtur necesse : vulgatis profecto adsentiuntur Pall. omnes : nec repugnat vis argumentationis, quæ auguratur a nemine audaciorum periculosum illud mare superatum iri sine malo; quum ne innocens quidem puer perniciem evaserit, navigationis tamquam assecla. »

651. *Fonte timendo*. MSS. omnes, « sorte timendo. »

653. *Condidit : serp. Libycis*, etc. Grut. exhibet : « condidit serpens Libycis arenis, » et addit : « Interpunctio hæc mordicus retinenda, contra Cælium Rhodiginum, et traduces ejus : ii enim, *condidit : serpens Libycis arenis, omnibus*, etc. ut *serpens* hic accommodetur *Mopso*, tanquam participium : qua constructione admissa, durius fuerit illud : *sors condidit Idmonem*, etc. »

657. *Exsul erravit Thetidis maritus. Erravit*, *cadit*, *pependit*, *impendit* in *errabit*, *cadet*, *pendet*, *impendet* mutavit Gruterus, immemor, vates de futuris tanquam præsentibus et præteritis loqui. Sic apud Horatium, Epod. XIII, vs. 13, Chiron :

> Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
> Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
> Unde tibi reditum certo subtemine Parcæ
> Rupere; nec mater domum cærula te revehet, etc.

Apud Virgilium, Æn. VII, vs. 98, oraculum Fauni : « Externi veniunt generi. » Ovidius, Heroid. V, vs. 117, in vaticinio Cassandræ : « Graia juvenca venit. » Et Metam. II, vs. 646, in alio vaticinio :

> Animas tibi reddere ademtas
> Fas erit; idque semel Dis indignantibus ausus,
> Posse dare hoc iterum flamma prohiberis avita.

Ubi plura Burmannus, quem vide, et Hoogeeveniuм ad Vigeri libellum de Græcæ dictionis Idiotismis, pag. 205, ed. Zeun. — Ad hunc locum vehementer Gruterum collaudat Gronovius, quod reposuerit *errabit*, *cadet* pro vulgatis ante se *erravit*, *cadit*. At, præterquam quod cujusvis erat hoc videre, ubi res dicerentur vaticinatione quidem declaratæ, sed nondum ad exitum perductæ, sic plane Aldus; id quod et ipse nescivit Gruterus, ut illam editionem fere neglexerunt viri doctissimi, et

Delrius. Sed neque Ascensii satis adhibuisse Gronovins videtur : alioqui non dubitaret, nbi legeretur *ille qui* pro *ille si*, quam lectionem habent cæteræ edd. vett. sed priorem illam Badiana. Both.

659. *Nauplius præceps cadit*, etc. Sequitur, ait Fabricius, in hac stropha post octo versus unus Adonius, qnod fit idem in cæteris. Sublatis igitur superfluis dictionibus, extremam partem sic lego :

Nauplius præceps cadit, atque pendit
Crimine pœnas.

660. *Crimini pœnas patrio pependit*. MSS. vel *patrio pendit*, vel *patrioque pendit*. Nos Ascensianam editionem sequuti, veram lectionem in textu expressimus : » Crimini pœnas patrio pependit. » Latinum est, » pendere crimini pœnas, » non item « pendere crimine pœnas. » Hippolyto, vs. 937, « ... sceleribns pœnas dabis. » OEdip. vs. 937 : « ...Itane tam magnis breves, etc. » Ovid. Trist. V, 12, 48 : « Sic ego do pœnas artibus ipse meis. » *Patrio*, quia, ut ait Euripides in Alcmæone, VII : τὰ τῶν τεκόντων... μετέρχεται θεὸς μιάσματα · et Fragm. CXXXIII : τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους οἱ θεοὶ τρέπουσιν. Baden.

661. *Oileus*. Id est, Oilei filius, Ajax Locrus : neqne hilum mutandum, ut præclare ostendit Gronovins. Alius in hoc genere Græcorum loquendi mos, alius Romanorum. Virg. Æn. I, 41 : » Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei : » nam is quoque haud dubie voluit Ajacem Oileum, non Oilei, dure compositis duobus duorum nominum genitivis. Both.

671. *Immane*. MS. 8260, *Inhumane*.

673. *Vidi furentem*. MS. 8035, « Vidi sæpe fur. »

677. *Totas opes effudit*. *Effundit* legi vult Heinsius, quia sequitur *promit*. Sed enallagen hanc temporum poetis admodum familiarem esse, ostendit Gronovius ad Hippolyt. vs. 510. Baden.

680. *Comprecans*. MSS. plerique, *complicans*. Recte ad hunc locum notat Gronovius : Qui orabant ad aras Superûm, dextram solebant illis imponere. Ovidius : « Tange manu mensam, tangunt quo more precantes. » Inde finxit scite in scelesto sacro Medeam non dextram, sed sinistram aræ imponere ad precandos scilicet tristes ac lævos Deos. OEdip. 564 : « fundit et Bacchum manu Læva. » Stat. Thebaid. IV : « Lævaque convulsæ dedimns carchesia terræ. » Sic Agam. 392 : » Delubra et aras cælitum Supplex adoro. » Et ibid. v. 792 : *Veneremur aras*. Ovid. Fast. III, 881 :

Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.

Quæ loca protulit Clar. Schrœderus, dum pro vulgata librorum lectione *complicans* temere pugnat.

686. *Sera serpens*. Florent. *sæva*, id quod omnibus in serpentibus dici potest. Plinius enim « immitissimum animalium genus » serpentes vo-

cat, Nat. Hist. X, 96. Cæteri fere MSS. et cusi nostram recipiunt lectionem, *sera*, quod *annosa* interpretatur Gronovius, ut dicuntur quidem *serior ætas* et *seri anni* apud Tibullum et Ovidium; sed *seram* serpentem vel eam dicas, quæ sero advenit, vel quæ sero seu recens nata est; quorum illud a sententia loci alienum est, hoc minus solitum neque id quod lectioni Etruscæ anteponas. Sane non effœta serpente hic opus erat, sed vegeta et veneni plena. Mox libri: « Jam nunc tempus est: » sed Flor. « Jam tempus est, » omissa voce repetenda, ut vidit Gronovius. Вотн.

687. *Exsertat.* MS. 8260, *exercit.* MS. 8038, *extrahit.* Alii fere omnes, *exserit.*

692. *Jam nunc.* Ne cum Gronovio legas *jam jam.*

693. *Movere.* MSS. 8029, 8033, 8262 præbent *moliri.* Alii omnes, *moveri.*

701. *Et hydra*, etc. « Hæc, inquit Gronovius, non intelligenda de Hesperidum custode, neque de illis, quos infans elisit Hercules, ostendit sequenti versu adjectum: *cæde se reparans nova* (immo, *sua*), quod de sola hydra verum est, cujus et centum dracones agnoscit Hercules OEtæus. » At non de sola hydra Lernæa hoc dicitur, sed de omnibus serpentibus, quascumque occidit Hercules. Eas, quotquot fuere, hydram imitatas, cæde se sua reparare et sibi adesse jubet maga. Вотн.

704. *Sopite primum cantibus.* In MS. 8038 omittitur *primum*, legiturque *Sopite cantibus.*

706. *Congerit.* MS. 8260, *Contigit.*

710. *Et queis sagittas*, etc. Horum versuum posterior ante prægressum legitur in vulgatis libris, vitiose quidem, ut animadvertit Gronov. Cæterum Flor. *Parthi leves*, vulgus librorum *Parthus levis*, minus variata oratione. Mox Etruscus, monente Jacobo Gronovio in schedis Dietz. *Lucis Suesæ n. Hircaniis.* Fern. *hyrcaneis.* Mendose. Jac. Gronov. l. l. « Suevos fuisse vicinos Cheruscis in silva Hercynia prope Ubios, Tacitus auctor est, Annal. II, 44, ad quem locum vide Lips. item Ferrar. Elect. pag. 10, etc. » Вотн.

715. *Bruma decussit.* Recte *decussit* repositum pro *discussit.* Hercul. OEt. vs. 383: « sæva totas Bruma *decussit* comas. » Et Virgil. Georg. II, 404: « Frigidus et silvis Aquilo *decussit* honorem. »

718. *Tortis succus*, etc. Reponebat Heinsius *tritis*, immemor Ovidiano epitheto dici *tortis*; nam Metam. XI, vs. 70: « Quæ fecere nefas, *torta* radice ligavit. »

731. *Mortifera carpit*, etc. Mirari subit, quum jam præcesserint ista, vs. 717, « Quodcumque gramen, etc. » cur denuo subjungat: « Mortifera carpit gramina, » quæ ταυτολογία non est ferenda, nec dubitamus alterutrum locum esse interpolatum, qui et distinctione prava videtur laborare. Hunc locum sic legendum præbet Heinsius:

Illius alta nocte succisus frutex:
At hujus ungue secta cantato seges.

Mortifera partim gramina ac serpentium
Saniem exprimit miscetque: at obscœnas aves,
Mœstique cor bubonis, et raucæ strigis
Exsecta vivæ viscera: hæc scelerum artifex
Discreta ponit.

Ut hoc velit, inquit, Medeam expressisse simul succos ex graminibus mortiferis, ac miscuisse cum serpentum sanie: bubonum vero strigumque, et aliarum obscœnarum avium prosecta posuisse discreta. Baden.

740. *Comprecor.* MSS. omnes, *Vos, precor.*

746. *Gravior uni pœna sedeat.* Florentinus: « Gravior uni pœna sedeat, » quod recte probat Heinsius, itaque explicat, ut uni socero Jasonis, hoc est, Creonti, imprecetur omnes simul pœnas, quæ luuntur a variis apud Inferos. Ovidius in Ibidem, vs. 187:

> Noxia mille modis lacerabitur umbra; tuasque
> Æacus in pœnas ingeniosus erit.
> In te transcribet veterum tormenta reorum;
> Manibus antiquis causa quietis eris.

In his versibus (747-750) manifestus error librariorum, inquit Both. nam alios damnatorum apud Inferos, quum accurere jubeat Medea, et sibi opem ferre, ut gravior ipsorum pœna infligatur Creonti; alios vero (Sisyphum), qui hunc genere attingebant, abesse velit, ne opus suum interventu illorum impediatur: hæc duo diversa ita miscentur in vulgatis libris, ut, quid sibi velint, vix intelligas. Quare mirandum non est graviter labi in declarando loco VV. DD. etc.

747. *Sisyphum solvat.* Vulg. libb. et edd. *volvat:* cum Gronovio prætulimus *solvat*, id est, dimittat ab inani labore, ut ipse interpretatur. Thyest. vs. 64, Megæra ad Tantalum: « *liberum* dedimus diem, Tuamque ad istas *solvimus* mensas famem. » Conf. quoque Hipp. vs. 1235.

748. *Vos quoque, urnis quas foratis.* Fabricius legebat « Vosque, quas urnis foratis. » Hanc lectionem, quam præbent aliquot libri et editt. Paris. et Venet. etsi non sequantur, valde comprobant Raphel. et Grut. ut suaviorem et longe anteponendam.

754. *Nubibus siccis. Ropibus* malebat Heinsius. Apud Lucanum tamen, IV, vs. 331: « siccis vultus in nubibus hærent. » Quibus et *humentes* idem opponit *nebulas*, VI, vs. 468. Bad.

755. *Egique od imum.* Nostram tuetur lect. Grut. Sed edd. et aliquot MSS. cum Commel. dant *Egique ad imo;* quod acutum quidem, sed minime appositum nobis videtur.

760. *Æstivo tellus floruit.* Marklandus ad Stat. Silv. I, 3, 8, *floruit*, et sensu et oppositione absurdum putabat, emendabatque: « *Æstiva* tellus horruit cantu meo. » Ut *hiems* intelligatur de qua proprium est *horrere*. Sed ita bis idem dicitur. Nam *Ceres videns hibernam messem*, est autumnus in brumam versus. Nihil altero sanius. *Æstiva tellus floruit*, id

est, æstas facta est ver. Nam vere tellus floret, æstate contra defloret. Hippolyt. vs. 765 :

> prata novó vere decentia
> AEstatis calidæ despoliat vapor.

Lucret. VI, 258 : « Quum tempora se veris *florentia* pandunt. » Plin. Hist. Nat. XVI, 40 : « *Flos* est pleni veris indicium et anni renascentis. » Hinc Seneca *ver floriferum* vocat ŒEdip. vs. 649. Quintus Smyrnæus εἶαρ ἀνθεμόεν, II, 600. Confer in eamdem rem Anthol. Lat. tom. II, pag. 343 sqq. BADEN.

765 sq. *Sonuere fluctus, tumuit insanum mare Tacente vento.* Aliis aptius visum *Jacente vento*, vel « sonuit (aut adeo *tonuit*) insanum mare Tacente vento. » Unus MS. clare præfert *immane*.

766. *Nemoris antiqui domus.* Gronovio « nemoris antiquis decus » est silva eximia et antiqua. Nobis *nemoris decus*, ut pro frondibus arborum poetis frequentatum, *amisit umbram* sensu carere videtur : servavimus vulgat. *Nemoris ant. domus*, ut Hercul. Fur. vs. 239 : *nemoris opulenti domos.*

769. *Hyadesque nostris.* MS. 8035, *hyades meis.*

773. *Membra quæ discors tulit.* Heinsius ad Sabini Epist. I, vs. 35, scribit *dissors*, vultque sic vocatum esse Typhoeum, quod corpori humano pedes anguineos et centum brachia committeret. Sed alterum æque bene dicitur. Columella, VI, 36, 2, de equabus : « discordantem utero suo generis alieni stirpem insitam facile recipiat. » Lucretius, V, vs. 892 :

> Aut, rabidis canibus subcinctas, semimarinis
> Corporibus Scyllas, et cætera de genere horum,
> Inter se quorum discordia membra videmus.

775. *Sanguis.* Scal. *sanies.* Sed pariter syllabam posteriorem in *sanguis* produxerunt Virg. Tibull. et Ovid. Monuit et Gruterus.

786. *Sonuistis, aræ.* Vulgo ante Gronovium : « Sonuistis, aræ : tripodas, etc. » Sed Florent. *Sonuistis á, í*, in quo agnoscere sibi visus est vir summus lugubre illud Græcorum αἶ, αἶ, quod νεκρῶν ἴαχχον vocat Chorus in Euripidis Troadibus. « Notum, inquit, αἶ λίνον (immo αἴλινος ᾠδή). Ovid. Metam. X :

> Ipse suos gemitus foliis inscribit, et αἶ αἶ
> Flos habet inscriptum.

Cum dicto *sonuistis* auditur post aulæa resonans αἶ αἶ vel αἶ αἶ. Hæc vox, subjicit illa, tam certum mihi signum est faventium Deorum, quos adoro, quam motus sonitusque tripodum Apollinem venerantibus. » Sic ille, et recte quidem de cæteris, nisi quod istis literis significari τὸ αἶ αἶ nondum adducor ut credam, quum nemo nesciat, *a* literam sæpe *ab* indicare in codd. (qua de re vide, quos laudat Basil. Faber in Thes.

erudit. schol. h. v.); τὸ *e* vero eum apice valet *est*, cui non ita dissimile *et* conjunctionis compendium, ut videre est Chronici Gottwic. I, p. 50, etc. Cur igitur græcam vocem obtrudamus latinæ tragœdiæ? nam in comœdia locum haberet, et feliciter ita ludit Plautus. Locupletiorem igitur testem istius scripturæ, quam dedit Gronovius, exspecto, interimque vel legam, secundum Flor. « Sonuistis, *ah*, *et* tripodas, etc. » ut Inferos compellet cum fragore ac fremitu appropinquantes, et Hecates canes, ut placet Delrio, de quibus canibus cf. infra 843, OEdip. 567; vel potius servem cæterorum omnium librorum lectionem hanc: « Sonuistis, aræ! Tripodas agnosco meos, etc. « Aram tetigisse supra dicitur, quæ ara qualis fuerit, poeta docet 799: « Tibi sanguineo cespite sacrum Solemne damus, » et OEdip. 548: « Tum fossa tellus, et super rapti rogis Jaciuntur ignes. « Ibidem descripto sacrificio sic legitur 567:

> Latravit Hecates turba; ter valles cavæ
> Sonuere mœstum; tota succusso solo
> Pulsata tellus. « Audior, vates ait;
> Rata verba fudi: rumpitur cæcum chaos,
> Iterque populo Ditis ad Superos datur. »

Qui locus huic est simillimus, nisi quod in OEdipo sub dio res agitur, hic vero in penetrali ædium Medeæ. Non igitur hic exaudiri facile poterat vallium istarum sonus, non sentiri solum succussum: quod poterat, sonuerunt aræ, quas ipsas vocat tripodas suos eo sensu, quem significavit Gronovius, ut quarum motu favorem Triviæ intelligat. Sane hæc sententia loci, neque sollicitanda vetus lectio propter unum codicem, perbonum illum quidem, sed tamen et ipsum sæpius hallucinatum. Both. — Ad hunc versum Baden. Ego vero, inquit, tam docte et moleste Senecam vix scripsisse puto. Quis autem sonuit? Inferna turba, inquis. At dulcis isthæc exclamatio quam non tartaream fæcem decet! Immo sonuerunt *aræ* strepitu motæ: quod signum erat faventium Deorum. — *Tripodas.* MS. 8260, *tripodes.*

786. *Commotas.* MS. 8055, *commotas*, haud dubio vitiose.

788. *Pleno.* MS. 8260, *plena.*

792. *Sic face.* MS. 8035, *sic fac.*

803. *Passos.* MS. 8055, *Sparsos*; 8026, *Pulsos.* — *Cingit.* MSS. fere omnes *vincit* exhibent. — *Vitta capillos.* Solus MS. 8025 exhibet *victa capillis.*

812. *Quod si nimium sæpe vocari.* MS. 8028, « Quod si nimium sacra vocari. »

815. *Atque eadem.* MSS. 8025, 8028, *atque eadem est.*

818. *Imas urat serpens.* MSS. Paris. Fern. Cai. et omnes Delrii codd. vetusti, *repens*, nec male.

822. *Dedit, et docuit.* MSS. omnes, *dedit, et tenuit.*

823. *Vires.* Dan. Heinsius jubet legi: « et docuit Condere virus, » non *vires.*—*Arte.* MSS. fere omnes, *artem.*

830. *Quas permixto.* MS. 8260, *per quas mixta.*

836. *Meet in pectus.* Alio sensu MS. 8260, *manet impetus.*

841. *Et sacros.* MS. 8260, *et sacro.*

842. *Face luctifera.* MS. 8038, *face lucifera.*

848. *Referte gressus.* MS. 8260, *Ref. gressu.*

849. *Cruenta Mænas.* MS. 8028, *cruenti Mæn.*

857. *Quis credat exsulantem?* MSS. fere omnes et ed. libri, « Quis credat exsulem? »

862. *Huc fert pedes et illuc.* Quidam conjectura ducti hos versus trajiciunt, sed non est necesse. Monet Gruter. voculam *sic* exsulare aliquot Pall.

866. *Frenare nescit iras Medea.* Fabric. legit, « non scit iras Medea, non amores. » Periphrasis mulieris τοῦ ἀχαλίνου. *Non scit,* pro *nescit,* antiquum est : ita *non quis* pro *nequis.* Cæcilius in Plotio : « vivas ut possis, quando non quis ut velis. »

870. *Quando efferet Pelasgis.* MS. 8028, *effert;* 8029, *referet.*

878. *Dux noctis Hesperugo.* MSS. omnes, « Dux noctis Hesperus. » Hanc quoque lectionem sequitur Fabricius. In vetustis, ait, verbum integrum est, *Dux n. Hesperugo.* Nec aliter Cælius Secundus hunc locum citat. Veneris stella, ait Vitruvius, post solis occasum apparens in cælo, clarissimeque lucens, *Vesperugo* vocitatur.

883. *Vixque jam.* MS. 8035, *vix jam.*

886. *Ut jussus.* Non assentiendum Gronovio rescribenti : *furit immissus ignis.* De manu factis enim, quo medicatus ignis pertinet, eleganter participium *jussus* adhiberi docet Buchnerus ad Plin. Epist. VII, 9, 11. BADEN. — Monuerat Delrius, « sic furere flammas, *quasi* ex præscripto et mandato. » Eam explicationem superbe spernens Gronov. nec satis probans, quæ sunt in quibusdam libris, *Ut missus, Et jussus, Emissus,* jubet legi *immissus ignis,* id est, inquit, quasi immissis habenis, irrevocabilis, restingui et reprimi nescius, laudatque ab se monita ad lib. III de Ira, cap. 6. Recte, præsertim in poeta, jussus dicitur iste ignis, utpote non casu exortus, sed medicatus et is, in quo non tam elementi vires agnosceres, quam Inferorum potentiam, magæ obnoxiorum. Neque explicandum cum monacho *quasi jussus,* sed, *ita ut jussus est.* Mox Caiet. bene *Pelopea*, non *Pelopeia,* ut cæteri. Exposuimus alibi de hisce formis. BOTH.—*Occidit.* MS. 8028, *cecidit.*

890. *Occupat.* MSS. 8035, *occupant.* A MSS. 8036, 8055 abest hic versus.

892. *Terras.* Basil. ed. dat *sedes.*

894. *Ad hoc redirem.* MS. 8055, *Adhuc redirem.*

897 sq. *Amas adhuc, furiosa, si satis,* etc. Gruter. « Amas adhuc furiosa? sic satis est, etc. » Pal. primus, « furiosa num satis, etc. » Reliqui ad unum omnes, « Amas adhuc, fur. si satis, etc. »

899. *Jamque sic temet.* Ita Gruter. Codd. omnes fere Delrii, « sicque jam temet. »

901. *Puræ manus.* Omnes fere MSS. exhibent *parvæ manus.*

905. *Pietas vocetur.* MS. 6377, *pietas agetur.* — *Hoc age : et faxo, sciant.* MS. 8035, errore manifesto, « hoc age et falso, sciant. »

906. *Quam levia fuerint.* Consentiunt plerique MSS. in hac lectione, *Quam levia ferunt.*

913 *Spoliasse.* MS. 8035, *Spoliare.*

914. *Quære materiam, dolor.* MS. 8055, « quærit modum, dolor. »

916. *Quo te igitur, ira, mittis?* Heinsius legendum suspicatur, « Quo te agit ira mitis? » vel, « Quo tegitur ira mitis? » Neutrum est necesse. Cicero pro Milone, cap. 28, de Clodio : « Omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas: vota enim faceretis, ut in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias. »

918. *Decrevit animus intus, et nondum sibi.* MS. 8035, « Decrevit anim. meus, et nondum. »

922. *Ultimum agnosco scelus.* Plerique MSS. dant « Ultimum magno scelus. »

924. *Anime, parandum est.* MS. Coloniensis *properandum;* hanc lect. respuit Gruterus. Gronovius reponendum jussit *patrandum*, et recte : nam parum est, quod vulgo legitur, *parandum*. Similiter obtruserunt *imperare* pro *impetrare* Planti Menæchm. 110, et Martial. Epigr. II, 41. Gronov. « *Agnosca* est inVenientis, deprehensumque velut tenentis modum, quo summam vindictæ manum per summum scelus imponat. Ut Thyestes : « haud, quid sit, scio; sed grande quiddam est : ita sit : hoc, anime, occupa. » Nam exstimulatio illa animi frequens utroque loco, ut et in Agamemnone,

> Accingere, anime : bella non levia apparas.
> Scelus occupandum est.

Euripides in hujus nominis fabula,

> Μὴ δῆτα, θυμὲ, μὴ σύγ' ἐργάσῃ τάδε. »

935. *Pereant? mei sunt.* Commel. sine puncto interrogationis scribit « Pereant, mei sunt. »

936. *Et frater fuit.* MS. 8036, *et frater tuus.*

940. *Ut sæva rapidi.* MS. 8260, *Ut sæva rabidi.* — *Quum venti gerunt.* MS. 6377, « cum ventis gerunt. »

942 sq. *Haud aliter meum Cor fluct.* Pal. unus non habet vocem *Cor:* reliqui omnes, « haud aliter metu Confluctuatur : » præterquam quod Pal. quintus, *Cor fluctuat.* Equidem illud *metu Cor fluctuatur*, habet quo se tueatur : nam in simili perturbatione Hercul. Fur. vs. 1298 : « Ecce quam miserum metu *cor* palpitat. »

950. *Flentes, gementes : osculis pereant patris.* Dat Lips. « Flentes, gem. sed oculis pereant patris. » Gruter. nostram lectionem sequutus: « oscu-

lis pereant patris. » MSS. permulti exhibent quoque : « oculis pereant patris. »—Florent. « gementes oculis pereant patri Periere matri. » Lege et distingue : « gem. osculis : pereant p. Periere matri. » Lucanus, IV, vs. 180 : « Arma rigant lacrimis, *singultibus oscula* rumpunt. » Ovidius, Trist. III, 11, 54 : « *Exhibuit* querulos *ore gemente* sonos. » *Periere matri*, ex quo constitutum est, liberos hic mansuros esse, ut bene cepit Gronovius.

951. *Periere matri.* Sic Pal. quiuque. At Grut. *Periere matris.*

952. *Invitam manum.* Hanc lectionem comprobat Delrius : at in plerisque MSS. et in Grut. iuvenitur *invisam manum* ; quod non improbandum omnino, et est ad sensum satis aptum.

953. *Antiqua Erinnys.* Plerique MSS. *Antiqua mentis ira.*

954. *Superbæ.* MS. 8028, *superba.*

958. *Turba Furiarum.* Permulti MSS. *turba funerum.*

959 sq. *Quem quærit? aut quo*, etc. Vulgo : « Quem quærit? aut quo flammeos ictus parat? Aut cui, etc. » An idem bis dixit? Ocius repone *squameos ictus*. Ut *ictus flammei* tædarum ictus ardentium, ita *ictus squamei* dicuntur anguium squameorum. Statim « ingens *anguis* excusso sonat Tortus flagello. » Conf. Stat. Theb. I, 112 sq. « ... hæc igne rogali Fulgurat, hæc vivo manus aera verberat hydro. » Scriptum forte *scameos*, vel *scammeos* ita degeneravit. Similia, sed ad risum composita, Planti *hospitium pugneum*, *supplicium stimuleum*, vel *virgeum*, de quibus ad Amph. 140, et ὁ σίχινος θάνατος poetæ incerti Anthol. Palat. a Clar. Jacobsio editæ, vol. II, pag. 360. Both.

961. *Ingens anguis.* Gravius hoc ad sensum ac terrorem, quam *igneus anguis*, ut Heinsius malebat.

965. *Dabimus : sed omnes fige luminibus faces*, etc. Si omnes istas faces *figi* voluit, cur pectus patere furiis dicit? Legendum : « Dabimus (pœnas), sed omnes. » Id est : et quidem omnes. Herc. OEt. 1485 : « Herculem excipiat rogus, *Sed* ante mortem. » Apuleius, Metam. lib. X, in re turpi : « Tum me prorsus, *sed* totum recipit. » Phædrus, Fab. IV, 17, 19 : «Odore canibus anum, *sed* multo, replent. » Ad quem locum Desbillonius : « Sic, inquit, apud Plaut. Rud. III, sc. 5, vs. 20, dicit aliquis : *affer huc clavas, sed probas.* » Et pridem monuerat in lexico Plautino Phil. Pareus. Pœnas igitur dare cupit Medea, sed omnes, id est, non crudelitatis modo in fratrem, sed etiam amoris insanissimi, quo exarsit, cujusque se piget. Nam eo pertinet *oculorum* mentio. Terentius, Adelph. III, 2, 20 : « Adolescenti ipsi eriperem oculos, posthæc præcipitem darem. » Ubi vetus interpres: « Bene *Oculos*, amoris inlices (vulgo *indices*, corrigente Zennio), adjutoresque flagitii. » Ovid. Met. XIV, 698:

> Viderat a veteris generosam sanguine Teucri
> Iphis Anaxareten, humili de stirpe creatus,
> Viderat, et totis perceperat ossibus æstum.

Oculos igitur perurendos laniandosque præbet propter amorem nefarium, pectus propter cætera, quæ admisit. Both.

975. *Aveham.* Raphel. *avehe.* MSS. plerique et Paris. *advehe.*

978. *Quicumq. regum cladibus*, etc. MSS. omnes, *quic. regum et clad.*

980. *Armigeri cohors.* MS. 8260, *armiferi coh.* Scal. *armigeris;* præferreque ait *armigerum.*

987. *Perage, dum faciunt manus.* Dan. Heinsius proponit scribendum *perage dum facinus manu.*

988. *Quid dubitas? potes. Jam*, etc. Vulgati ante Gruterum dabant: « quid dubitas? potens. Jam, etc. » nimium rustice, ait.

991. *Invitam.* Sic MS. vetus et Aldus; at Comm. et Grut. *invisam.*

993. *Spectator ipse.* Significantius est, Pontanus ait, quod præfert liber Cruserianus, *spectator iste:* nimirum Jason parens. — *Factum reor.* Plerique MSS. *facti reor;* solus 8028 *feci* pro *facti* reponit.

999. *Justa jam functis habent.* Hanc lect. valde improbat Scal. « Quid est, ait, *habent justa functis?* Nugæ. Scribe, *justa jam funeris*, totidem ductibus literarum, aut *justa funebria.* Neque aliter vocantur. »

1003. *Torosque*, etc. Hoc dicere Jasonem, nisi impudens pariter et imprudens sit, bene observat Gron. monetque, τὸ *non* abesse a nonnullis MSS. Conjicit itaque legendum: *quos heu? nostra*, etc. Sed hoc est hariolari. Reponendum haud dubie: *violabit.* Fidem in posterum Jason promittit, et redire vult in gratiam cum Medea, ut servet filium superstitem. Quem spernens illa et hunc jugulat, dicitque:

> I nunc, superbe, virginum thalamos pete!
> Relinque matres!

Sæpisse *b* et *v* literæ confusæ. Statim Flor. *Me dedo morti*, non *dede*, ut vulgo; quod merito placuit Gronovio. Both.

1009. *Satiari.* Flor. *satiari â manus*, unde vir summus faciebat: *satiari hæc manus.* Mihi librarius, quum scribere vellet *animus*, quod alteri valde simile, repressisse videtur manum, et *a* literæ jam perscriptæ apposuisse signum solitum, quo delenda indicabant: nam et sic illa natio interdum, neque semper apicem subscribebant; velut in Plauti codice MS. qui olim Helmstadii servabatur, Aul. prol. 24, legitur *aliquit* cum puncto *t* literæ inscripto, quo significaretur legendum esse *aliqui.* Both.

1010. *Nullam petisset: ut duos perimam tamen.* Miram hanc lectionem præbet MS. *nullam petiissem, ut duos petam.* Longe alienum a sensu.

1011. *Nimium est dolori.* Mog. *minimum est dolori;* ingeniose quidem, sed nimis coacte, utique quum fine versus addi nequeat verbum *est.*

1015. *Moramque*, etc. Recte Gruterus, Suspicion. II, 11: « Quum petit donari moram suppliciis suis, nihil aliud petit, quam ut maturentur. » Addit. Gron. « Quia *donare* est remittere, *donare moram* moræ gratiam facere. » Plura vide apud ipsos et Danielem Heinsium in annotatione ad hunc locum.

AGAMEMNON.

DRAMATIS PERSONAE.

AGAMEMNON.
CLYTÆMNESTRA.
ÆGISTHUS.
ELECTRA.
CASSANDRA.
NUTRIX.
STROPHIUS.
THYESTIS UMBRA.
CHORUS ARGIVARUM SIVE MYCENÆARUM.
CHORUS ILIADUM.
ORESTES, MUTA PERSONA.
PYLADES, MUTA PERSONA.
EURYBATES.

ARGUMENTUM.

Thyestis umbra ulciscendarum injuriarum (de quibus vide Thyestis argumentum) cupida, filium Ægisthum in cædem Agamemnonis incitat. Ille itaque Agamemnonem, victorem a Troja reducem, in convivio impervia irretitum veste occidit, consilii cædisque participe Clytæmnestra, quam absente marito Agamemnone corruperat. Cassandram deinde Agamemnoni amatam ab aris avulsam occidit. Electram, quod fratrem Orestem amandaverat, carceri mancipari jubent.

Scena est vel Argis, vel Mycenis (utrubi parum refert).

L. ANNÆI SENECÆ
AGAMEMNON*.

ACTUS PRIMUS.

THYESTIS UMBRA.

OPACA linquens Ditis inferni loca,
Adsum profundo Tartari emissus specu,

* *Agamemnon.* Agamemnones tragœdias scripserunt Ion et Æschylus, a quo tamen pauca Noster fuit mutuatus. Nonius citat L. Pomponii Agamemnonem suppositum, sed ille vel comœdia, vel sane hilaro-tragœdia fuit. A latinis grammaticis nonnullæ tragœdiæ nominantur, quibus aliquando venit mihi in mentem suspicari hujus fabulæ materiam fuisse tractatam: ex hoc numero sunt Attii Ægisthus, Agamemnonides, Clytæmnestra; Livii Andronici Ægisthus, Nævii Ægisthus, et similes. DELR. — OEconomia tragœdiæ ex parte ab Æschyli cognomine: locum enim, quem tantopere ibi veteres commendant, de Cassandræ furore, expressit. Ibi Agamemnon in scena mactatur. Hic res partim a Cassandra, partim ab Electra exponitur, sine alia ἀπαγγελίᾳ, aut persona Nuntii. Electram, quam ignorat ille, e Sophocleis instruxit; unde illi mores dedit. Est autem frugis bonæ hæc tragœdia: quod vel imitatio evincit. Multa enim ex Virgilio non male transtulit; quædam quoque feliciter ex aliis. Narratio nuntii, multa acute, pauca ambitiose, nec pauca eleganter. HEINS.

Act. I, scen. 1. Thyestis umbra ab inferis adveniens, Ægisthum ad vindictam sibi ab oraculo promissam iuvitat.

1. *Opaca*, inferna, umbrosa, quibus interposita terra, quæ Ops dicta, lucem intercludit. — *Ditis.* Διὸς, sed inferni, Plutonis. Sic Euripid. Hec. Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας λιπών.

2. *Tartari emissus specu.* Vid. similia fere apud Hippol. act. III. sc. 1, vers. 835 seqq. huj. volum. pag. 66.—*Specu.* Vid. Thyest. 105; Hippol. 1201; Med. 742.

Incertus utras oderim sedes magis.
Fugio Thyestes inferos, superos fugo.
Inhorret animus, et pavor membra excutit:
Video paternos, immo fraternos lares.
Hoc est vetustum Pelopiæ limen domus:
Hinc auspicari regium capiti decus
Mos est Pelasgis: hoc sedent alti toro,
Quibus superba sceptra gestantur manu:
Locus hic habendæ curiæ; hic epulis locus.
Libet reverti: nonue vel tristes lacus
Incolere satius? nonne custodem Stygis
Tergemina nigris colla jactantem jubis?
Ubi ille celeri corpus evinctus rotæ
In se refertur; ubi per adversum irritus
Redeunte toties luditur saxo labor;
Ubi tondet ales avida fecundum jecur;
Et inter undas fervida exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit,
Pœnas daturus cælitum dapibus graves.

3. *Utras*. Infernasne, an superas.

4. *Fugio Thyestes*, etc. Inferos horreo, superis ipse horribilis. Vid. Animadv.

5. *Inhorret*. Vid. Animadv.

6. *Paternos*, lares Pelopis, patris mei, de quo Thyest. 144; immo fratris Atrei scelere, de quo in Thyest. act. IV et V, famosos.

8. *Hinc*. Thyest. 657. In his striis coronari solent reges. FARN.

12. *Libet*. Domo festa, seu cœnatione visa, succurrit illi de filiis, quos ibi epulatos fuerat.

13. *Nonne custod. Styg*. Defectus est unius verbi, poetis admodom familiaris. Vid. Burmann. ad Lucan. I, 372. — *Custodem*. Cerberum. Troad. 407; Hercul. Fur. 783, sqq. et ibi nott.

15. *Ubi ille celeri*, etc. « Volvitur Ixion, et se sequiturque fugitque. » Pindar. Pyt. II, 41, de eodem: ἐν πτερόεντι τροχῷ Παντᾶ κυλινδόμενον.

16. *Ubi per adv. irritus*, etc. Agitur de Sisypho. Vid. Hercul. Fur. 751; Hippol. 1230, ad nott.

18. *Fecundum*. Tityi scil. Herc. Fur. 756; Thyest. 9; Hipp. 1228.

19. *Exustus*. Tantalus. Thyest. 152 sqq.

21. *Pœnas dat. cælitum dap. grav.* Intellige, « ut puniatur graviter, propter impias dapes a se appositas cælestibus. »

Sed ille nostræ pars quota est culpæ senex?
Reputemus omnes, quos ob infandas manus
Quæsitor urna Cnossius versat reos:
Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis.
A fratre vincar: liberis plenus tribus
In me sepultis, viscera exedi mea.
Nec hactenus fortuna maculavit patrem;
Sed majus aliud ausa commisso scelus,
Natæ nefandos petere concubitus jubet.

22. *Sed ille nostræ*, etc. Ad hunc locum et alios intelligendos, flagitia Pelopidarum enumeranda sunt. In ea gente Tantalus Pelopem filium Diis epulandum apposuit, et Atreus fratri Thyesti filios tres comedendos dedit. Pater filium egit in exsilium, Atreum Pelops: fratrem pepulit frater, Thyestem Atreus: gener sustulit socerum, Pelops Œnomaum: pater filium, Atreus Plisthenem: pater item filism, Agamemnon Iphigeniam: maritus uxorem, Atreus Aeropen: uxor maritum, Clytæmnestra Agamemnonem: filius matrem, Orestes Clytæmnestram: nepotes suos occidere patruos, Ægisthus Atreum, et Orestes Ægisthum: frater necavit germanum, Atreus Chrysippum: patruelis patruelem, ut Tantalum Agamemnon, Aleten Orestes: patruelis filios, Ægisthus Pelopem et Teledanum. Sævierunt ferro in se ipsas, Hippodamia uxor Pelopis, et Pelopeia filia Thyestis. Ægisthi nurus numeratur inter eas quæ scelere sunt infames, ab Ovidio de Ponto: de qua alibi non legi. In eadem familia vitiavit pater filiam, Pelopeiam Thyestes: levir glorem, ut idem Aeropen: patruelis patruelem, ut Orestes Hermionen; patruelis affinem, Ægisthus Clytæmnestram.

24. *Cnossius quæs.* Minos rex, dum vivebat, Cnossiæ. — *Quæsitor.* Judex. Translatum a consuetudine Romanorum, apud quos, qui judiciis publicis præerat, *quæsitor* dicebatur. Qui de crimine diligenter inquirebat et vindicabat: vid. Virg. Æn. VI, 432.

27. *In me sepult.* Quos comedi.

28. *Nec hactenus*, etc. Nescientem me comedisse. — *Nec hacten. fortuna.* Bene *fortuna*; quam Plutarch. de Fato, VIII, inter τὰ ἐντὸς τῆς Εἱμαρμένης refert. Lucianus in Deorum Concilio, 13: ...εἰδὼς ὅτι, κἂν μυρίας ἑκατόμβας παραστήσῃ, ὅμως τὴν τύχην πράξουσαν τὰ μεμοιραμένα, καὶ ἃ ἐξ ἀρχῆς ἑκάστῳ ἐπεκλώσθη.

29. *Majus aliud*, etc. Oraculi monitu, ut cum propria filia concumberem, hinc natum fore ultorem fraterni sceleris.

30. *Petere concubitus*, etc. Apposite Lucianus, Apolog. pro Merc. Cond. 8: ἆρά μοι κράτιστον ἐθελοκακήσαντα, καὶ τὰ νῶτα ἐπιστρέψαντα, καὶ ἀδικεῖν οὐκ ἀρνούμενον, ἐπὶ τὴν κοινὴν ἐκείνην ἀπολογίαν καταφυγεῖν;

Non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.
Ergo ut per omnes liberos irem parens,
Coacta fatis nata fert uterum gravem,
Me patre dignum: versa natura est retro.
Avo parentem, pro nefas! patri virum,
Natis nepotes miscui, nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
Post fata demum sortis incertæ fides.
Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
Cujus secutæ mille vexillum rates,
Iliaca velis maria texerunt suis;
Post decima Phœbi lustra devicto Ilio,
Adest, daturus conjugi jugulum suæ.

λέγω δὲ τὴν τύχην, καὶ μοῖραν, καὶ εἱμαρμένην· καὶ παραιτεῖσθαι συγγνώμην ἔχειν μοι τοὺς ἐπιτιμῶντας, εἰδότας, ὡς οὐδενὸς ἡμεῖς κύριοι, ἀλλ' ὑπό τινος κρείττονος, μᾶλλον δὲ μιᾶς τῶν προειρημένων ἀγόμεθα, οὐχ ἑκόντες, ἀλλ' ἀναίτιοι παντάπασιν ὄντες, ἃ ἂν λέγωμεν, ἢ πράξωμεν. Conf. et Interpp. ad Menandri Fragmentum XI, p. 203.

31. *Non pavid.* Vindictæ cupidine audax, et obvios sceleri.

32. *Per omnes*, etc. Filios enim mihi ingessi, me filiæ.

33. *Coacta*. Oraculo, ut sup. 30.

34. *Versa natura est retro*. Explicat hæc vs. sq.

35. *Avo parentem*, etc. Namque ego Ægistho avus et pater, filiæ et maritus; sic Ægisthus mihi natus et nepos.

36. *Nocti diem*. « Fugiente per ortus Sole, Thyesteæ noctem duxere Mycenæ. » Lucan. Phars. I, 543.

38. *Post fata*. Post meam fratrisque mortem. — *Sortis incertæ fides*. Hypallage est pro, sortis incerta fides.

39. *Rex*. Græcorum exercitus imperator, et regum dux primus.

41. *Iliaca velis maria*. Hyperbole sonantior.

42. *Post*, etc. Vide Animadv. — *Post decima*, etc. Post decem solaria lustra, id est, annuos solis cursus, scilicet annos. — *Devicto Ilio*. Ex prædicto Calchantis apud Homer. Iliad. II, 329: Τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν. *Lustra* enim pro annis dicuntur, exemplo Manilii, III, 348, 576. Ex his duobus Manilii versibus constat *lustro solis* significari anni vertentis spatium, ut in hoc vs. 42. Vid. nost. edit. Poet. Lat. Min. tom. VI, pag. 404, n. 348. Nullum aliud hujus significationis insolitæ exemplum reperias. Ed.

43. *Jugulum*, feriendum. Infra, vs. 885.

Jamjam natabit sanguine alterno domus.
Enses, secures, tela, divisum gravi
Ictu bipennis regium video caput.
Jam scelera prope sunt; jam dolus, cædes, cruor,
Parantur epulæ : causa natalis tui,
Ægisthe, venit : quid pudor vultus gravat?
Quid dextra dubio trepida consilio labat?
Quid ipse temet consulis, torques, rogas,
An deceat hoc te? respice ad matrem, decet.
Sed cur repente noctis æstivæ vices
Hiberna longa spatia producunt mora?
Aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phœbum moramur : redde jam mundo diem.

44. *Jamjam natabit*, etc. Ubi Ægisthus interfecerit Atrei filinm, ut meos Atrens : alii intelligunt de sanguine alterno Agamemnonis, mox Clytæmnestræ et Ægisthi : sed prius magis placet, neqne enim lætaretur etiam impia nmbra filii sui morte.

46. *Bipennis*, etc. Quam dextra lævaque tenens conjugis incussit capiti Clytæmnestra, « fortissima Tyndaridarum. » Conf. Horat. I, Sat. 1, 100.

47. *Dolus*, vestis, quæ negaret exitum capiti et manibus; infra v. 885.

48. *Epulæ*. Simulatæ et funestæ Agamemnoni, ut quondam mihi. — *Causa*. Ultio per te promissa, supra, vs. 30.

49. *Quid pudor*, etc. An te pudet uxorem patruelis stuprasse?

50. *Quid dextra dubio trep.* etc. An dubitas patruelem interficere?

52. *Respice ad matrem, decet.* Decere procul dubio te hæc scelera fatebere, si memineris te matre incesta natum.

53. *Sed cur repente*, etc. Sed cur nox hæc æstiva (quam contractiorem esse oporteret) æquat longitudine hibernas?

54. *Hiberna spatia*. Spatium, quod tempestate tantum hiemis, adeo porrectum est.

55. *Quid*. Quid numen? quæ vis? quæ potentia? — *Cadentes* jam occidere paratas, vel, quas jamdudum occidisse tempus erat : *cadentia sidera*, Virg. Æn. II, 9.

56. *Phœbum moramur*. Mea illi in mora præsentia; meum sol refugit conspectum. Vide Thyest. vs. 119. — *Redde jam mundo diem*. Quasi diceret, « ego abeo. » Vide Animadv. ad h. loc.

CHORUS ARGIVARUM.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuere diem.
Alia ex alia cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas.
Non sic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus;
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis unda, nivali
Vicina polo;
Ubi cæruleis immunis aquis,
Lucida versat plaustra Bootes,
Ut præcipites regum casus
Fortuna rotat.
Metui cupiunt, metuique timent.

Act. I, sc. II. Chorus e mulieribus Argivis, seu Mycenæis (vide Argum. primi Chori Thyestei) excelsam fortunam queritur instabilem, anxiam, periculis obnoxiam: mediocrem itaque illi præferendam censet.

57. *Regnorum*, regum magnorum.

59. *Nimis excelsa*. Hæc duo una jungenda sunt.

62. *Ex alia*. Post aliam. Herc. Fur. vs. 207: « finis alterius mali Gradus est futuri. ».

63. *Nova*. Semper recens.

65. *Furit volvere*. Furibundum volvit. — *Alternos*. Fluxu refluxuque impetuosos.

66. *Euxini*. Quibusdam κατ' ἀντιπερίστασιν dictum rectius, quod, quum prius, ob accolarum inhospitalitatem vel latronum immanitatem, ἄξενος dicta fuerit regio illa, Herculis tandem opera latrociniis purgata, et aliorum gentium commercio emollita, εὔξενος nuncupata est.

67. *Nivali*, septemtrionali.

69. *Immunis*. Eadem ratione qua Ursæ. Vid. Thyest. 476.

70. *Plaustra Bootes*. Conf. Med. vs. 315.

73. *Metui cupiunt*, etc. Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Non nox illis alma recessus
Præbet tutos; non curarum
Somnus domitor pectora solvit.
Quas non arces scelus alternum
Dedit in præceps; impia quas non
Arma fatigant? Jura, pudorque
Et conjugii sacrata fides,
Fugiunt aulas: sequitur tristis
Sanguinolenta Bellona manu,
Quæque superbos urit Erinnys,
Nimias semper comitata domos:
Quas in planum quælibet hora
Tulit ex alto. Licet arma vacent,
Cessentque doli,
Sidunt ipso pondere magna,
Ceditque oneri Fortuna suo.
Vela secundis inflata Notis,
Ventos nimium timuere suos.
Nubibus ipsis inserta caput

74. *Alma*, quæ solet mortales, ut ita dicam, alere, reficere, recreare per quietem.

75. *Non curarum*, etc. Sic Hom. et Sophocl. Οὐθ' ὁ πανδαμάτωρ καὶ ὁ παγκρατὴς ὕπνος Λύει πεδήσας.

77. *Arces*. Regias. Vid. Thyest. 641. — *Scelus alternum*. Funus a regibus sibi mutuo illatum.

78. *Quas*, arces regias. Id est, quos reges, quas domos principum.

82. *Sanguinolenta*. Junge cum *manu*. — *Bellona*. Enyo, bellorum dea, Martis soror, auriga.

83. *Urit*, invidia, ambitione. — *Erinnys*. Furia. Erinnyes autem tres, θεαὶ σεμναὶ καὶ τιμωρητικαί, Tisiphone, Megæra et Alecto, natæ e guttis sanguinis quem fuderunt in mare Cæli vulnera a filio Saturno mutilati.

84. *Nimias semper*. Id est, intolerandæ superbiæ. Vid. Interpp. ad Claudian. XXVI, vs. 118.

85. *In planum tulit*, humi afflixit. — *Quælibet hora*, omnis hora, nullius horæ facto discrimine.

86. *Ex alto*, deturbatas scilicet ex altiori sede.

88. *Sidunt*, fatiscunt: *in se magna ruunt*, ait Lucan. I, 80.

91. *Ventos nimium timuere suos*. Per « ventos nimium suos » intellige, ventos nimis secundos, ut recte interpretatur Botheus.

92. *Nubibus inserta cap*. Cujus

Turris pluvio vapulat Austro:
Densasque nemus spargens umbras
Annosa videt robora frangi.
Feriunt celsos fulmina colles.
Corpora morbis majora patent:
Et quum in pastus armenta vagos
Vilia currant, placet in vulnus
Maxima cervix. Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius ævum est.
Felix, mediæ quisquis turbæ

caput insertum, conditum est. Id est, alta, quæ, ut loquitur Virg. Æneid. IV, 177: « caput inter nubila condit. » — Vide Hippolyti Chorum ult. a vs. 1120, qui totus huic Choro concinit.

93. *Vapulat*, tunditur, verberatur ventis et pluvis.

95. *Feriunt celsos fulmina colles.* Lucret. VI, 420 sq. « ... plurimaque hujus Montibus in summis vestigia cernimus ignis. » — Fuit præcipue ob oculos Horatius, Od. II, x, 9: « Sævius ventis agitatur ingens Pinus: et celsæ graviore casu Decidunt turres; feriuntque summos Fulgura montes. »

97. *Corpora morb. majora pat.* Id est, obnoxia, exposita sunt. Soph. in Ajac. 334: Τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόνητα σώματα Πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις Ἔφασχ' ὁ μάντις, κ. τ. λ. Florus, III, 10, 22: « Sed illa immania corpora, quo erant majora, eo magis gladiis ferroque patuerunt. » Ubi vide Duk.

99. *Vilia currant*, parvi boves non ad sacrificium e pascuis abstrahuntur.—*Placet.* Eximuntur ad cædem e magno grege immolandi.

100. *Maxima cervix.* Pulcherrimi quique boves. — E duobus gallicis interpretibus prior ætate, *Coupé*, credidit alludi ad venationem, et vertit: « le chasseur néglige le vil troupeau de cerfs vulgaires pour s'attacher au bois le plus rameux. » Nos autem vulgatiorem admisimus sensum, et de victimis ad aras mactandis intelligimus.

101. *Ruitura levat.* Attollit, ut postea deturbet: et h. l. *ruere* activo sensu sumitur, ut non esse parum apud poetas cuncti sciunt. Vid. Claudian. Carm. III, 22: « tolluntur in altum, ut lapsu graviore *ruant*. » Hic passive.

102. *Modicis reb. long. ævum est.* Moderata durant. Firma stant diu mediocria.

103. *Mediæ turbæ Parte.* Hæc intellige, a media turba stans, mediocritatem sequens, amans. Horat. Od. III, xvi, 22: « ... nil cupientium Nudus castra peto, et transfuga divitum Partes linquere gestio, Contemtæ dominus splendidior rei, etc. » — *Quietus*, modestus,

Parte quietus,
Aura stringit litora tuta;
Timidusque mari credere cymbam,
Remo terras propiore legit.

qui non vult excellere supra alios, nullam sibi potentiam adsciscit. Sic Horat. II, Od. 10, 5, laudat *auream mediocritatem*, et vitanda tum *alti maris*, tum *iniqui litoris* pericula monet : sic Racinius magnus, in illa quæ satis laudari nequit Iphigenia, Agamemnonem inducit act. I, scen. 1, 10, exclamantem : «Heureux qui, satisfait de son humble fortune, Libre du joug superbe où je suis attaché, Vit dans l'état obscur où les dieux l'ont caché! » Sic Bolæus in Epist. sexta ruris delicias et urbis incommoda describit, Horatii VI satiram, l. II, eleganti carmine feliciter imitatus.

107. *Remo terras propiore legit.* Sic Claudian. Carm. XXXII, Præf. vs. 5 et seq. « Tranquillis primum trepidus se credidit undis, Litora securo tramite summa legens. » Vid. Virg. Georg. II, 490 et seqq. et iterum Claudian. Carm. LII, de sene Veronensi, qui suburbium nunquam egressus fuerat.

Ausæ; quod ardens impia virgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe:
Ferrum, venena: vel Mycenæas domos,
Conjuncta socio, profuge furtiva rate....
Quid timida loqueris furta, et exsilium, et fugas?
Soror ista fecit: te decet majus nefas.

NUTR. Regina Danaum, et inclytum Ledæ genus,
Quid tacita versas? quidve, consilii impotens,
Tumido feroces impetus animo geris?
Licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.
Proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio non quit, sæpe sanavit mora.

CLYT. Majora cruciant, quam ut moras possim pati.
Flammæ medullas et cor exurunt meum.
Mixtus dolori subdidit stimulos timor.
Invidia pulsat pectus; hinc animum jugo
Premit cupido turpis, et vinci vetat;
Et inter istas mentis obsessæ faces,
Fessus quidem, et dejectus, et pessumdatus

119. *Ardens.* Medea Jasonis amore ardens, ausa est omne facinos. Vid. Med. et Hipp. 561.

120. *Phasiaca*, Colchica, a Phaside flovio. — *Thessalica trabe.* Argo. Vide Med. 609. Sic Horat. Od. I, 1, 13, *trabem Cypriam* dixit.

121. *Ferrum venena.* Subaud. evolve, vers. 116. — *Mycenæas domos.* Vid. Animadv. — *Conjuncta socio.* Ægistho adulterii et periculi socio.

123. *Soror*, Helena. — *Ista*, quæ tu nunc agitas, i. e. fugam, fortivam navem. — *Fecit.* Id est, fugit, Paridem secuta.

126. *Quidve.* Posterius hoc *quid*, accipiendum pro *cur*.

128. *Totus in vultu est dolor.* Prodit dolorem et ardentem iram totus vultus. Med. vs. 444.

130. *Quod ratio non quit*, etc. Enrip. Alc. vs. 1089: χρόνος μαλάξει· νῦν δ' ἔθ' ἡβᾷ σοι κακόν.

133. *Dolori.* De pellice Cassandra. — *Timor*, ne adulterii deprehensi pœnas sumat maritus.

134. *Invidia.* Idem fere sonat, quod *dolor*, vs. præced.

135. *Premit cupido turpis*, etc. qua exuror ob Ægisthi adulteri amorem.

136. *Faces.* Jam præparat comparationem ad indicandos nefariæ libidinis æstus spectantem.

137. *Fessus quidem, et dejectus*,

NUTR. Piget prioris, et novum crimen struis!
CLYT. Res est profecto stulta, nequitiæ modus.
NUTR. Quod metuit, auget, qui scelus scelere obruit.
CLYT. Et ferrum, et ignis sæpe medicinæ loco est.
NUTR. Extrema primo nemo tentavit loco.
CLYT. Rapienda rebus in malis præceps via est.
NUTR. At te reflectat conjugii nomen sacrum.
CLYT. Decem per annos vidua respiciam virum?
NUTR. Meminisse debes sobolis ex illo tuæ.
CLYT. Equidem et jugales filiæ memini faces,
Et generum Achillem : præstitit matri fidem.
NUTR. Redemit illa classis immotæ moras,
Et maria pigro fixa languore impulit.
CLYT. Piget doletque! Tyndaris, cæli genus,
Lustrale classi Doricæ peperit caput.
Revolvit animus virginis thalamos meæ,
Quos ille dignos Pelopia fecit domo,
Quum stetit ad aras ore sacrifico pater,
Quam nuptiales! Horruit Calchas suæ

secrets, Alors avec éclat leurs discours indiscrets, Portant sur notre vie une triste lumière, Vont de nos passions remplir la terre entière. » Nihil verius et elegantius.

151. *Quod metuit.* Scelus, scelerisque pœnam.

152. *Et ferrum.* Cauterio, candenti ferro obsistitur cancris, gangrænis, etc. « Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes. » Ovid. Rem. Am. 229.

154. *Rapienda rebus.* In rebus asperis et tenuis spei fortissima quæque consilia sunt tutissima: sed in bellicis politicisque utibile hoc, in peccando minime.

156. *Decem.* Egregius sane conjux, qui me viduam per decem annos reliquit : de vidua autem vid. Hippol. v. 620.

158. *Equidem.* Et memini quo pacto sub prætextu nuptiarum cum Achille arcessierit in castra nostram Iphigeniam, eamque immolaverit Dianæ. Troad. vs. 162.

159. *Præstitit.* Ironia acerba.

162. *Tyndaris.* Ego filia Tyndari, cui Jupiter abavus.

163. *Lustrale.* Expiativum, ventos redimens. Vid. Troad. 161.

165. *Pelopia*, sæva, crudeli, quæ liberos mactare solet, ut Tantalus Pelopem, Atreus tres Thyestis filios.

167. *Quam nuptiales!* Quam be-

Responsa vocis, et recedentes focos.
O scelera semper sceleribus vincens domus!
Cruore ventos emimus, bellum nece.
NUTR. Sed vela pariter mille fecerunt rates.
CLYT. Non est soluta prospero classis Deo:
Ejecit Aulis impias portu rates.
Sic auspicatus bello, non melius gerit.
Amore captæ captus, immotus prece,
Sminthea tenuit spolia Phœbei ducis,
Ardore sacræ virginis jam tum furens.
Non illum Achilles flexit indomitus minis;
Non ille solus fata qui mundi videt,
In nos fidelis augur, in captas levis;
Non populus æger, et relucentes rogi.

ne (id est, per ironiam, quam non) conveuientes nuptiis, quas apud me simularat. — *Horruit Calchas.* Ut Euripides dicit, Iphig. in Aul. v. 89: Κάλχας δ' ὁ μάντις ἀπορίᾳ κεχρημένος, Ἀνεῖλεν, κ. τ. λ.

168. *Recedentes.* Pathos. Sic Thyest. v. 766.

170. *Cruore.* Vid. Troad. 161.

171. *Mille.* Quas tamen Homerus 1080, computat; Dares Phrygius, 1140; Dictys, 1295.

172. *Deo*, numine, vel etiam Diana. Vid. Herc. Fur. v. 384.

173. *Aulis.* Bœotiæ portus. De hoc vs. et sup. 162, vid. RACINE, *Iphigén.* act. V, sc. 4.

174. *Sic auspicatus.* Cæde virginis, filiæ imperatoris.

175. *Amore.* Astynomes, Chryseidos. Troad. 222. — *Prece.* Patris Chrysæ filiam redemturi.

176. *Sminthea.* Munera repulit Chrysæ sacerdotis Apollinis Smynthei, παρὰ τοὺς Σμίνθας, mures, κτείνειν, θεὸς μυοκτόνος. Alii a Sminthe oppido. — *Spolia Phœbei ducis.* Qualis imperator fuerit Chryses, ignoro. Unum scio melius quadrare quod est in Florent. « Phœbei senis. » Agamemnon ad ipsum: Μή σε, γέρον, κοίλῃσιν. GRON.

177. *Jam tum.* Ut nunc rursus Cassandra captiva ardet.

178. *Non illum.* Non flexit minis, vel Achilles indomitus minis. — *Indomitus.* Talem nobis Achillem Homerus ubique, et Horat. in Epist. ad Pison. de Art. Poet. depingunt.

179. *Ille solus.* Calchas: Οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος, Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. Homer. Iliad. I, 69.

180. *In nos.* Statim Agamemnoni creditus, ubi Iphigeniam Dianæ immolandam cecinit; sed quum præciperet reddendam Chryseida, fidem ejus elevavit Agamemnon.

181. *Æger*, peste laborans;

Inter ruentis Græciæ stragem ultimam
Sine hoste victus marcet, ac Veneri vacat,
Reparatque amores : neve desertus foret
A pellice unquam barbara cælebs torus,
Ablatam Achilli diligit Lyrnessida :
Nec rapere puduit e sinu avulsam viri.
En Paridis hostem! nunc novum vulnus gerens
Amore Phrygiæ vatis incensus furit :
Et post tropæa Troica, ac versum Ilium,
Captæ maritus remeat, et Priami gener.
Accingere, anime : bella non levia apparas :
Scelus occupandum est : pigra, quem exspectas diem?
Pelopia Phrygiæ sceptra dum teneant nurus?
An te morantur virgines viduæ domi,
Patrique Orestes similis? horum te mala

notum ex Homer. Il. I, 51. — *Relucentes.* Αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.

182. *Græciæ.* Hujus in Trojam expeditionis poetæ semper ita meminerunt, veluti si illi tota Græcia interfuisset. Sed refragatur Artemidorus inquiens : μόνοι οἱ Θηβαῖοι τῶν Βοιωτῶν οὐκ ἐστράτευσαν εἰς Ἴλιον. Invenerat nimirum apud Homerum in Catalogo non ὑπὸ Θήβας, sed Ὑποθήβας, ut testatur Eustathius multos legisse, et parvi oppidi nomen esse, *Hypothebas*, tamen Justinus, lib. XXVIII, solos Acarnanas scribit Græcis ad Trojam non ivisse suppetias : nec eos in Bœotia expressos invenio.

183. *Marcet.* In Venerem putris, et animi torpore confectus.

185. *Cælebs.* Hipp. 230. Procul ab uxore. Ovid. Epist. 13, 107 : « in lecto cælibe. »

186. *Ablatam.* Hippodamiam Brisæ filiam per præcones Achilli aufert. — *Diligit Lyrnessida.* Homero Briseis, τὴν ἐκ Λυρνησσοῦ ἐξείλετο. Iliad. II, 690.

187. *Viri.* Achillis fortis, vel illam maritali amore tenentis.

188. *En Paridis.* En pulchrum adulterii vindicem! Vid. Animadv.

189. *Phrygiæ*, Cassandræ seu Alexandriæ. Vid. Troad. 34 et 966. — *Furit.* Eleganter ἀντανακλᾶται vatis furori.

190. *Tropæa.* Troad. v. 147.

193. *Scelus.* Antequam meum ulciscatur adulterium Agamemnon, ego illius. Thyest. 203.

195. *An te.* An filiarum innuptarum Electræ, Chrysothemidos, Laodices, et Iphianassæ filiique causa, vindicta abstines? Immo horum gratia magis perfice, ne quid gravius patiantur, ista superinducta noverca, eaque captiva furore vaticinii percita. Hipp. 602.

Ventura moveant, turbo queis rerum imminet.
Quid, misera, cessas? en adest natis tuis
Furens noverca : per tuum, si aliter nequit,
Latus exigatur ensis, et perimat duos.
Misce cruorem, perde pereundo virum.
Mors misera non est, commori cum quo velis.
NUTR. Regina, frena temet, et siste impetum,
Et quanta tentes, cogita : victor venit
Asiæ ferocis, ultor Europæ : trahit
Captiva Pergama, et diu victos Phrygas.
Hunc fraude nunc conaris et furto aggredi?
Quem non Achilles ense violavit fero,
Quamvis procacem torvus armasset manum;
Non melior Ajax, morte decreta furens;
Non sola Danais Hector et bello mora;
Non tela Paridis certa; non Memnon niger;
Non Xanthus armis corpora immixtis gerens,

202. *Mors misera non est*, cum illo, quem perire expetis, mori. Hellen. συνθανεῖν ᾧ ἂν θέλοις. Valer. Maxim. lib. VI, cap. 8 : « Levique vulnere a Thelesino, cum quo mori destinaverat, perstrictum, etc. » Fabricius Grutero invexerat, *commori qui cum velis* : eleganter quidem si ferrent codices scripti. Vid. Animadv.

204. *Victor*. Agamemnon cui hæc meditaris, redit victor.

205. *Asiæ*. Trojæ in Asia Minori. Troad. v. 4. — *Europæ*. Injuriæ illatæ Græciæ quæ in Europa.

206. *Captiva*. Reliquias Trojæ captivas. — *Diu victos*. Diutino, lento, decennali bello.

208. *Quem non Achilles*. Hom. Iliad. A, narrat Achillem gladium strinxisse, ut Agamemnonem occideret, sed Palladis interventu se abstinuisse : quo monemur iram ratione temperare.

209. *Procacem*. Cædis et vindictæ immodice appetentem : procari enim significat immodice et impudenter petere.

210. *Melior Ajax*. Telamonius, non Οἰλῆος, ταχὺς, Αἴας μείων. — *Morte*. Deliberata morte ex pudore cæsorum a se pecorum per insaniam, qua correptus est propter adjudicata Ulyssi ab Agamemnone et proceribus Achillis arma. — *Furens*. Vid. Soph. ἐν τῷ μαστιγοφόρῳ; et Ovid. Met. XIII.

212. *Non tela*. Nec tela Paridis certa, quia ab Apolline directa in Achillem, violaverunt. — *Memnon*. Memnon Æthiop. V. Troad. v. 10.

213. *Xanthus*. Ὃς ὑπ' Ἀχιλλῆος

Fluctusque Simois cæde purpureos agens;
Non nivea proles Cycnus æquorei Dei;
Non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx;
Non picta pharetras, et securigera manu
Peltata Amazon; hunc domi reducem paras
Mactare, et aras cæde maculare impia?
Victrix inultum Græcia hoc facinus feret?
Equos et arma, classibusque horrens fretum
Propone, et alto sanguine exundans solum,
Et tota captæ fata Dardaniæ domus
Regesta Danais: comprime affectus truces,
Mentemque tibimet ipsa pacifica tuam.

Ξάνθου βαθυδινήεντος Πλῆτο ῥόος κελάδων ἐπιμὶξ ἵππων τε καὶ ἀνδρῶν. Iliad. Φ, 15 sq.

214. *Fluctusque Simois*, etc. « Qui tot correpta sub undis Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit, » ut canit Virgil. Æn. I, 100; et de Thybri, VIII, 538.

215. *Nivea.* Troad. 185. — *Æquorei Dei.* Neptuni; additum ad differentiam alterius Cycni, Martis filii, ab Hercule superati.

216. *Non bellicoso Thr.* Vide Rhesum, tragœdiam incerti auctoris, quæ vulgo perperam Euripidi adscribitur; et nos vulgus sequuti sic eam sæpe citavimus: et Homer. Iliad. X, 473 passim. Delr.—Hic Rhesus ad amnem sui nominis fuit interfectus, in quem etiam se uxor Arganthona, desiderio mariti, projecit. Vid. Parthen. Narrat. cap. ult.

217. *Picta.* Non Penthesilea, quæ « ducit Amazonidum, Lunatis agmina peltis, Sæva securigeris dextris et picta pharetras, » Virg. Æn. I, 490; XI, 662 sq. Med. 214.

219. *Peltata Amazon.* Peltam sic describit Pierius Hieroglyph. lib. XLII: « ut circulus descriptus linea diametrali dissecetur: pars altera, quantum cubiti, manusque ministerio deserviat, relinquatur: altera duobus a lateribus excavetur: ita ut in medio spatium sit inserendo brachio, cujus hoc fit propugnaculum: extrema ad scuti marginem lunentur in cornua. Orbes illi duo hinc inde exemti, inserandæ, si opus sit, hastæ, alter commodus, alter ad inspectandum inserviat. » *Peltam* hederæ folio similem fuisse Xenophon; Plinius folio Indicæ ficus scribit: Virgilius *lunatam* vocat, et sequitur Isidorus, lib. XLVIII, c. 12.—*Hunc.* Post tot tantasque res gestas reducem tu vis interficere.

224. *Regesta Danais.* Interpretor eadem fata, quibus oppressi fuere Trojani propter Paridis perfidiam, qui Menelai uxorem rapuit, nune regerenda tuis Mycenis, tuo capiti, si Agamemnon victor

ÆGISTHUS, CLYTÆMNESTRA, NUTRIX.

ÆGISTH. Quod tempus animo semper ac mente horrui,
Adest profecto rebus extremum meis.
Quid terga vertis, anime? quid primo impetu
Deponis arma? crede perniciem tibi,
Et dira sævos fata moliri Deos.
Oppone cunctis vile suppliciis caput,
Ferrumque et ignes pectore adverso excipe.
CLYT. Ægisthe, non est pœna sic nato mori.
ÆGISTH. Tu nos pericli socia, tu Leda sata
Comitare tantum : sanguinem reddet tibi
Ignavus iste ductor, ac fortis pater.
Sed quid trementes circuit pallor genas,

Trojæ, tuus conjux a te occidatur. Minæ sunt, non preces. Cogita, inquit, non egregia Agamemnonis facinora, ut interpres, sed equis et viris et velis vos petitum iri. Sic et « sanguine exundans solum, » non Trojanum, sed Mycenæum tuo sanguine exundaturum. Cassandra inf. 758 : « fata se vertunt retro. » Græcia pro scelere tuo pœnas repetet.

Act. II, sc. II. Clytæmnestram nutricis consiliis cedere paratam, jamque dubiam, superveniens Ægisthus avertit rursus, atque in præceps trahit.

228. *Anime.* Se ipsum submisse alloquitur Ægisthus, sed auditur Clytæmnestræ.

232. *Adversa.* Opposito, omnia prius tentante quam timide cedas, vertasque terga.

233. *Sic nato.* Ex incestu nato. Sup. vs. 30. Tacit. Annal. VI, 49 : « iisdem diebus Sex. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, jacto in præceps corpore : causa ad matrem referebatur, quæ, pridem repudiata, adsentationibus atque luxu perpulisset juvenem ad ea quorum effugium non nisi morte inveniret. »

235. *Comitare tantum.* Verba male ominata. Sentit ille quidem : « Ne desere me, sed fida mane socia in eo quod molior. » Verum possunt referri ad priora, quasi eam comitem mortis optet, quod postea accidit : simul enim ambos peremit Orestes. — *Tantum.* Refer ad *comitare :* vel, si distinguas ante *tantum* (vid. Var. lect.), intelligas : tantum sanguinem, quantus fuit filiæ, reddet. — *Sanguinem.* Sanguine suo rependet sanguinem filiæ tuæ Iphigeniæ ab illo cæsæ.

236. *Ignavus.* Quia, ipse dux licet ducum, per se nihil gessit fortiter. — *Fortis*, in filia immolanda.

237. *Sed quid trem.* Clytæmnestra, ab nutrice deterrita, deserit consilium occidendi regis, et primum ferre videtur indignabunda

Jacensque vultus languido obtutu stupet?
CLYT. Amor jugalis vincit, ac flectit retro.
Referamur illuc, unde non decuit prius
Abire : vel nunc casta repetatur fides.
Nam sera nunquam est ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccasse, pæne est innocens.
ÆGISTH. Quo raperis amens! credis, aut speras tibi
Agamemnonis fidele conjugium? ut nihil
Subesset animo, quod graves faceret metus;
Tamen superba et impotens flatu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.
Gravis ille sociis stante adhuc Troja fuit;
Quid rere ad animum, suapte natura trucem,
Trojam addidisse? rex Mycenarum fuit;
Veniet tyrannus : prospera animos efferunt.
Effusa circa pellicum quanto venit
Turba apparatu! sola sed turba eminet,
Tenetque regem famula veridici Dei,
Feresne thalami victa consortem tui?
At illa nolet. Ultimum est nuptæ malum,

quidquid maximo regi infert contumeliarum Ægisthus : at mox cedit, instante vividius adultero.

243. *Quem pœnitet pecc.* etc. Nil mirum videri debet, quod tam puram morum disciplinam Seneca professus fuerit; Stoicorum scilicet ardentissimus assecla. « Viciatur innocentiæ festinata correctio, » inquit Sidon. Epist. VI, 9. Sed longe sublimius VOLTAIRE, *Trag. Olympie*, act. II, sc. 2, 40 : « Dieu fit du repentir la vertu des mortels. »

245. *Fidele.* Tale futurum, ut tibi fidem postea faciat te inviolandam esse et securam.—*Ut nihil.* Fac te castam esse, nec, ob adulterii nostri conscientiam, supplicium tibi metuendum esse.

249. *Gravis.* Quod exprobrat δημοβόρῳ βασιλεῖ Achilles, Iliad. I, 231. Cicero, ad Fam. IV, 9: « An qui in bello, quum omnium nostrum conjunctum esse periculum suo cerneret, certorum hominum minime prudentium consilio uteretur : eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis in rebus fuisset? »

251. *Trojam*, Trojæ casum.

255. *Tenetque.* Imperatque regi Cassandra vates Apollinis.

257. *At illa.* Quod si tu poteris

Palam marita possidens pellex domum :
Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.
CLYT. Ægisthe, quid me rursus in præceps rapis,
Iramque flammis jam residentem incitas?
Permisit aliquid victor in captas sibi :
Nec conjugem hoc respicere, nec dominam decet.
Lex alia solio est, alia privato in toro.
Quid quod severas ferre me leges viro
Non patitur animus, turpis admissi memor?
Det ille veniam facile, cui venia est opus.
ÆGISTH. Ita est : pacisci mutuam veniam licet.
Ignota tibi sunt jura regnorum, aut nova !
Nobis maligni judices, æqui sibi,
Id esse regni maximum pignus putant,
Si, quidquid aliis non licet, solis licet.
CLYT. Ignovit Helenæ : juncta Menelao redit,
Quæ Europam et Asiam paribus afflixit malis.

volesve, illa pellex partiri tuum lectum nolet; te itaque tollere tentabit.

259. *Nec regna socium*, etc. Ovidius, Art. Am. III, v. 564 : « Non bene cum sociis regna Venusque manent. » Lucan. I, 92, et alii.

262. *Permisit.* Fac Agamemnonem victorem sibi aliquid indulsisse in captivas.

263. *Dominam.* Matrem familias, domus dominam. Lacones autem uxores suas κυρίας vocant, Thessali δεσποίνας; illæ vicissim maritos κυρίους et δεσπότας, dominos.

264. *Lex alia solio est*, etc. Adnotat hic interpres gallicus : « Cette pensée est bien belle, et prouve que Clytemnestre n'oublie point encore ce qu'elle se doit à elle-même en qualité de reine. Elle sent qu'il est de sa dignité de pardonner les torts d'Agamemnon, et de ne pas mettre ses sujets dans le secret des faiblesses ou des erreurs de celui qui les gouverne, et qui doit leur donner l'exemple de toutes les vertus. Égisthe, au contraire, tient à Clytemnestre le langage d'un amant passionné, ou d'un courtisan adroit et perfide. » Vs. 269 : « Ignota tibi sunt jura regnorum, aut nova. »

267. *Det ille.* Iniquum est, ut conjux a conjuge fidem, quam ipsa non præstitit, exigat.

268. *Ita est.* Ironia.

269. *Aut nova.* Pergit per ironiam. « Regnorum (regum) ergo jura tibi sunt ignota, vel nova. »

271. *Pignus*, prærogativam.

274. *Europam.* Intelligit Græciam, quæ in Europa. Sup. v. 205.

ÆGISTH. Sed nulla Atridem Venere furtiva abstulit,
Nec cepit animum conjugi obstrictum suæ.
Jam crimen ille quærit, et causas parat.
Nil esse crede turpe commissum tibi :
Quid honesta prodest vita, flagitio vacans,
Ubi dominus odit? fit nocens, non quæritur.
Spartamne repetes spreta, et Eurotan tuum,
Patriasque sedes profuga? non dant exitum
Repudia regum : spe metum falsa levas.
CLYT. Delicta novit nemo, nisi fidus, mea.
ÆGISTH. Non intrat unquam regium limen fides.
CLYT. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.
ÆGISTH. Pretio parata, vincitur pretio fides.
CLYT. Surgit residuus pristinæ mentis pudor.
Quid obstrepis? quid voce blandiloqua mala
Consilia dictas? scilicet nubet tibi,
Regum relicto rege, generosa exsuli?
ÆGISTH. Et cur Atrida videor inferior tibi,
Natus Thyestæ? CLYT. Si parum est, adde et nepos.

275. *Nulla*, pellex. — *Abstulit*, eripuit Menelaum amori uxoris suæ.

277. *Ille*, Agamemnon. — *Causas*. Propter quas de te medio tollat, quo liberius fruatur pellice.— Immo causas divortii. Plaut. Merc. act. IV, 8, 5 : « Uxor viro si clam domo egressa est foras, Viro fit causa, exigitur matrimonio. » Cicer. Philip. II, 28 : « mimam suam suas res sibi habere jussit, ex XII tabulis : claves ademit; exegit. » Hoc igitur proprie nunc tantum dicit, etsi postea significet ex hoc alterum sequi; i. e. ex delicto conjugis, ejusdem repudium.

280. *Fit nocens*. Non inquiritur nocensne aliquis sit, necne; sed pro nocente damnatur, quemcumque rex odit; et ille fit nocens.

281. *Spartamne*. Nec spera te repudiatam petituram sedes patriæ tuæ; repudiatas enim uxores non sinunt reges abire, verum eas necandas curant. Vid. Animadv.

284. *Delicta*. Adulterii mei conscius est nemo, præter quemdam fidelem, qui celabit; et proinde, non est cur fugiam.

288. *Surgit*. Statui ad meliorem vitam me recipere; refocillantur enim mihi in animo scintillulæ quædam pristini pudoris.

292. *Atrida*. Atrei filio, qui Thyestæ frater.

293. *Si parum*. Nec filius tan-

ÆGISTH. Auctore Phœbo gignor: haud generis pudet.
CLYT. Phœbum nefandæ stirpis auctorem vocas,
Quem nocte subita frena revocantem sua
Cælo expulistis. Quid Deos probro advocas,
Surripere doctus fraude geniales toros,
Quem Venere tantum scimus illicita virum?
Facesse propere, ac dedecus claræ domus
Asporta ab oculis: hæc vacat regia viro.
ÆGISTH. Exsilia mihi sunt haud nova: assuevi malis.
Si tu imperas, regina, non tantum domo
Argisve cedo: nil moror jussu tuo
Aperire ferro pectus ærumnis grave.
CLYT. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam?
Quæ juncta peccat, debet et culpæ fidem.
Secede mecum potius, ut rerum statum
Dubium ac minacem juncta consilia explicent.

CHORUS ARGIVARUM.

Canite, o pubes inclita, Phœbum.

tum, sed et nepos Thyestæ es; te quippe e sua filia genuit.

294. *Auctore Phœbo.* Thyestæ redditum erat Phœbi oraculum, quem ex Pelopeia filia sua gigneret, illum ab Atreo pœnas exacturum; ideo filiam suam compressit, eaque illi Ægisthum peperit.

296. *Frena rev. sua.* Reducentem currus, ne videret nefandam patris tui cœnam.

297. *Expulistis.* Sin tu ipse, at certe tui parentes et propinqui: ideo plurali numero utitur, unum alloquens Ægisthum.

298. *Surrip. doct.* Nuptiales toros violare edoctus a patre tuo, qui Atrei, fratris sui, uxorem corrumpere non dubitavit.

299. *Quem venere tantum*, etc. Quem virilitate frui scimus, non ex egregiis animisque tuis facinoribus, sed tantummodo ex illicitis tuis adulteriisque amoribus.

306. *Siquidem hoc cruenta.* In tantum crudelis ero, ut hoc fieri sinam? non patiar. Hunc versum et sequentem pronuntiat regina submissiori voce.

307. *Secede*, etc. Hæc clara ad Ægisthum invitatio.

Act. II, sc. III. Chorus e virginibus Mycenæis et Argivis canit Apollinis pæana, ob partam victo-

Tibi festa caput turba coronat:
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia : tu quoque nostros,
Thebais hospes, comitare choros,
Quæque Erasini gelidos fontes,
Quæque Eurotan, quæque virenti
Tacitum ripa bibis Ismenon,
Quam fatorum præscia Manto,

riam : interserit autem Junoni, Minervæ et Jovi laudes suas.

311. *Coronat*, videlicet foliis lauri : nam fuit hoc in Apollinia sacris solemne frondis genus.

312. *Laurum*, Apollini sacram. Vid. Œdip. vs. 16.

314. *Stirps Inachia*. Inachi genus, virginea Argivæ.

315. *Thebais hospes*. Vid. Animadv.—*Nostros comitare choros*. Chorus Argivarum vult sibi jungi Thebaides. Posset quidem objici non hic locum esse Thebanis, qui non sint ad Trojam profecti, et ideo non fuerint participes lætitiæ in victoria. At non huc respicit auctor : sed sine delectu invitari facit peregrinas quæ essent Argis, ad celebrandum solemnem ipsis diem. Sic solebant. Ut indicat Liv. l. IV : « Spectaculum comitate hospitii, in quam publice consenserant, advenis gratius fecit. » Sic apud Eurip. in Electr. 784 Ægisthus sacrificans invitat ignotum Orestem pro Thessalo hospite: Νῦν μὲν παρ' ἡμῖν χρὴ συνεστίους ἐμοὶ Θοίνην γενέσθαι· τυγχάνω δὲ βουθυτῶν Νύμφαις. — Illud mirum, bis appellari Thebanas, hic, et dein vs. 317, « quæque virenti Tacitum ripa bibis Ismenon; » nisi altero Bœotos generatim intelligamus. Gron.

316. *Quæque Er.* etc. Quomodo possunt Argis, et quidem mulieres, quum Erasinum sine alia descriptione nominant, alium intelligere, quam quem videbant ante oculos? quemadmodum nos quum *Salam* dicimus, nostrum dicimus, non qui in Germania est, aut apud Suiones. Strabo post commemoratum Inachum, lib. VIII Messen. ἄλλος δὲ ποταμὸς Ἐρασῖνος ἐν τῇ Ἀργείᾳ ἐστιν. Fontes erant in Arcadia, exitus in Argolide. Arcades igitur intellige. Abeant in Atticam cum Attico suo Erasino. Gronov.

317. *Eurotam*, Laconiæ flumen. — Princeps quidam, nomine Eurotas, quum in Laconiæ stagnantem campis aquam, alveo facto, in mare deduxisset; quod fuit aquarum reliquum in justi amnis morem defluens, de suo nomine nuncupavit Eurotam. Cf. Pausan. in Laconic.

319. *Quam fatorum*. Hunc locum explicat illud Ovid. Met. VI, 157 sq. unde sumsit Noster : « Nam sata Tiresia venturi præscia Manto Per medias fuerat divino concita motu Vaticinata vias : Ismenides, ite fre-

Sata Tiresia, Latonigenas
Monuit sacris celebrare Deos.
Arcus victor pace relata,
Phœbe, relaxa,
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; resonetque manu
Pulsa citata vocale chelys.
Nil acre velim
Magnumque modis intonet altis:
Sed quale soles leviore lyra
Flectere carmen simplex; lusus
Quum docta tuos Musa recenset.

quentes, Et date Latonæ, Latonigenisque duobus Cum prece tura pia, lauroque innectite crinem. »

322. *Victor*, Laomedonteæ perfidiæ ultor.

323. *Relaxa*. Hor. lib. II, Od. x, 18 : « quoudam cithara tacentem Suscitat musam, neque semper arcum Tendit Apollo. »

326. *Pulsa citata chelys*, et inf. vers. 329, *leviore lyra*. Duæ sunt voces, *chelys* et *lyra*, quæ in Nostro similiter hoc loco sonant; non quod tamen unum et idem instrumentum vox utraque significaret. Ut forma poterat esse similis, ita differebat chordarum numerus. Prima omnium inventa fuit *chelys*, Mercurio auctore, si fabulis credatur; et Romanis vocata *testudo*, propterea quod e squamma testudinis erat confecta. Mercurius scilicet supinæ squammæ transversos aptaverat calamos, et ad eam squammæ partem ubi fuerant pedes testudinis, quasi duo brachia addiderat, inter se junctura quadam hærentia; et, ubi attingebant septem chordæ inæqualiter crassæ, et ad digitum vellicantis Mercurii resonantes. Alterius lyræ, quæ apud Græcos κιθάρα, et quæ quatuor instructa erat chordis, repertorem alii volunt Apollinem; alii, ut Plinius, Amphionem; alii Orphea, Linum. Septem admovit chordas Terpander, Simonides octo, Timotheus novem. Asserit Callimachus ob id citharam habuisse septem chordas, quod is numerus Apollini sit consecratus, et quod septem cycni, ad Dei natalitia, concentus ediderant. Vid. Thesaur. Antiq. Rom. Græv. tom. V, pag. 711; Bulenger. de Theat. lib. II, cap. 30 et 36; Quintilian. lib. XII, c. 10; Ascon. in Verr. I, 20, et Erasm. Adag. pag. 602, etc.

327. *Nil acre*. Nihil bellicum, nil grande, quale ubi vates afflatu concitatus; sed quiddam levius; vel pæana lætum, qualem canebas, post partam a Diis insignem victoriam de Gigantibus.

329. *Lyra*. Vid. supr. vs. 326, ad notam.

Licet et chorda graviore sones,
Quale canebas, quum Titanas
Fulmine victos videre Dei;
Vel quum montes montibus altis
Superimpositi struxere gradus
Trucibus monstris : stetit imposita
Pelion Ossa ; pinifer ambos
Pressit Olympus.
Ades, o magni, soror et conjux,
Consors sceptri, regia Juno:
Tua te colimus turba Mycenæ:
Tu sollicitum supplexque tui
Numinis Argos sola tueris;
Tu bella manu pacemque regis;
Tu nunc lauros Agamemnonias
Accipe victrix.
Tibi multifora tibia buxo
Solemne canit : tibi fila movent

338. *Pelion Ossa.* Virgil. Georg. I, 281 : «Ter sunt conati imponere Pelio Ossam Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum.» Ovid. Met. I, 155 sq. «Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subjectum Pelion Ossæ.»

342. *Tua te c. t. Myc.* Varias gentes sub vario numine positas fuisse probant hæc quæ sequuntur, Ovid. Fast. III, v. 960: «Pallada Cecropiæ, Minoia terra Dianam, Vulcanum tellus Hypsipylea colit : Junonem Sparte, Pelopeiadesque Mycenæ : Pinnigerum Fauni Mænalis ora caput. Mars Latio venerandus erat.» Vide quoque Tertullian. Apologet. cap. 10 et 24.

344. *Argos.* Creditur Argis nata Juno, unde Ἀργεία dicitur. «In Junonis honorem dicet ἱππόβοτον Ἄργος ditesque Mycenas;» ut sunt fere Horatii verba, Od. I, VIII, vs. 9.

346. *Tu nunc lauros*, etc. Mos erat, ut victores relatas lauros Jovi offerrent et Junoni. Inf. v. 390, not.

348. *Multifora tibia.* Ovid. Met. XIII, 158 : «Longave multifori delectat tibia buxi.» H. e. buxi, quod multa habet foramina. Apuleius in Floridis *multiforatiles tibias* dixit. Harum inventionem Osiridi tribuit Scaliger, in Arte poetica.

349. *Tibi fila movent*, id est, nervos ad verba, citharam cum voce movent. Argis enim, ut refert Dionysius Hal. A. R. I, 21, in tem-

Docta puellæ carmine molli.
Tibi votivam matres Graiæ
Lampada jactant : ad tua conjux
Candida tauri delubra cadit,
Nescia aratri, nullo collum
Signata jugo.
Tuque o magni nata Tonantis
Inclita Pallas, quæ Dardanias
Sæpe petisti cuspide turres :
Te permixto matrona minor
Majorque choro colit, et reserat
Veniente Dea templa sacerdos :
Tibi nexilibus turba coronis

plo Junonis fuere χοροί τε παρθένων ὑμνουσῶν τὴν θεὸν ᾠδαῖς πατρίοις.

352. *Lampada jactant*, etc. Ut in Herc. Fur. v. 302 : « Eleusin tacita jactabit faces ; » et in Hippolyto, vs. 107 : « Jactare tacitis conscias sacris faces. » Lactant. lib. I, c. 21 : « Idcirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur. » Λαμπαδηδρομία, quam huc applicant, nihil ad rhombum. Ea virorum certamen erat : hic matres Graiæ jactare faces illas dicuntur. Illa in Panathenæis, Vulcanalibus sive Hephæstiis et Prometheis celebrabatur : hæc potius similis est quinto Eleusiniorum diei, quæ et Λαμπάδων ἡμέρα dicebatur, qua matronæ solæ cum facibus incedentes repræsentabant Cererem errantem in quærenda Proserpina. Ejusmodi festum Junoni Argivæ matronas egisse finxit Seneca : ut apud Statium, Theb. X, 56, Junoni Argivæ fertur peplus, quod Athenis fiebat Minervæ. Gron. — Accipe quid adnotet, pro sua parte, Farnabius : Λαμπαδηδρομίαν (a Persis mutuatam) Athenienses in festis Panathenæis, Hephæstiis et Prometheis exercebant (Vulcano enim et Prometheo ex ope Minervæ inventum ignem ferunt), prius quidem Eleusin, postea ex Academia Athenas, accensam gestantes lampada, currendo certabant, quis primum ad metam perveniret, non exstincta lampade ; quandoque et defatigatus unus lampada alteri tradebat. Vid. Hercul. Fur. vs. 87.

357. *Quæ Dardanias*. Namque : « Omnis spes Danaum et cœpti fiducia belli Palladis auxilio semper stetit. » Virg. Æn. II, vs. 162.

359. *Minor*. Omnis ætatis ; junior seniorque.

362. *Nexilibus*. Plectilibus, quæ e ramulis (hic oleaginis, utpote Palladiis) innectebantur plectebanturve, unde dictæ. Ut *serta*, a serendo, *sutiles* quæ e floribus, mero imprimis rosarum folio consuebantur ; *pactiles*, quæ in torulo rotundo pangebantur.

Redimita venit.
Tibi grandævi lassique senes
Compote voto reddunt grates,
Libantque manu vina trementi.
Et te Triviam nota memores
Voce precamur : tu maternam
Sistere Delon, Lucina, jubes,
Huc atque illuc prius errantem
Cyclada ventis : nunc jam stabilis
Fixa terras radice tenet;
Respuit auras, religatque rates
Assueta sequi. Tu Tantalidos
Funera matris victrix numeras.
Stat nunc Sipyli vertice summo
Flebile saxum,
Et adhuc lacrimas mœsta æternum
Marmora manant antiqua novas.
Colit impense femina virque
Numen geminum. Tuque ante omnes,
Pater ac rector, fulmine pollens,
Cujus nutu simul extremi
Tremuere poli, generis nostri
Juppiter auctor, cape dona libens;

368. *Maternam.* Cic. lib. II, 48, accusat. io Verr. ait « Lstonam ex longo errore, et fuga, grsvidam et jam sd parieodum vicinam temporibus exsctis, fugisse Delum, stque ibi Apollinem et Dianam peperisse, » inoixsm scilic. vel olesstro, vel palmæ, ut Homerus tradidit. Virgil. Æn. IV, 144 : « ... Delum maternam invisit Apollo. »

369. *Lucina, jubes.* Virgilius, Æneid. III, vs. 162, hoc Apollini; Luciaous in dislogo Neptuni et Iridis, Neptuoo.

373. *Respuit.* Rejectst illisos veotos : quin et ipsa ratibus statio est, olim huc illuc acts, ut ratis.

374. *Tantalidos.* Niobes. Herc. Fur. 390; OEd. 613; Med. 954.

378. *Fundunt.* Callimach. Hymn. ad Apoll. vs. 23 : Ὅςις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐςήρικται, Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀϊζυρόν τι χανούσης.

381. *Num.* Apollin. et Dianam.

Abavusque tuam non degenerem
Respice prolem.
Sed, ecce, vasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa lætitiæ ferens:
Namque hasta summo lauream ferro gerit;
Fidusque regi semper Eurybates adest.

386. *Abavusque*, Agamemnonis, cui pater Atreus, Jovis nepos.

389. *Signa*. Victoriam testantes Græci, capiti, hastis, signis, statuis, curribus, puppibus laurus affigebant; necnon literis, foribus, fascibus, etc. Romani.

390. *Lauream*. Romani, victoria parta, multis rebus laurum alligabant, vel præferebant, vel mittebant, teste Plinio, Histor. Natur. lib. XV, cap. 30. Præferebantur imperatori *laureæ virgæ* et *fasces laureati*, Cicerone teste, de Divinatione lib. II. Capitolino in Gordiano, mittebantur ad senatum « laureatæ litteræ, » de quibus Capitolin. in Maxim. Marcellin. Cicero, Ovidius et alii citati a Pierio, lib. L Hieroglyph. et Lazio, Comment. lib. II, cap. 5, ubi docet has etiam vocatas *tabellas laureatas*. Sed et lictores lauro ornabantur, ut patet ex epist. Ciceronis ad Atticum. Mittebatur ad senatum *laurea* in Jovis Capitolini gremio reponenda: nam Geticæ laureæ Claudianus meminit, Pannoniceæ Plinius junior, et confirmat Pacatus in Theodosii Panegyrico. Redimiebantur *hastæ* lauro, ut docet Papinius, de pietate Abascantii, lib. V Silv. 1, 92: « Omnia nam lætas pila attollentia frondes: » (ut expono, lauros:) et ad hunc morem allusit hic Seneca. Item signa militaria, ex illo Sidonii, « atque suas ad signa jubet revirescere lauros. » Delr.

391. *Eurybates*, Ithacensis præco, et nuntius Agamemnonis.



ACTUS TERTIUS.

EURYBATES, CLYTÆMNESTRA.

EUR. Delubra et aras cælitum, et patrios lares
Post longa fessus spatia, vix credens mihi,
Supplex adoro. Vota superis solvite :
Telluris altum remeat Argolicæ decus
Tandem ad penates victor Agamemnon suos.
CLYT. Felix ad aures nuntius venit meas.
Ubinam petitus per decem conjux mihi
Annos moratur? pelagus, an terras premit?
EUR. Incolumis, auctus gloria, laude inclitus
Reducem expetito litori impressit pedem.
CLYT. Sacris colamus prosperum tandem diem,
Et si propitios, attamen lentos, Deos.

Act. III, sc. 1. Eurybates longiori sermone narrat Agamemnona reducem advenire, tempestatem a Pallade immissam Naupliique dolo aggravatam. Parantur diis victimæ et convivium Agamemnoni : captivæ deinde adducuntur.

392. *Delubra et aras cælitum.* Regionem aliquam ingressis, vel etiam in patriam postliminio reversis, moris erat genios loci Deosque Topicos salutare religiose, atque invocare.

393. *Vix credens mihi.* Me incolumem rediisse. Sic Æsch. Agam. vs. 515 : Οὐ γάρ ποτ' ηὔχουν τῇδ' ἐν Ἀργείᾳ χθονὶ Θανὼν μεθέξειν φιλτάτου τάφου μέρος, κ. τ. λ.

397. *Felix ad aures*, etc. Simulate hæc loquitur.

399. *Premit*, calcat.

403. *Et si propitios, attamen*, etc. Accipienda hæc : « si lentos, tamen propitios : etsi tarde, tamen exoratos. » Ut solet ludere in τοῖς *tam quam.* Vide Fabrum, Semestr. 23. Sensus idem Sophoclis in Trachiniis, vs. 197 : Ὦ Ζεῦ, τὸν Οἴτης ἄτομον ὃς λειμῶν' ἔχεις, Ἔδωκας ἡμῖν, ἀλλὰ σὺν χρόνῳ, χαράν! Et in Philocteta, 1402 : Ὦ φθέγμα ποθεινὸν ἐμοὶ πέμψας Χρόνιός τε φανείς.

Tu pande, vivat conjugis frater mei,
Et pande, teneat quas soror sedes mea.
EUR. Meliora votis posco, et obtestor Deos.
Nam certa fari sors maris dubii vetat.
Ut sparsa tumidum classis excepit mare,
Ratis videre socia non potuit ratem.
Quin ipse Atrides æquore immenso vagus
Graviora pelago damna, quam bello, tulit;
Remeatque victo similis, exiguas trahens
Lacerasque victor classe de tanta rates.
CLYT. Effare, casus quis rates hausit meas?
Aut quæ maris fortuna dispulerit duces?
EUR. Acerba fatu poscis. infaustum jubes
Miscere læto nuntium: refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorrescit malis.
CLYT. Exprome: clades scire qui refugit suas,
Gravat timorem: dubia plus torquent mala.
EUR. Ut Pergamum omne Dorica cecidit face,
Divisa præda est: maria properantes petunt;
Jamque ense fessum miles exonerat latus;
Neglecta summas scuta per puppes jacent;
Ad militares remus aptatur manus;
Omnisque nimium longa properanti mora est.

404. *Conjugis frater*, Menelaus.

405. *Soror*, Helens.

406. *Meliora votis posco.* Spero quidem precorque eos in vivis esse; verum, propter tempestatem incertus, non ausim affirmare ita esse.

408. *Classis excepit mare.* Utrum *accepit?* an excusas, ut Æn. III, 61, « dare classibus Austros: » ἀντὶ τοῦ « mare excepit classem. » Prior sensus magis arrideat.

412. *Exiguas trahens rates.* Id est, paucas, easque male multatas.

416. *Acerba.* Virg. Æn. lib. II, 3: « Infandum, regina, jubes renovare dolorem. » — *Infaustum.* De tempestate.

417. *Læto*, sub. nuntio; sc. de reditu. — *Refugit.* Virg. loc. sup. cit. « Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit. »

420. *Dubia.* Non pro certis nota: timentur quippe, ne veris majora sint.

Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba,
Aurata primas prora designat vias,
Aperitque cursus, mille quos puppes secent.
Hinc aura primo lenis impellit rates,
Allapsa velis : unda vix actu levi
Tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit;
Splendetque classe pelagus, et pariter latet.
Juvat videre nuda Trojæ litora,
Juvat relicti sola Sigei loca.
Properat juventus omnis adductos simul
Lentare remos : adjuvat ventos manu,
Et valida nisu brachia alterno movet.
Sulcata vibrant æquora, et latera increpant;

427. *Signum*. Virg. Æn. II, 256: « Flammas ut regia puppis extulerat: » quod reliquæ classi legendi anchoras viæque signum est.

429. *Aurata*, regia navis, cujus rostrum auratum est.

432. *Unda vix actu levi Tranquilla*. Unda, inquit, tranquilla, a molli zephyro afflata, vix levi actu tremit, vix levi agitatione trepidat.

434. *Splendetque classe pelagus, et pariter latet*. Auratis, æratisque rostris et puppibus pictis armisque suspensis mare splendet, tegitur tamen navium numero.

435. *Juvat*. Juvat nos discedentes videre desolata atque depopulata a nobis Trojæ littora.

436. *Sigæi*, promontorii Troadis.

438. *Lentare*. Incurvare et flectere in undis, juvenili vi ac desiderio reditus. — *Adjuvat*. Velificationi remigium addunt.

440. *Et latera increpant*. Egregie dictum, sed non intellectum commentatoribus. Quorum unus : ut faciunt læti in navigando, qui clamant in sponda navis : ideo dicit *increpant*, i. e. resonant latera navium. Alius : navium latera increpant remigantium impetu. Οὐδετέρως accipiunt verbum, agendi more positum. Immo æquora sulcata non modo vibrant, sed eadem quoque sulcata æquora *increpant* utrumque latus navium, id est, assiliunt cum fremitu et alliduntur. Pari translatione Cæsar, de Bello Gall. lib. III, 13 : « naves totæ factæ ex robore ad quamvis vim et contumeliam perferendam. » Nam et contumeliosæ voces increpantium, seu objurgantium et inclamantium aliquem. Nihil aptius illustrando huic loco, quam Florus, l. I, c. 18 : « cujus valli dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu. » Ovidius de nave Ceycis, Met. XI, 507 : « Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragu-

Dirimuntque canæ cærulum spumæ mare.
Ut aura plenos fortior tendit sinus,
Posuere tonsas; credita est vento ratis:
Fususque transtris miles, aut terras procul,
Quantum recedunt vela, fugientes notat;
Aut bella narrat; Hectoris fortis minas,
Currusque, et emto redditum corpus rogo:
Sparsum cruore regis Herceum Jovem.
Tunc qui jacente reciprocus ludit salo,
Tumidumque pando transilit dorso mare,
Tyrrhenus omni piscis exsultat freto,
Agitatque gyros, et comes lateri adnatat,
Anteire naves lætus, et rursus sequi.

rem : Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim Quum laceras aries ballistave concutit arces. » Et Metam. XI, 529 : « Ubi pulsarunt celsi latera ardua fluctus. »

443. *Tonsas*, remos. Delrius explicat : Palmulas, imas remorum partes, quibus aqua tunditur. Virg. Æn. VII, 28 : « lento luctantur marmore tonsæ. » Nisum ipsum remigantium expressit Ennius, Fragm. ex lib. VII, Annal. « Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas. »

444. *Fususque transtris*. Transtra, loca in quibus sedent remiges : spatium vero, seu iter per quod ad remiges hortator solet accedere; quod a puppi ad proram protenditur, dicebatur *agea*, ut ait Festus. — *Aut terras procul*. Vid. Troad. vs 1046, et Med. 303.

446. *Hectoris*. Quum flammas Argivæ classi inferret. Vid. Troad. vs. 440.

447. *Currusque*, Achillis, quibus raptabatur Hector. Conf. Troad. vs. 742. — *Et emto redditum*, patri Priamo. Conf. Troad. vs. 325.

448. *Regis*. Priami cæsi ad aram Hercei Jovis. Troad. vs. 45.

450. *Pando*, incurvo. — *Transilit*. Velocissimus enim Delphin. Attius : « Sicut inciti, atque alacres rostris perfremunt delphini. » De piscium istorum prognostico accipe, quæ ex Pacuvio Tullius, de Divinat. lib. II, cap. 168, scribit. Achivorum exercitum, et tot navium rectores lætos piscium lasciviam intuitos fuisse, nec tuendi satietatem capere potuisse dicit Pacuvius : ad quem locum Noster hic videtur respexisse.

451. *Tyrrhenus*. Delphin ex fabula Tyrrhenorum piratarum in delphinos versorum. Vid. OEdip. vs. 449. — *Exsultat*. Delphini in tranquillo mari lascivientes futuram tempestatem portendunt. Hiemali enim procella ingruente, ab imo mari exsurgunt exhalationes, quæ tempestati fomenta suggerunt, quibus delphini excitati gestiunt, atque in maris superficie colludunt.

Nunc primæ tangens rostra lascivit chorus,
Millesimam nunc ambit et lustrat ratem.
Jam litus omne tegitur, et campi latent,
Et dubia parent montis Idæi juga.
Et, id quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
Jam lassa Titan colla relevabat jugo;
In astra jam lux prona, jam præceps dies.
Exigua nubes sordido crescens globo
Nitidum cadentis inquinat Phœbi jubar.
Suspecta varius occidens fecit freta.
Nox prima cælum sparserat stellis : jacent
Deserta vento vela : tum murmur grave,
Majora minitans, collibus summis cadit,
Tractuque longo litus ac petræ gemunt.
Agitata ventis unda venturis tumet:
Quum subito luna conditur, stellæ latent.

454. *Prima rostra.* Primas classis naves. — *Chorus.* Delphinum saltantium.

455. *Millesimam*, etc. Æschylus classem Græcorum mille navium. Idem Euripid. Virgil. Æn. II, 198; Propertius : sed Dictys naves autumat MCCXCV.

456. *Jam litus.* Jam, nobis in altum provectis, humiliora Troadis absconduntur; Idæ montes vix apparent. Troad. vs. 1049 sqq.

460. *Jam lassa Titan colla relev. jugo.* Jam Phœbus solvere parabat colla equorum suorum fumantia.

462. *Exigua nubes*, etc. Nubibus conspersus sol occidens, ventorum et pluviæ prognosticon.

464. *Suspecta varius.* Virg. Georg. I, vs. 450 sqq. « Hoc etiam emenso quum jam decedet Olympo, Profuerit meminisse magis : nam sæpe videmus Ipsius in vultu varios errare colores. Cærulens pluviam denuntiat, igneus Euros : sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni; Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis Fervere : non illa quisquam me nocte per altum Ire, neque a terra moneat convellere funem. »

466. *Murmur.* Fere similiter in simili loco *S. Lambert*, *les Saisons*, ch. II : « D'un tonnerre éloigné le bruit s'est fait entendre : Les flots en ont frémi; l'air en est ébranlé; Et le long du vallon le feuillage a tremblé. Les monts ont prolongé le lugubre murmure, Dont le son lent et sourd attriste la nature. » Cf. Virg. G. I, 356 sqq. Aratus Progn. 177 sqq. Lucan. V, 565 sqq.

470. *Latent.* Vid. Animadv.

In astra pontus tollitur : cælum perit.
Nec una nox est : densa tenebras obruit
Caligo, et, omni luce subducta, fretum
Cælumque miscet : undique incumbunt simul,
Rapiuntque pelagus, infimo eversum solo,
Adversus Euro Zephyrus, et Boreæ Notus.
Sua quisque mittunt tela, et infesti fretum
Emoliuntur : turbo convolvit mare.
Strymonius altas Aquilo contorquet nives;
Libycusque arenas Auster ad Syrtes agit.
Nec manet in Austro; fit gravis nimbis Notus,
Imbre auget undas; Eurus Orientem movet,
Nabathæa quatiens regna, et Eoos sinus.
Quid rabidus ora Corus Oceano exserens?

471. *In astra*, etc. Ovid. Met. XI, 497 : « Fluctibus erigitur, cælumque æquare videtur Pontus. » — *Cælum perit.* Eripiunt nubes cælum. — Attius in Clytæmnestra : « Deûm regnator nocte cæca cælum e conspectu abstulit. »

472. *Nec una.* Non simplices, non noctis solius tenebræ. Lucan. Phars. V, 627 : « Non cæli nox illa fuit. » Ovid. Metam. IX, 521 : « Cæcaque nox premitur tenebris hiemisque suisque. »

474. *Cælumque miscet.* Ita ut neutrum discerni possit, et mare et cælum. Virg. Æn. I, 88 sqq.

478. *Emoliuntur.* Molem freti loco movent, evertunt.

480. *Libycusque.* Herc. Fur. 322. Sensus est : Austrum Syrtes accumulasse arenis, et undas ab illis abegisse. Lucan. Phars. lib. I, vs. 499 : « Quum turbidus Auster reppulit a Libycis immensum Syrtibus æquor. » Lib. IX, vs. 320 sqq. « ... Auster In sua regna furens tentatum classibus æquor Turbine defendit, longeque a Syrtibus undas Egit, et illato confregit litore pontum. » — *Arenas Auster ad Syrtes agit.* Nam, ut ait Sallustius in Jug. cap. 78, de Syrtibus, « ubi mare magnum esse, et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt. »

481. *Nec manet.* Nec manet tempestatis dominium penes Austrum, vel in australi parte. Imuo gradu depulsus, udo cedit Noto. Statius, Theb. VIII, 425 : « Stat cæli diversa acies, nunc fortior Austri, Nunc Aquilonis hiems, donec pugnante procella Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno. »

482. *Imbre*, quem vehit ipse.

483. *Nabathæa regna*, Arabiam Petræam. Ovid. Met. I, 61.

484. *Quid rabidus.* Quid autem Corus fecit? etc. De Coro conf. infra vs. 598. — *Ora Oceano ex-*

Mundum revelli sedibus totum suis,
Ipsosque rupto crederes cælo Deos
Decidere, et atrum rebus induci chaos.
Vento resistit æstus, et ventus retro
Æstum revolvit : non capit sese mare;
Undasque miscent imber et fluctus suas.
Nec hoc levamen denique ærumnis datur,
Videre saltem, et nosse quo pereant malo.
Premunt tenebræ lumina, et diræ Stygis
Inferna nox est : excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisa micat;
Miserisque lucis tanta dulcedo est malæ.
Hoc lumen optant : ipsa se classis premit,
Et prora proræ nocuit, et lateri latus.
Illam dehiscens pontus in præceps rapit,
Hauritque, et alto redditam revomit mare.
Hæc onere sidit : illa convulsum latus
Summittit undis : fluctus hanc decimus tegit.

ferens. Intellige, flans ab occidente. Nam Ὠκεανὸς poetis ἡ δύσις. Hinc Lucan. lib. V, 598 : « Primus ab Oceano caput exseris Atlanteo, Core, movens æstus; jam te tollente furebat Pontus, et in scopulos totas erexerat iras. »

487. *Atrum.* Non quod illi color ullus, sed quia nullus certus.

488. *Æstum*, sc. maris.

489. *Non capit.* Verum, tumidis undis æstuque sublatum in aera, cælum æquare videtur.

491. *Ærumnis datur.* Vid. Animadvers. et Œdip. 848.

492. *Videre saltem.* Apud Homer. Iliad. XVII, vs. 647 : Ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον, ἐπεί νύ τοι εὔαδεν οὕτως.

493. *Diræ Stygis nox.* Tartareæ tenebræ.

494. *Excidunt*, interdum apparent, nec nisi fulminibus lux redditur. Vid. Thyest. vs. 1085.

499. *Illam*, etc. Sic fere Virg. Æneid. lib. I, vs. 116 : « ... illum ter fluctus ibidem Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore vortex. »

500. *Alto redditam.* Id est, imo fundo redditam, ut loquitur Virgilius, Æn. V, 178.—Hunc sensum sic confirmat Gronovius: Hoc est, et diu sub undis tractam, remotissimo ab eo, ubi absorbuit, loco, et in alius nominis mare (ut plurima circa insulas habet nomina, Lesbium, Icarium, Carpathium, etc.) rursus evehit ac profert.

502. *Fluctus decimus*, decumanus, id est, maximus.

Hæc lacera, et omni decore populato levis
Fluitat; nec illi vela, nec tonsæ manent;
Nec rectus altas malus antennas ferens,
Sed trunca toto puppis Ionio natat.
Nil ratio et usus audet : ars cessit malis.
Tenet horror artus : omnis officio stupet
Navita relicto : remus effugit manus.
In vota miseros ultimus cogit timor,
Eademque superos Troes et Danai rogant.
Quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,
Ajaci Ulysses, Hectori Atrides minor,
Agamemnon Priamo : quisquis ad Trojam jàcet,
Felix vocatur, cadere qui meruit gradu,

503. *Hæc lacera.* Describit similiter Virgilius navem male mulctatam, Æneid. V, 270 : « Sævo e scopulo multa vix arte revulsus, amissis remis, atque ordine debilis uno, Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat. » et paulo post : « Tali remigio navis se tarda movebat. » — *Decore*, vexillorum, aplustrium ornatu spoliata.

504. *Levis fluitat.* Cicero pro Sextio, cap. 46 : « Quum vero in hanc reipublicæ navem, ereptis senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum, armatæ tot classes, nisi ego unus deditus essem, incursuræ viderentur. »

506. *Sed trunca toto puppis Ionio natat.* Petron. c. 114 : « non arbor erat relicta, non gubernacula, non funis, aut remus, sed quasi rudis atque infecta materies ibat cum fluctibus. »

507. *Ars cessit malis.* Ovidius, Trist. I, 2, 32 : « Rector in incerto est : nec, quid fugiatve petatve, Invenit : ambiguis ars stupet ipsa malis. »

511. *Eademque rogant.* Scilicet ut evadant maris truculentiam, ne submergantur.

512. *Quid fata.* Vide quid Deorum fata possint; quæ in una eademque vota Troas Danaosque adegerint. Vel referas ad sequentia : vide quid intersit inter fati et mortis genera, quum in aquis perituri his invideant qui vel inimici, vel per insidias et dedecus in terra mortem oppetierant : maxime autem detestabantur fortes hoc mortis genus, qui, quum animam igneam esse censerent, aquis illam prorsus exstingui putabant, et in quo mortis genere non potest quis suæ fortitudinis specimen dare.

514. Vid. Animadversion. in nom. *Agamemno.*

515. *Cadere qui meruit gradu.* Vid. Animadv.—Cæterum, *cadere meruerunt gradu*, qui in solida terra pugnantes, inque gradu et in statu

Quem fama servat, victa quem tellus premit.
Nil nobile ausos pontus atque undæ ferent?
Ignava fortes fata consument viros?
Perdenda mors est : quisquis es nondum malis
Satiate tantis cælitum, tandem tuum
Numen serena : cladibus nostris daret
Vel Troja lacrimas : odia si durant tua,
Placetque mitti Doricum exitio genus;
Quid hos simul perire nobiscum juvat,
Quibus perimus? Sistite infestum mare :
Vehit ista Danaos classis; et Troas vehit.
Nec plura possunt : occupat vocem mare.
Ecce alia clades : fulmine irati Jovis
Armata Pallas, quidquid aut hasta minax,
Aut ægide et furore Gorgoneo potest,
Aut igne patrio, tentat; et cælo novæ
Spirant procellæ : solus invictus malis
Luctatur Ajax : vela cogentem hunc sua

recti, pulchram petunt per vulnera mortem, non pendentes in fluctibus.

516. *Quem fama.* Quod fortiter pugnando occiderit. — *Victa quem tellus premit.* Qui ad Trojam sepultus est.

521. *Cladibus.* Virg. Æneid. XI, 259 : « pœnas expendimus omnes, Vel Priamo miseranda manus. »

524. *Hos simul.* Id est, Trojanos captivos.

525. *Quibus perimus.* In quorum ultionem.

526. *Vehit ista*, etc. Sensus est : Si irati estis classi, quod Græcos victores vehat, mementote eadem Trojanos victos vehi.

528. *Fulmine.* Vid. Med. 59.

529. *Armata Pallas.* Cui hinc nomen scilicet, παρὰ τὸ πάλλειν δόρυ. — *Fulmine Jov.* Non est hoc abs re confictum : nam in libris Etruscorum scriptum fuit, manubias, id est, fulminum jactus, tres Deos possidere, Jovem, Palladem et Vulcanum : docet hæc Servius, ad illud Virgilii Æn. I, 42 : « Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem, Disjecitque rates, etc. »

530. *Aut ægide Gorgonea*, scuto, munimento pectoris, quod τῆς αἰγὸς, i. e. capræ Amaltheæ pelle (seu potius squammoso draconum corio) contectum Jupiter Palladi dedit; huic postea Perseus caput Medusæ Gorgonis indidit, cujus aspectu homines in saxa vertebantur.

Tenso rudente flamma perstrinxit cadens.
Libratur aliud fulmen : hoc toto impetu
Certum reducta Pallas excussit manu,
Imitata patrem : transit Ajacem, et ratem,
Ratisque partem secum et Ajacis tulit.
Nil ille motus, ardua ut cautes salo
Ambustus exstat, dirimit insanum mare,
Fluctusque rumpit pectore, et navem manu
Complexus in se traxit, et cæco mari
Collucet Ajax : omne resplendet fretum.
Tandem occupata rupe, furibundum intonat,
Superasse nunc se pelagus, atque ignes : «Juvat

535. *Toto impetu*, etc. Quo validius torqueret, Ajacem Oïlei filium ultura, quod Cassandram in templo suo ante aras violasset.

536. *Certum reducta. Certum* est, quod in aliquam rem libratur et scopo destinatur : et hoc loco, haud dubie percutit et transfixum exurit ipsum Ajacem. — *Reducta* pro, adducta et retracta. Conf. de hac potestate verbi Heinsium ad Ovid. Met. VI, 107.

537. *Patrem*, Jovem, qui « dextra libratum fulmen ab aure Misit, » in Phaethonta, ut Ovidianis utar verbis, Met. II, 311.

540. *Dirimit*, natans.

543. *Collucet*, ignibus fulmineis ardens, non ira, ut quidam volunt.

544. *Furibundum*. Hom. Odyss. IV, 503, ὑπερφίαλον ἔπος ἔκβαλε, καὶ μέγ' ἀάσθη· Φῆ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης, etc. Virgil. Æn. lib. I, vs. 41 : « furias Ajacis Oïlei. » Quod alii de furioso amore interpretantur. — Perisse tunc Ajacem volunt omnes poetæ cum Homero : idem testatur Aristoteles in Epitaph. et vult in Mycono, insula maris Ægæi, sepultum. Tamen evasisse naufragium, docet Timæus Locrus, Histor. lib. II, qui scribit, post captam Trojam, multos Locrensium naufragio ad Gereas petras interiisse, reliquos cum Ajace per summas difficultates et pericula tandem in patriam rediisse. Sed anno postea tertio, quod eorum ditionem fames et pestilitas simul invaserant, propter facinus ab Ajace cum Cassandra nefarie patratum, oraculum consuluere Locri, quibus est responsum, debere Trojanam Palladem ab illis per mille annos placari, missis sortito quotannis Trojam duabus virginibus Locris. Mansit illa consuetudo diu postmodum, et Trojani virgines missas obvii capiebant et jugulabant, et jugulatas agrestibus et sterilibus lignis comburebant : ad bellum usque Phocense retenta hæc consuetudo et ritus. Tunc demum sacrificii vel potius impiæ crudelitatis immunitas Locrensibus concessa.

« Vicisse cælum, Palladem, fulmen, mare:
« Non me fugavit bellici terror Dei;
« Et Hectorem una solus et Martem tuli:
« Phœbea nec me tela pepulerunt gradu.
« Cum Phrygibus istos vicimus: tandem horream
« Aliena inerti tela mitti dextera?
« Quid si ipse mittat? » Plura quum auderet furens,
Tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus, imis exserens undis caput,
Solvitque montem; quem cadens secum tulit:
Terraque et igne victus et pelago jacet.
Nos alia major naufragos pestis vocat.
Est humilis unda, scrupeis mendax vadis,
Ubi saxa rapidis clusa vorticibus tegit
Fallax Caphareus: æstuat scopulis fretum,
Fervetque semper fluctus alterna vice;
Arx imminet prærupta, quæ spectat mare
Utrinque geminum. Pelopis hinc oras tui,
Et Isthmon, arcto qui recurvatus solo
Ionia jungi maria Phrixeis vetat;

548. *Hectorem*. Alteri Ajaci magis hæc convenisnt, quæ tamen hic furens et jsctsbundns in se transfert.

549. *Phœbea*. Apollinis, qui a Trojanis stetit.

550. *Istos*, Deos, Neptunum, Apollinem.—*Tandem horream*. Vid. Animsdv.

551. *Aliena*, Jovis fulmina. — *Inerti*, feminea, Palladis.

552. *Ipse*, Jupiter.

555. *Secum*. Rupe obrutus, fulmine ambustns, undis submersus.

556. *Terraque et igne*. Quintus Calaber, XIV, vs. 588, de eodem: Ἀμφὶ δέ μιν θανάτοιο μέλας ἐκιχήσατ' ὄλεθρος, Γαίῃ ὁμῶς δμηθέντα, καὶ ἀτρυγέτῳ ἐνὶ πόντῳ.

560. *Caphareus*, mons Eubœæ. Vid. Med. vs. 659. Hoc loco Nauplius Palamedis pater Græcos in cæca saxa pertraxit: unde Pacuv. « ... pater In Caphareis saxis pleros Achivos perdidit. »

561. *Alterna*. Respicit ad Euripum.

563. *Tui*, avi, scil. Agamemnonis mariti tui.

564. *Arcto qui*. Nonnus Dionys. pag. 1052, vs. 17: ...ῥάχις Ἰσθμοῦ Στεινὴ μῆκος ἔχοντος, ὅπῃ διδύμης μέσος ἅλμης, Κύμασιν ἀμφοτέροισιν ἀράσσεται ὄρθιος αὐχήν.

Hinc scelere Lemnon nobilem ; hinc et Chalcida;
Tardamque ratibus Aulida : hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor, et clarum manu
Lumen nefanda vertice e summo efferens,
In saxa duxit perfida classem face.
Hærent acutis rupibus fixæ rates.
Has inopis undæ brevia comminuunt vada.
Pars vehitur hujus prima, pars scopulo sedet.
Hanc alia retro spatia relegentem ferit,
Et fracta frangit : jam timent terram rates,
Et maria malunt. Cecidit in lucem furor.
Postquam litatum est Ilio, Phœbus redit,
Et damna noctis tristis ostendit dies.
CLYT. Utrumne doleam, læter an reducem virum?
Remeasse lætor : vulnus at regni grave
Lugere cogor : redde jam Graiis, pater,

566. *Scelere.* Feminarum, quæ, a maritis spretæ, viros omnes interfecerunt, præter Hypsipylen, quæ patrem Thoantem clam navi amandavit. — *Hinc et Chalcida.* Mentionem Chalcidis movisse videtur Æschylus, Agamemn. vs. 198 : Εὖτ' ἀπλοίᾳ κεναγγεῖ Βαρύνοντ' Ἀχαϊκὸς λεώς, Χαλκίδος πέραν ἔχων παλιῤῥό-Θοις ἐν Αὐλίδος τόποις.

567. *Tardamque.* Quæ bis morata erat classem græcam exituram, Troad. vs. 164; et redituram, ibid.

568. *Pal. ille genitor.* Emphasis. Nauplius. Med. vs. 659. Quem, ut classem perderet, impulsum volunt cupiditate ulciscendi Agamemnonem et Ulyssem, qui Palamedem occiderant juxta plerosque : nam Dares a Paride interfectum fuisse scribit. Utut est, Xenophon in Cyneg. I, 11, tradit, mortem Palamedis a Diis vindicatam fuisse.

570. *Perfida.* Tutos præ se ferenti portus.

576. *Et maria malunt.* Imitatus Lucan. V, 453 : « Casibus innumeris fixæ patuere carinæ, etc. » Et IX, 331 sq. « Sors melior classi, quæ flatibus incidit altis, Et certo jactata mari. » *Crébillon* in tragœdia, cui titulus est *Idoménée*, I, 2 : « Et Neptune en courroux à tant de malheureux N'offrait pour tout salut que des rochers affreux. » — *Cecidit in lucem.* Id est, sub lucem desiit tempestas, ut bene vetus interpres.

578. *Damna.* Cladem et damnum amissæ noctu classis.

581. *Pater.* Jovem usurpat patrem. Vide Hippol. 299 sq. Quamvis Pollux et Helena Jovis editi ovo

Altisona quatiens regna, placatos Deos.
Nunc omne læta fronde veletur caput.
Sacrifica dulces tibia effundat modos;
Et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce turba tristis, incomtæ comas,
Iliades adsunt, quas super celso gradu
Effrena Phœbas entheas laurus quatit.

CHORUS ILIADUM, CASSANDRA.

CHOR. Heu quam dulce malum mortalibus additum,
Vitæ dirus amor, quum pateat malis
Effugium, et miseros libera mors vocet,

soli dicantur, sitque cum Castore Clytæmnestra Tyndaro nata.

583. *Læta fronde*, triumphali.

584. *Sacrifica*, sacris adhibita.

585. *Nivea*, Diis superis debita, ut *atra* inferis; *victima*, quia major et a victoribus mactata.

586. *Turba tristis*, scil. Troades captivæ.

588. *Phœbas*, Cassandra, Phœbi vates. Tryphiodorus, Ilii Excid. vs. 354, de eadem: Τοίη μαντιπόλοιο βολῆς ὑπενύγματι κούρη Πλαζομένη κραδίην, ἱερὴν ἀνασείετο δάφνην.

Act. III, sc. II. Chorus Iliadum Trojæ fata casumque luget. Cassandra, furore Phœbeio correpta, quæ Agamemnoni imminent, vaticinatur.

590. *Dirus.* Etiam in miseris.— *Pateat.* Per mortem, qui stoicis portus aliquando petendus, nunquam recusandus. Cf. Herc. Fur. 426. — *Quum pateat malis*, etc. Fere similiter sonant hæc nostratis Andreæ *Chénier*, carmina, in Fragmentis: « Souvent, las d'être esclave, et de boire la lie De ce calice amer que l'on nomme la vie; Las du mépris des sots qui suit la pauvreté, Je regarde la tombe, asile souhaité; Je souris à la mort volontaire et prochaine; Je me prie, en pleurant, d'oser rompre ma chaîne. Et puis, mon cœur s'écoute et cède à la faiblesse: Mes parents, mes amis, l'avenir, ma jeunesse, Mes écrits imparfaits: car toujours, à ses yeux, L'homme sait se cacher d'un voile spécieux. A quelque noir destin qu'elle soit asservie, D'une invincible étreinte il embrasse la vie, Et va chercher bien loin, plutôt que de mourir, Quelque prétexte ami pour vivre et pour souffrir. Il a souffert, il souffre. Aveugle d'espérance, Il se traîne au tombeau de souffrance en souffrance; Et la mort, de nos maux ce refuge si doux, N'est pour lui qu'un tourment le plus cruel de tous. »

Portus æterna placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella Fortunæ movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta : nullos civium cœtus
Timet, aut minaces victoris iras;
Non maria asperis insana Coris :
Non acies feras,
Pulvereamve nubem,
Motam barbaricis equitum catervis;
Hostica aut muros populante flamma,
Urbe cum tota populos cadentes;
Indomitumve bellum : perrumpet omne
Servitium contemtor levium Deorum,
Qui vultus Acherontis atri,
Qui Styga tristem non tristis videt,

592. *Æt. pl. quiete.* Τὸν ἡσυχίης γενετῆρα mortem vocat Agathias, Br. an. t. 3, p. 63, Ep. LXXXI, vs. 1.

595. *Iniqui flamma Tonantis.* I. e. fulmen temere cadens.

596. *Pax alta : nullos.* « Non civium ardor prava jubentium, non vultus instantis tyranni, etc. » Imitatio Horatii, Od. III, 3, 9. Mortis contemtor omnia contemnit. FARN. — Sensus generalis est : mors est portus tranquillus. Qui mortem non metuit, sed lætus adit, hunc nullus terror, nulla calamitas, non fulmen movet : pace alta fruitur : non seditiones, non inimicum superiorem, non tempestatem et naufragium, non prælia, non incursiones hostiles, non excidia urbium timet; non potest servire cogi : ridet abeuntem fortunam et excedentes Deos adytis arisque relictis, quibus ipse steterat. Denique rex est, et cælestibus par. Clauditur periodus τοῖς ponere finem, vs. 608 : ibi ergo subjiciatur finiti sermonis nota. GRON.

598. *Coris.* Ventis. Plin. II, 47; Aristotel. Meteor. II, 6, asserunt Corum et Argestem eumdem esse ventum, et violentum spirare.

606. *Vultus Acherontis.* Hic locus plane ex illo, Georg. II, 492, «...strepitumque Acherontis avari Subjecit pedibus. » Quam Epicuream sententiam Virgilius a magistro suo Syrone didicerat. Epicuri autem et Metrodori adeo studiosus fuit Seneca, ut nesciam quare stoicum quidam illum malint quam Epicureum : quod ejus epistolæ palam clamant. SCALIGER.

607. *Tristem non tristis.* Ἀντίθεσις πολύπτωτος.

Audetque vitæ ponere finem.
Par ille regi, par superis erit.
O quam miserum est nescire mori!
Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
Quum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.
Non illa bello victa, nec armis,
Ut quondam Herculea cecidit pharetra:
Quam non Pelei Thetidisque natus,
Carusque Pelidæ nimium feroci
Vicit, acceptis quum fulsit armis,
Fuditque Troas falsus Achilles:
Aut quum ipse Pelides animos feroces
Sustulit luctu, celeremque saltu
Troades summis timuere muris.
Perdidit in malis extremum decus,

610. *Mori.* Quod effugium est et portus ex miseriis. Vid. sup. 590.

611. *Nocte funesta.* Excidium Trojæ in noctem incidisse consentaneum est Æschylo in Agamemn. et Euripidi in Hecuba: auctor parvæ Iliadis idipsum probat: Νὺξ μὲν ἔην μεσάτα, λαμπρὰ δ' ἐπέτελλε σελήνη. Petronius Arbiter, in Trojæ Halosi: « Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar, Minora ducens astra radiante face, Quum inter sepultos Priamidas nocte et mero Danai relaxant claustra. » Sed quæ nox illa fuerit, nemo facile certo dixerit, qui sciat Hellanicum, Dionysium Argivum et Lysimachum prodidisse Trojam captam XII febr.; Callisthenem vero, lib. II græcanicæ historiæ, februario ineunte. Qui Attica scripserunt, in octavum diem hujus mensis desinentis hanc cladem rejiciunt: nec defuerunt, qui ad octavum desinentis martii id retulerint. Dercylas autem et Ægias contendunt fuisse octavum desinentis Πανέμου, h. e. si Corinthios audimus, julii; sin Bœotios sequimur, maii: hæc ex Euripidis scholiis græcis, et Clemente Ægyptio decerpsi. DELRIUS.

613. *Non bello.* Sed insidiis et dolo. Virg. Æneid. II, vs. 196: « ... captique dolis lacrimisque coactis, Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles, Non anni domuere decem, non mille carinæ. »

614. *Ut quondam.* Sub Laomedonte. Vid. Troad. 137 et 723 sq.

615. *Pelei natus*, Achilles.

616. *Carusque.* Patroclus Achillis armis indutus.

620. *Sustulit.* Iterum resumsit. — *Celeremque saltu.* Πόδας ὠκὺς, Homer. Achillis nempe saltus Trojæ excidio fatalis. Lycophr. et Lucian. lib. περὶ ὀρχήσεως.

Fortiter vinci : restitit annis
Troja bis quinis,
Unius noctis peritura furto.
Vidimus simulata dona molis immensæ;
Danaûmque fatale munus duximus nostra
Creduli dextra ; tremuitque sæpe
Limine in primo sonipes, cavernis
Conditos reges bellumque gestans :
Et licuit versare dolos, ut ipsi
Fraude sua capti caderent Pelasgi.
Sæpe commotæ sonuere parmæ,
Tacitumque murmur percussit aures;
Et fremuit male subdolo

625. *Furto*, dolis et insidiis.

626. *Dona*, Minervæ pro reditu vota. — *Molis immensæ*. Equi Duratei; sive πολιορκητικὸν fuerit illud μηχάνημα, seu porta equi insigni picta per proditionem Græcis aperta, seu mons Hippius in quo ex insidiis Græci Trojanos interceperunt simulque urbem irruperunt, seu denique equitatus Græcorum.

627. *Fatale*. Primo enim excisum est Ilium propter equos Herculi ex pacto non datos a Laomedonte : secundo per equum durateum, de quo hoc in loco; tertio per equum, qui, valvis interceptus, Romanis irruendi potestatem fecit, quum Ilienses Cinnam cons. in urbem recipere noluerunt. FARNAB.

628. *Creduli*. Sinoni fidem habentes.

630. *Cavernis conditos reges*. Quos recensent Smyrnæus, Coluthus et Virgilius ; et hic, Æn. II, 261 sq.

631. *Versare*. In ipsos auctores vertisse dolos, « si mens non læva fuisset. » Virg. Æneid. II, vs. 54.

633. *Sæpe*, etc. Æn. II, 243. « Atque utero sonitum quater arma dedere. »

634. *Percussit aures*. Verberavit : nam Stoicis, ut Archedemo in lib. de voce, Chrysippo, lib. II Natur. Antipatro, et Diogeni apud Laertium, lib. VII, vox corporatum quiddam est : quia, inquiunt, omne quod facit et patitur corporatum : vox et sonus patiuntur, quum a locis solidis et lævibus repelluntur vel refringuntur : faciunt, quum auribus, ut ceræ annulus, imprimuntur. Idem censuit Epicurus, ut docet discipulus ejus Lucretius, lib. IV ; contra Cyrenæi et Pyrrhonici sonum nihil esse putabant ; Peripatetici non perfectum, sed imperfectum quoddam corpus esse volunt, nempe qualitatem quamdam sensilem ex violenta corporum vel aeris collisione ac motu natam.

635. *Male*. Ægre inductus ab Ulysse ut dolis uteretur, μισαπάτης, et simplex Neoptolemus, viribus magis quam fallaciis fretus,

Parens Pyrrhus Ulyssi.
Secura metus Troica pubes
Sacros gaudet tangere funes.
Hinc æquævi gregis Astyanax,
Hinc Hæmonio desponsa rogo,
Ducunt turmas : hæc femineas,
Ille viriles.
Festæ matres votiva ferunt
Munera Divis ; festi patres
Adeunt aras : unus tota est
Vultus in urbe.
Et, quod nunquam post Hectoreos
Vidimus ignes, læta est Hecube.
Quid nunc primum, dolor infelix,
Quidve extremum deflere paras?
Mœnia Divûm fabricata manu,
Diruta hostra?
An templa Deos super usta suos?
Non vacat istis lacrimare malis.
Te, magne parens, flent Iliades.
Vidi, vidi, senis in jugulo
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingi.

quod ἦθος et illi apud Ulyss. in Philoctete tribuit Sophocles, vs. 88, ἔφυν γὰρ οὐδὲν ἐκ τέχνης πράττειν κακῆς, etc. Mox: Ἀλλ' εἴμ' ἕτοιμος πρὸς βίαν τὸν ἄνδρ' ἄγειν Καὶ μὴ δόλοισιν.

636. *Parens*. Obediens.

637. *Secura metus Troica pub.* « Circum pueri innuptæque puellæ, etc. » Virg. loc. cit. vs. 239 sq.

639. *Æquævi*, puerorum.

640. *Hæmonio desponsa rogo*. Polyxena, quæ postea desponsata erat rogo Achillis Thessalici, Hæmonii ducis. Vid. Troad. 364 sq.

643. *Votiva*. Pro filiorum reditu.

645. *Unus vultus*. Lætitiæ.

647. *Post Hectoreos*. Post redemtum rogoque datum Hectoris corpus.

651. *Mœnia*. Murorum munitiones, Trojæ mœnia. Troades, vs. 481.

655. *Magne parens*. Priame.

CASS. Cohibete lacrimas, omne quas tempus petit,
Troades, et ipsæ vestra lamentabili
Lugete gemitu funera : ærumnæ meæ
Socium recusant : cladibus questus meis
Removete : nostris ipsa sufficiam malis.
CHOR. Lacrimas lacrimis miscere juvat.
Magis exurunt, quos secretæ
Lacerant curæ : juvat in medium
Deflere suos : nec tu, quamvis
Dura virago patiensque mali,
Poteris tantas flere ruinas.
Non quæ verno mobile carmen
Ramo cantat tristis aedon,
Ityn in varios modulata sonos;
Non quæ tectis Bistonis ales
Residens summis impia diri
Furta mariti garrula deflet;
Lugere tuam poterit digne
Conquesta domum; licet ipse velit
Clarus niveos inter olores
Istrum cygnus Tanaimque colens
Extrema loqui; licet alcyones

659. *Cohibete.* Cohibete luctus vestros de patre meo : meæ sunt istæ solius partes : vos funera vestrorum lugete.

666. *In medium*, in commune.

668. *Dura.* Indurata malis, virili animo femina.

671. *Tristis aedon.* Ἀηδὼν, luscinia.

672. *Ityn.* Seu Itylum, filium Terei a Procne interfectum, patrique per festa convivia appositum, in ultionem stupratæ ab eo sororis Philomelæ.

673. *Bistonis.* Hirundo, in quam, iras mariti fugiens, Procne (ut alii *Philomela*) versa est, conjux Terei, regis Thraciæ, cujus Bistonis civitas et stagnum.

675. *Furta*, adulterium.

679. *Istrum.* Thraciæ flumen. — *Cygnus.* In quem versus est Cycnus; de quo Troad. 180.

680. *Extrema loqui.* Morti vicina suavius canere dicitur olor. Hipp. 301. — *Alcyones.* Aves illæ, in quas mutati sunt Ceyx, rex Trachinius in Ægæo submersus, et Alcyone

Ceyca suum fluctu leviter
Plangente sonent, quum tranquillo
Male confisæ credunt iterum
Pelago audaces, fetusque suos
Nido pavidæ titubante fovent:
Non si molles imitata viros
Tristis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parenti
Pectora rauco concita buxo
Furit, ut Phrygium lugeat Attin.

uxor, Neptuni filia: quibus avibus nidificantibus fetumque intra 7, ut alii 14, dierum spatium educentibus tempore biberno, mare pacatur, quod tempus *Alcedonia* dicitur.

682. *Plangente.* Immurmurante.

684. *Audaces, fetusque suos*, etc. Locum hunc Senecæ vindicare videtur Valer. Flaccus, qui eodem modo Halcyonibus *audaciam pavoremque* tribuit. Locus elegantissimus exstat, lib. IV, vers. 43, ubi Hercules per quietem Hylam videns, ejus amplexum frustra petit, et his avibus comparatur: « Quum sopor, et vano spes mœsta resolvitur actu. Fluctus ab undisona ceu forte crepidine saxi Quum rapit Halcyones miseræ fetumque laremque; It super ægra parens: queriturque tumentibus undis, Certa sequi quocumque ferant, audetque pavetque, Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu est: Illa dolens vocem dedit, et se sustulit alis. » Vide ibi locum ex Statii Theb. IX, 360, huc facientem, a P. Burmanno adductum. Tale et illud Statii Theb. VI, vers. 393: « Spesque, audaxque una metus, et fiducia pallens. Nil fixum cordi: pugnant exire, paventque: Concurrit summos animosum frigus in artus. »

686. *Molles viros.* Gallos Cybeles sacerdotes, semiviros, quibus (ab Atti puero Cybele dilecto, quod in nympha Sagaritide peccasset, in furorem a Deo verso sibique pondera acuto silice amputante) « Ovid. Fast. IV, 244, venit in exemplum furor hic; mollesque ministri Cædunt jactatis vilia membra comis. »

688. *Quæ turritæ.* Cybele, quæ civitatis Midæ clausæ muros capite sublevavit, atque ita est ingressa; vel « quod primis turres urbibus illa dedit; » an quod eadem quæ Vesta, id est, Terra? Farn.

689. *Pectora rauco*, etc. Possumus intelligere turbam non buxo ferientem pectora concita, sed ferientem (pinu nempe) pectora *concita*, consternata et in furorem acta, buxo seu tibia furiosa, ut Ovidius appellat, e buxo. Ita tollitur omnis difficultas. Vid. Anim.

690. *Attin.* Sup. 686, not. De Atti ab Arnobio, Eusebio et Ful-

Non est lacrimis, Cassandra, modus,
Quia quæ patimur vicere modum.
Sed cur sacratas deripis capiti infulas?
Miseris colendos maxime superos putem.
CASS. Vicere nostra jam metus omnes mala.
Equidem nec ulla cælites placo prece:
Nec, si velint sævire, quo noceant, habent.
Fortuna vires ipsa consumsit suas.
Quæ patria restat? quis pater? quæ jam soror?
Bibere tumuli sanguinem atque aræ meum.
Quid illa felix turba fraterni gregis?
Exhausta nempe: regia miseri senes
Vacua relicti, totque per thalamos vident,
Præter Lacænam, ceteras viduas nurus.
Tot illa regum mater, et regimen Phrygum
Fecunda in ignes Hecuba, fatorum novas
Experta leges, induit vultus feros.

gentio, post Epicharmum, Sosidem, aliosque multa digna lectione et cognitu jucunda referuntur.

693. *Sacratas.* Apollini. — *Deripis.* Quia promisso et fuso capillo vaticinabantur. Plautus, Rudens, act. II, sc. III, 46: «Capillum promittam, optumum est, occipiamque hariolari.» Tibullus, lib. II, 65: «hæc cecinit vates, et se tibi, Phœbe, vocavit: Jactavit fusa sed caput ante coma.»

695. *Vicere.* Extrema sunt mea mala, quibus ipsi Dii ulteriora superaddere non possunt.

700. *Tumuli.* Achillis tumulus bibit sanguinem Polyxenæ sororis. Troad. 364. — *Aræ.* Jovis Hercei ara bibit fratris Politis sanguinem Priamique patris mei. Troad. 25.

702. *Regia m. senes vacua relicti.* Intellige de vilibus seniculis, quos in Trojæ ruinis reliquerant Græci, tamquam inutile pondus. Sic quidem Gronovius. Nonne autem intelligenda sunt potius hæc de regina *Hecuba*; et dictum pluraliter *senes*, per emphasin?

703. *Totque.* «Quinquaginta intus thalami, spes tanta nepotum.» Vid. Æn. II, 503.

704. *Lacænam.* Helenam, quæ Paridi, deinde Deiphobo fuerat nupta.

706. *In ignes.* Virg. Æn. VII, 320, Hecuba face prægnantem se somnians, Paridem peperit, qui Trojæ incendium attulit. Troad. 36. Et, hoc sensu, hoc l. convenit, Apoll. III, 12, 5: Ἔδοξεν Ἑκάβη καθ' ὕπαρ δαλὸν τεκεῖν διάπυρον· τοῦτον δὲ πᾶσαν ἐπινέμεσθαι τὴν πόλιν καὶ καίειν.

707. *Induit vultus.* Mutata fuit

Circa ruinas rabida latravit suas,
Trojæ superstes, Hectori, Priamo, sibi.
CHOR. Silet repente Phœbas, et pallor genas,
Creberque totum possidet corpus tremor.
Stetere vittæ : mollis horrescit coma.
Anhela corda murmure incluso fremunt.
Incerta nutant lumina; et versi retro
Torquentur oculi : rursus immites rigent.
Nunc levat in auras altior solito caput,
Graditurque celsa : nunc reluctantes parat
Reserare fauces; verba nunc cluso male
Custodit ore, mænas impatiens Dei.
CASS. Quid me furoris incitam stimulis novi,
Quid mentis inopem sacra Parnassi juga
Rapitis? recede, Phœbe : jam non sum tua.
Exstingue flammas pectori infixas meo.
Cui nunc vagor vesana? cui bacchor furens?

Hecuba in canem, juxta Euripidem, Lycophrouem, et Asclepiadem : alii, quia, ut fures canis latratu, Græcos Hecuba maledictis et conviciis sil insequuta, fabulam confictam voluut, in Menæch. Plautus, et Cic. Tusc. lib. III, 63.

710. *Silet repente.* Cassandra afflata numine Phœbi jam propiore. —*Pallor.* « Non vultus, non color unus. » Æn. VI, 47.

712. *Stetere.* Inhorruere. « Non comtæ mansere comæ. » Virg. ibid.

713. *Anhela.* « Pectus anhelum, Et rabie fera corda tument. » Virgil. ibid.

714. *Incerta.* Lucan. Phars. V, 212 : « Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cælo Lumina. »

716. *Levat caput.* Flexibile caput fanatici jactabant : unde Vivianus JC. « Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret, » lib. I, D. de Ædilit. Edict. — *Altior.* « Majorque videri Nec mortale sonans. » Virg. loc. sup. cit.

718. *Male custodit.* Murmurat.

719. *Mænas.* Vates furibunda. OEdip. vs. 436. — *Impatiens.* « At Phœbi nondum patiens immanis in antro Bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse Deum. » Virg. Æn. VI, 78.

720. *Stimulis.* Divino fatidici spiritus impetu. « Et stimulos sub pectore vertit Apollo. » Æn. VI, 100.

721. *Sacra*, Phœbo sacra.

722. *J. non sum tua*, sc. non jam sum vates tibi colendo addicta.

723. *Flamm.* æstum divinationis.

724. *Cui.* In cujus tandem usum et utilitatem vaticinor?

Jam Troja cecidit : falsa quid vates ago?
Ubi sum? fugit lux alma, et obscurat genas
Nox alta, et æther abditus tenebris latet.
Sed ecce gemino sole præfulget dies;
Geminumque duplices Argos attollit domos.
Idæa cerno nemora : fatalis sedet
Inter potentes arbiter pastor Deas.
Timete reges, moneo, furtivum genus.
Agrestis ille alumnus evertet domum.
Quid ista vecors tela feminea manu
Destricta præfert? quem petit dextra virum
Lacæna cultu ferrum Amazonium gerens?
Quæ versat oculos alia nunc facies meos?
Victor ferarum colla sublimis jacet
Ignobili sub dente Marmaricus leo,
Morsus cruentos passus audacis leæ.

725. *Falsa.* Non credita. Troad. vs. 35 : « Dei jussu non unquam credita Teucris, » ut ait Virg. Æn. II, vs. 247; Propert. III, 11, 61.

728. *Sed ecce gem. sole*, etc. Virg. Æn. IV, 470. « Et solem geminum et duplices se ostendere Thebas. » Entheis, ut et ebriis, dupla se ostentant objecta, propter oculorum musculos, vel spiritus ardore contractos, vel humiditate solutos, unde oculus alter in superna contruditur, in imum dejicitur alter, ita uterque sua apprehendit. Farn.

730. *Idæa nemora.* Montis Idæ, ubi Paris, trium Dearum judex, tulit sententiam de malo aureo.

731. *Inter potentes D.* Deæ sunt potentes, formosæ. Propertius, II, 4, 28 : « Cynthia forma potens. » Eadem Rufino θεαὶ αἱ περίβλεπτοι audiunt, Epigr. III, vs. 3. — *Arbiter.* Paris : respicitque oblique Cassandra ad Ægisthum, quem postea vocat agrestem alumnum, Agamemnoni Mycenisque non minus fatalem, quam Trojæ Paridem, qui infans expositus inter agrestes pariter crevit.

732. *Furtivum.* Furtiva venere natum Ægisthum.

733. *Agrestis ille alumnus.* Vix natus, projectus est in silvas, ut Paris, et a capris (αἶγες) nutritus, unde nomen, Ægisthus.

736. *Lacæna.* Clytæmnestra. — *Cultu*, Lacedæmonio ornata. — *Ferrum.* Bipennem, securim.

739. *Ignobili.* Respicit ad Ægisthum ex incestu natum. — *Marmaricus.* Ingens et fortis leo, quales in Marmarica, regione Africæ, versus Ægyptum, designat Agamemnona, ut *lea* Clytæmnestram.

Quid me vocatis sospitem solam e meis,
Umbræ meorum? te sequor', tota pater
Troja sepulte. Frater, auxilium Phrygum,
Terrorque Danaûm, non ego antiquum decus
Video, aut calentes ratibus exustis manus:
Sed lacera membra, et saucios vinclo gravi
Illos lacertos. Te sequor, nimium cito
Congresse Achilli, Troile. Incertos geris,
Deiphobe, vultus, conjugis munus novæ.
Juvat per ipsos ingredi Stygios lacus;
Juvat videre Tartari sævum canem,
Avidique regna Ditis; hæc hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
Victamque, victricemque: vos, Umbræ, precor,
Jurata Superis unda, te pariter precor,
Reserate paulum terga nigrantis poli,

743. *Frater.* Hector. Porphyrius male testimoniis Ibyci et aliorum probare vult Hectorem non Priami, sed Apollinis filium fuisse: vid. Schol. Homer. ad Il. Γ, 314. — *Auxilium.* Hector, quo stante stetit Ilium, Troad. vs. 31; et columen patriæ, Troad. vs. 124.

744. *Non ego antiq. decus.* « Non exuvias indutum Achillis. »

745. *Aut calentes.* « Non Danaum Phrygios jaculantem puppibus ignes. » Virg. Æn. II, 276.

746. *Sed lacera.* Sed per « pedes trajectum lora tumentes; Raptatum bigis. » Æn. loc. cit. vs. 272 sq.

747. *Nimium cito.* « Infelix puer atque impar congressus Achilli. » Virg. Æn. I, 475.

748. *Incertos.* Quem « lacerum crudeliter ora, etc. Vix adeo agnovit » Æneas. Æn. lib. VI, vs. 495.

749. *Conjugis munus novæ.* Helenæ, a qua, suprema Trojæ nocte, proditus est Græcis.—Illa scilicet, post mortem Paridis, nupserat Deiphobo, cui truncari nasum, aures et vultum jussit, ut cum Menelao ipsa rediret in gratiam.

752. *Hæc ratis.* Charonis cymba, quam videre enthea sibi videtur.

754. *Victamque, victricemque vehet.* Meam et Agamemnonis.

755. *Jurata unda*, Styx. Herc. Fur. 712. Virg. Æn. VI, 323: « Stygiamque paludem, Dii cujus jurare timent et fallere numen. » Hanc Superi tanta in religione habuerunt, ut, per Stygem jurare soliti, nefas ducerent hoc jusjurandum non observare; si quis autem Deorum illud violavisset, centum annis a nectare cogebatur abstinere, et numinis majestate privabatur.

756. *Nigrantis poli*: inferni mun-

Levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum.
Spectate miseri : fata se vertunt retro.
Instant sorores squalidæ :
Sanguinea jactant verbera.
Fert læva semustas faces,
Turgentque pallentes genæ,
Et vestis atri funeris
Exesa cingit ilia;
Strepuntque nocturni metus,
Et ossa vasti corporis
Corrupta longinquo situ
Palude limosa jacent.
Et ecce defessus senex
Ad ora ludentes aquas
Non captat, oblitus sitis,
Mœstus futuro funere.
Exsultat, et ponit gradus
Pater decoros Dardanus.

di, cujus imperium sortitus est Pluto, qui de se et de illo sic loquitur, apud Claudianum, De raptu Proserp. lib. II, 630 : « Ille ego Saturni proles, cui machina rerum Servit, et immensum tendit per inane potestas. Amissum ne crede diem : sunt altera nobis Sidera : sunt orbes alii; lumenque videbis Purius, Elysiumque magis mirabere solem, Cultoresque pios : » ante Claudianum, Virgilius sublimius cecinerat, Æn. VI, 640 : « Largior hic campos æther et lumine vestit Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt. » Conf. Hercul. Fur. vs. 610 et 1104.

757. *Levis*, etc. Ut umbræ Trojanorum videant Agamemnona Mycenarum regem ab uxore cæsum, ad suum ipsorum solatium, veluti inferias sibi relatas.

758. *Fata se vertunt.* Respicit huc illud Virgilii, Æneid. XI, v. 287 : « versis lugeret Græcia fatis. »

759. *Sorores.* Furiæ. Thyest. vs. 78; Med. v. 958.

763. *Atri.* Funesti apparatus et ominis. — *Funeris.* Id est, pulla, Furiis propria.

766. *Vasti corporis*, Gigantum.

769. *Senex*, Tantalus.

772. *Mœstus.* Propter imminentem sui pronepotis necem.

773. *Exsultat.* Lætatur Dardanus in ultionem prolis suæ.

774. *Pater.* Tritavus Cassandræ; nam Dardanus genuit Erichthonium, hic Troem, Tros Ilum, Laomedontem Ilus; Laomedontis filius

CHOR. Jam pervagatus ipse se fregit furor,
Caditque; flexo qualis ante aras genu
Cervice taurus vulnus incertum gerens.
Relevemus artus entheos. Tandem suos
Victrice lauro cinctus Agamemnon adit;
Et festa conjux obvios illi tulit
Gressus; reditque juncta concordi gradu.

Priamus genuit Cassandram; Homerus, Iliad. XX, 215, et Dionys. Halicarn. Ant. Rom. lib. I, c. 62. Vide de Dardano schol. Apollin. lib. I, vs. 916.

775. *Pervagatus.* Phœbas, recedente spiritu, exanimis cadit.

777. *Vuln. incertum gerens.* Virg. Æn. II, 224, et Silius Italicus, V, 65, conferendi sunt : in priore *securim incertam*, non satis certo depressam ictu; in altero *incerta cervice ferens bipennem*, quæ non letalem ictum inflixit, ut in Nostro *incertum vulnus*. Virgilius, ut semper, omnes superat. Vid. Animadv.

778. *Artus entheos.* Æstu Phœbeo consternatos. OEdip. vs. 628.

779. *Victrice lauro.* Vide quid sup. vs. 390 in nota (pag. 492), diximus de lauro, victoriarum partarum emblemate.

780. *Festa conjux.* Clytæmnestra festis vestibus, ut decet in tali reditu, exornata. Potest quoque *festa* accipi, *lætum*, *festivum* gerens vultum; gaudium mentiente Clytæmnestra, ut sup. vs. 397 : « felix ad aures nuntius venit meas. » — *Tulit.* Tulerat scilicet, postquam desierat loqui, supra, in vs. 585, « et nives magnas, etc. »

781. *Concordi gradu.* Vel passibus æquis; vel eo incessu, qui lætam et amantem indicet; ut videtur significare *juncta*.

ACTUS QUARTUS.

AGAMEMNON, CASSANDRA.

AGAM. TANDEM revertor sospes ad patrios lares.
O cara, salve, Terra! tibi tot barbaræ
Dedere gentes spolia : tibi felix diu
Potentis Asiæ Troja submisit manus.
Quid ista vates, corpus effusa ac tremens,
Dubia labat cervice? Famuli, attollite.
Refovete gelido latice : jam recipit diem
Marcente visu. Suscita sensus tuos :
Optatus ille portus ærumnis adest;
Festus dies est. CASS. Festus et Trojæ fuit.
AGAM. Veneremur aras. CASS. Cecidit ante aras pater.
AGAM. Jovem precemur pariter. CASS. Herceum Jovem?
AGAM. Credis videre te Ilium? CASS. Et Priamum simul.

Act. IV, sc. I. Agamemnoni reduci prædicit Cassandra fatum, nec creditur. Troad. vs. 35.

783. *O cara.* Vid. sup. ad v. 386.

786. *Vates.* Cassandra a furore exanimis : quam cum cæteris captivis Agamemnon præmiserat dono Clytæmnestræ.

788. *Ref. gelido lat.* Frigida enim in faciem λειποψύχεις adspersa, spiritus, qui ad faciem plurimi venire solent, cogit; eisque congregatis, redeunt sensibus functiones. — Confirmant illud et Aphorism. Hippocratis, et Aristotel. Problemata. Calidam autem aquam adhibebant, si quis aut pavore aut æstu laboris fuisset percussus. — *Diem.* Lucem.

791. *Festus et Trojæ.* Quo periit : quasi diceret : « tu nostro exemplo festos dies cave. » Vid. imitat. infra, pag. 536.

794. *Et Priamum.* Te scil. mox interficiendum, ut Priamum.

AGAM. Hic Troja non est. CASS. Ubi Helena est, Trojam puto.
AGAM. Ne metue dominam famula. CASS. Libertas adest.
AGAM. Secura vive. CASS. Mors mihi est securitas.
AGAM. Nullum est periclum tibimet. CASS. At magnum tibi est.
AGAM. Victor timere quid potest? CASS. Quod non timet.
AGAM. Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat Deum,
Retinete, ne quid impotens peccet furor.
At te, pater, qui sæva torques fulmina
Pellisque nubes, sidera et terras regis,
Ad quem triumphi spolia victores ferunt;
Et te sororem cuncta pollentis viri,
Argolica Juno, pecore votivo libens
Arabumque donis, supplice et fibra colam.

795. *Ubi Helena est.* Ubi mala et adultera mulier est, « qualis uxor tua Clytæmnestra, » namque Helena jam in Ægypto erat. FARN. — Vel hæc intellige, quasi furens Cassandra videat, quæ non sint. Helenæ impuri mores noti : rapta a Theseo, post nupsit Menelao, cujus torum reliquit, adulterum Paridem sequuta : nec Paridi fida, sed in Ilio cum privigno Corytho, Paridis et OEnones filio, commisit incestum, juxta Hellanicum in Troicis et Cephalonem Gergithium, Nicandrum. DELR.

791. *Ne metue.* Quod etiam ille de Clytæmnestra subintelligens respondet : non erit cur Clytæmnestram ut dominam metuas, quæ mihi dilecta es. — *Libertas.* Per mortem vicinam.

800. *Deum.* Phœbi munus, quo afflatur.

801. *Ne quid peccet furor.* Ne sibi manum inferat.

804. *Ad q. triumphi*, etc. Jovi deferebantur et dicabantur triumphalia spolia, Romæ *Feretrio*, in Græcia Νικηφόρῳ : de quo Livius, lib. I, cap. 10, et Spartianus in Adriano : vel alludit ad Jovem *Prædatorem*, cui pars aliqua prædæ debita, teste Servio, ad Virgilii Æn. lib. III, 223 ; vel denique ad Jovem τρόπαιον seu τροπαιοῦχον, cujus mentio fit apud Plutarchum, Pausaniam et Aristidem.

805. *Te*, sororem. Sup. v. 341. — *Cuncta poll. viri.* Fratris ejusdem et viri tui, omnipotentis Jovis.

807. *Arabumque donis.* Ture. — *Fibra.* Thyest. vs. 757.

CHORUS ARGIVARUM.

Argos nobilibus nobile civibus,
Argos iratæ carum novercæ,
Semper ingentes educas alumnos;
Imparem æquasti numerum Deorum:
Tuus ille bisseno meruit labore
Allegi cælo magnus Alcides;
Cui lege mundi Jupiter rupta
Roscidæ noctis geminavit horas,
Jussitque Phœbum tardius celeres
Agitare currus, et tuas lente
Remeare bigas, pallida Phœbe;

Act. IV, sc. II. Chorus Argivarum Herculis laudes canit, nutriti scilicet Argis, cujusque sagittæ fato poscebantur, ad secundum Trojæ excidium.

809. *Iratæ novercæ.* Junoni, natus Jovi ex pellicibus liberos semper detestata.

810. *Alumnos.* Et in his Herculem, qui Heben duxit uxorem, Deorumque (non magnorum illorum, qui duodecim, neque selectorum, qui octo), numerum prius imparem æquavit. Vel intellige de tribus Diis communibus, Marte, Bellona, Victoria, quibus additus Hercules. Potest et de Diis patriis intelligi, qui, ex Argivis seu Argis educati, in Deos relati sunt. Vid. Herc. Fur. vs. 17.

815. *Geminavit.* Seneca hic et in Herc. Fur. 24, docet Herculem duabus noctibus fuisse genitum, ut Propert. II, XXII, 26: « Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos, Et cælum noctu bis sine rege fuit. » Lycophron adjieit unam noctem; Clemens Alexandr. liberalior in προτρεπ. inquiens: ὁ Ζεὺς ἐκεῖνος, ὁ μετ' Ἀλκμήνης τοσαύτας ἡδυπαθήσας νύκτας· οὐ δὲ γὰρ αἱ νύκτες αἱ ἐννέα τῷ ἀκολάστῳ μακραί, etc. et Arnobius, hunc imitatus, lib. IV, contra Gentes, ait: « Hercules natus est, qui in rebus hujus modi patris sui transiret exsuperaretque virtutes: ille noctibus vix novem unam potuit prolem extundere, concinnare, eumpingere: at Hercules, Sanctus Deus, natas de Thespio quinquaginta nocte una perdocuit, et numen virginitatis ponere, et genitricum pondera sustinere. »

818. *Bigas.* Bigas Lunæ tribuunt (ut Soli quadrigas), quas trahunt equi, tauri, muli vel cervi, quorum alter ater, albus alter.

Retulit pedem, nomen alternis
Stella quæ mutat, seque mirata est
Hesperum dici; Aurora movit
Ad solitas vices caput, et relabens
Imposuit senis humero mariti.
Sensit ortus, sensit occasus,
Herculem nasci : violentus ille
Nocte non una poterat creari.
Tibi concitatus substitit mundus.
O puer magnum subiture cælum!
Te sensit Nemeæus arcto
Pressus lacerto fulmineus leo,
Cervaque Parrhasis.
Sensit Arcadii populator agri.
Gemuitque taurus, Dictæa linquens
Horridus arva.
Morte fecundum domuit draconem,

819. *Alternis.* Supple, *vicibus.*

820. *Stella.* Veneris stella. Conf. Hipp. vs. 784, et Med. 71.—*Seque.* Quum debuisset Lucifer appellari; id est, quod non matutinus ortus sit spatio solito.

822. *Relabens*, relabi, cursum reflectere coacta.

823. *Mariti*, Tithoni.

824. *Sensit.* Phœbei itineris intermissi desiderio.

825. *Violentus ille.* Heros ille, tanta mole creandus.

827. *Tibi*, tibi gignendo.

828. *Subiture.* Qui debebas sustinere.

829. *Nemeæus.* Herc. Fur. 225.

830. *Fulmineus.* Rapidus, impotens : quod epitheton apro magis convenit, cujus irati urunt dentes.

831. *Cervaque Parrhasis.* A Parrhasia urbe Arcadiæ, ubi Mænalus mons, in quo cervam æreis pedibus pollentem vel cursu comprehendit; vel jaculis fixit : vid. Herc. Fur. 222.—Hoc ordine recenseas labores Herculis : 1° Nemeæum leonem; 2° æripedem cervam; 3° aprum Arcadium; 4° Cretensem taurum; 5° hydram Lernæam; 6° Geryonem; 7° Diomedem; 8° Hippolytes Amazonis balteum; 9° Stymphalides; 10° Hesperidum draconem; 11° Cerberum; 12° Ilii expugnationem.

832. *Populator.* Aper Erymanthius, quem interfecit, vel vivum cepit.

833. *Taurus.* Qui, Neptuni ira in Cretam missus, trajecit in Peloponnesum, ubi ab Hercule cæsus est.

Vetuitque collo pereunte nasci;
Geminosque fratres, pectore ab uno
Tria monstra natos, stipite incusso
Fregit insultans : duxitque ad ortus
Hesperium pecus,
Geryonæ spolium triformis.
Egit Threicium gregem,
Quem non Strymonii gramine fluminis,
Hebrive ripis pavit tyrannus;
Hospitum dirus stabulis cruorem
Præbuit sævis; tinxitque crudos
Ultimus rictus sanguis aurigæ.
Vidit Hippolyte ferox,
Pectore in medio rapi spolium : et sagittis
Nube percussa Stymphalis alto
Decidit cælo;
Arborque pomis fertilis aureis
Extimuit manus insueta carpi,
Fugitque in auras leviore ramo :
Audivit sonitum crepitante lamna

836. *Morte fecundum draconem*, hydram. Herc. Fur. vs. 241.

837. *Geminos*. Tergeminum Geryona. Herc. Fur. vs. 231.

840. *Hesperium pecus*. Armenta Hispana. Virg. Æn. VIII, 202.

842. *Egit Thr. gr.* Equus Diomedis, regis Thraciæ. Herc. Fur. 225.

849. *Spolium*. Balteum militarem, quem gerebant virgines illæ unimammæ. Virg. Æneid. V, 311 : « Alter Amazoniam pharetram, plenasque sagittis Threiciis; lato quam circum amplectitur auro Balteus, et tereti subnectit fibula gemma. » — *Sagittis*, etc. Explica, decidisse Stymphalides sagittis, quæ nubem perueutiebant, findebant, ipsasque aves attingebant. Vide Animadv.

852. *Arborque*. Herc. Fur. 239.

853. *Manus*. Acc. plur. Manus Herculis carpentis arborem.

855. *Crepitante lamna*. Ramo aureo : sic Virg. Æneid. lib. VI, vs. 209 : « leni crepitabat bractea vento. » — *Lamna*, pro lamina. Sic vocat aurea poma Hesperidum. Sic in Florent. Pandectis *lamna* scriptum est, L. Q. Mucius, 27, § fin. D. de aur. argent. leg. Differt autem lamina a bractea, ut docet Valla; quamvis D. Hieronymus ad

Frigidus custos nescius somni,
Linqueret quum jam nemus omne fulvo
Plenus Alcides vacuum metallo.
Tractus ad cælum canis inferorum
Triplici catena, tacuit, nec ullo
Latravit ore, lucis ignotæ
Metuens colorem. Te duce, succidit
Mendax Dardaniæ domus,
Et sensit arcus iterum timendos:
Te duce, concidit totidem diebus
Troja, quot annis.

Fabliolsm ea confuderit. Vide Catelliannm Cottam, in voce *Lamina.*

856. *Frigidus.* Venenosus draco, pervigil Hesperidnm horti eustos.

858. *Fulvo plenus metallo.* Aureis malis onustns.

859. *Canis,* Cerberus. Hereul. Fur. vs. 788 el seqq.

862. *Metuens colorem.* Id esl, splendorem, ut interpretatur Mitcherlieh. ad Horat. Od. II, 2, 1. — *Colorem.* Ipsa lux colorsta non est, sed color sine luce cerni non polest, leste Arist. lib. περὶ Αἰσθήσεως, et Lucret. II; hoe sensu eolor luci a poetis tribuitur, quia colores ills prodit, quos celant tenebræ. Virg. Æn. lib. VI, vs. 272.

863. *Mendax*, perjura, perfida, promissis non stans. Troad. 136 et 722, sqq.

865. *Totidem diebus.* Decimo igitur die Hercules Trojam expugnavit; quod non memini slibi legere. Delr.

866. *Quot annis.* Decem. Hinc fortasse Bolæus noster, Episl. IV, 161, vere poetica magno Ludovico vota illa nuncupavit : « Quel plaisir de te suivre sux rives du Scamandre! D'y trouver d'Ilion la poétique eendre ! De juger si les Grecs, qui brisèrent ses tours, Firent plus *en dix ans* que *Louis en dix jours!* »

ACTUS QUINTUS.

CASSANDRA.

Res agitur intus magna, par annis decem.
Eheu, quid hoc est? anime, consurge, et cape
Pretium furoris : vicimus victi Phryges.
Bene est! resurgis, Troja : traxisti jacens
Pares Mycenas : terga dat victor tuus.
Tam clara nunquam providæ mentis furor
Ostendit oculis : video, et intersum, et fruor.
Imago visus dubia non fallit meos.
Spectamus : epulæ regia instructæ domo,
Quales fuerunt ultimæ Phrygibus dapes,
Celebrantur : ostro lectus Iliaco nitet;

Act. V, sc. 1. Cassandra, vel illa non videns vaticinatur; vel in proscenio stans, quæ intus et in ἐξώςρᾳ gerantur, de cæde Agamemnonis narrat.

867. *Par.* Cujus atrocitas decennales labores nostros æquat, aut etiam superat.

869. *Pretium.* Hostis cæde et vindicta compensatum dicit Phœbei numinis ipsam fatigantis cruciatum.—*Vicimus.* Hostium imperatore cæso.

871. *Pares;* simili ruina corruentes. — *Terga dat.* Vincitur.

872. *Tam clara.* Tam certa et grata : sic enim ipsa, vers. sq.

874. *Imago dubia.* Quod alias in furore entheo non raro fit.

875. *Spectamus.* Satis enim rem dixerat oculis ostendi, et se videre et interesse et frui, et nullo dubio falli. Nunc age, inquit, ne tam grati spectaculi visus cito prætereat, contemplemur intenti et omnem ordinem notemus facinoris. Grun. — *Spectamus.* Id est, rem oculis usurpamus, in rem præsentem venimus, in re præsenti sumus. — *Epulæ.* Interfectus enim est Agamemnon δειπνίσσας, ut ipse narrat Odyss. XI, 410 sq.

877. *Ostro Iliaco.* Ex præda Ilii. Virg. Æn. II, 763 seq.

Merumque in auro veteris Assaraci trahunt:
Et ipse picta veste sublimis jacet,
Priami superbas corpore exuvias gerens.
Detrahere cultus uxor hostiles jubet,
Induere potius conjugis fidæ manu
Textos amictus : horreo, atque animo tremo.
Regemne perimet exsul, et adulter virum?
Venere fata : sanguinem extremæ dapes
Domini videbunt, et cruor Baccho incidet.
Mortifera vinctum perfidæ tradet neci
Induta vestis : exitum manibus negat,
Caputque laxi et invii cludunt sinus.
Haurit trementi semivir dextra latus,
Nec penitus egit : vulnere in medio stupet:
At ille, ut altis hispidus silvis aper,
Quum casse vinctus tentat egressus tamen,
Arctatque motu vincla, et incassum furit:
Cupit fluentes undique et cæcos sinus
Dissicere; et hostem quærit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens;
Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, antequam ferro petat;

878. *Veteris.* Regis antiqui Phrygum. Virg. Æn. I, 729 : « implevitque mero pateram, quam Belus, et omnes a Belo soliti. »

879. *Picta.* Phrygiarum opere.

881. *Hostiles.* Illos cultus ex hoste raptos, illas Priami exuvias.

884. *Exsul,* Ægisthus. Supra, vs. 291, et 302.

885. *Extremæ dapes.* Secundæ mensæ, e quibus convivæ surgunt.

886. *Baccho.* Poculo philotesio, quo convivia claudere solebant; ergo sub finem convivii interficietur.

890. *Haurit.* Confodit, ἀμύσσει. — *Semivir.* Ægisthus mollis et meticulosus, ictu incerto stupens.

892. *Ille,* Agamemnon.

895. *Cæcos.* Involventes, nec exitum habentes. Nec liberum relinquentes lucis aspectum.

897. *Armat.* Juvenal. Sat. VI, 657: « Tyndaris illa bipennim Insulsam et fatuam dextra lævaque tenebat. »

898. *Qualisque.* Ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ. Agamemnon de se apud Hom. Odyss. Λ, 410.

Sic huc et illuc impiam librat manum.
Habet : peractum est : pendet exigua male
Caput amputatum parte, et hinc trunco cruor
Exundat, illinc ora cum fremitu jacent.
Nondum recedunt : ille jam exanimem petit,
Laceratque corpus : illa fodientem adjuvat.
Uterque tanto scelere respondet suis.
Hic est Thyeste natus, hæc Helenæ soror.
Stat ecce Titan dubius emerito die,
Suane currat, an Thyestea via.

ELECTRA, STROPHIUS, ORESTES ET PYLADES, MUTÆ PERSONÆ.

EL. Fuge, o paternæ mortis auxilium unicum,
Fuge, et scelestas hostium evita manus.
Eversa domus est funditus : regna occidunt.
Hospes quis iste concitos currus agit?
Germane, vultus veste furâbor tuos.
Quos, anime demens, refugis? externos times?

901. *Habet*, scil. vulnus. Formula a ludo gladiatorio sumta : ubi si gladiatorum alter vulnus accepisset, acclamabat adversarius et spectatores, *hoc habet*. — *Pendet*. Non integre et fortiter amputatum.

905. *Illa fodientem adjuvat.* Sic apud Euripidem Electra Orestem adjuvat in Clytæmnestra necanda.

907. *Thyeste*, perfido, adultero, liberorum suorum helluone, incesto. — *Helenæ*, adulteræ et crudelis, quæ Deiphobum maritum Menelao et hostibus dilaniandum prodidit.

908. *Emerito*, finito. Sumta metaphora ab operariis, servis, militibus, qui imperata peregerunt.

Act. V, sc. II. Electra fratri suo Oresti subducto fugam suadet, eumque Strophio opportune occurrenti tradit abducendum; ipsa ad aram confugit.

910. *O paternæ*. Paternæ mortis ulciscendæ spes unica.

911. *Hostium*, matris et Ægisthi.

913. *Quis iste agit currus.* Conspecto e longe Strophio, metuit, puerumque occulit.

914. *Germane*, frater. — *Furabor*, tegam. Vid. Herc. Fur. 799.

915. *Quos, anime*, etc. Suum corripit metum, quod peregrinum timeat, quum sui propinqui timendi potius sint.

Domus timenda est: pone jam trepidos metus,
Oresta: amici fida præsidia intuor.
STROPH. Phocide relicta, Strophius, Elea inclytus
Palma, revertor: causa veniendi fuit,
Gratari amico, cujus impulsum manu
Cecidit decenni marte concussum Ilium.
Quænam ista lacrimis lugubrem vultum rigat,
Pavetque mœsta? regium agnosco genus.
Electra, fletus causa quæ læta in domo est?
EL. Pater peremtus scelere materno jacet.
Comes paternæ quæritur natus neci.
Ægisthus arces Venere quæsitas tenet.
STROPH. O nulla longi temporis felicitas!
EL. Per te parentis memoriam obtestor mei,
Per sceptra terris nota, per dubios Deos,
Recipe hunc Oresten, ac pium furtum occule.
STROPH. Etsi timendum cæsus Agamemnon docet,
Aggrediar, et te, Oresta, furabor libens.
Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.

918. *Phocide*. Erat autem Strophius Phocidis rex, Anaxibiæ (al. Astyocheæ) sororis Agamemnonis filius, et Pyladis pater.—*Elea*. Curuli certamine victor in ludis Olympiacis. Vid. Herc. Fur. vs. 839.

920. *Amico*, Agamemnoni meo cognato.

923. *Regium*, filiam regis esse.

924. *Electra*. Tunc temporis Laodice dicebatur, postea autem Electra vocari cœpit. Vid. Ælian. Var. Hist. lib. IV, 26.—*Læta*, reverso Agamemnone.

926. *Comes pat.* etc. Orestes quæritur, ut interficiatur cum patre.

927. *Arces*. Thyest. 453 et 640.

930. *Nota*, recenti victoria. — *Dubios*. Unde indicatur idem tibi ac nobis posse contingere.

933. *Furabor*, occulam, aveham. Herc. Fur. vs. 799.

934. *Poscunt fidem*, etc. Dicit Seneca, secundis quidem amicorum rebus perinde fidem deberi ac adversis, sed adversis demum eam agnosci et probari: nam fortunam facile sequuntur homines: at amicus certus in re incerta cernitur. Est enim *exigere* nonnunquam examinare, probare; experiri. Sic Ovid. Met. XIV, 268: « ipsa, quod hæc faciunt, opus *exigit*. » Liv. XXXIV, cap. 31: « Nolite ad vestras leges atque instituta *exigere* ea, quæ Lacedæmone fiunt. » Confer insuper

Cape hoc decorum ludicri certaminis,
Insigne frontis : læva victricem tenens
Frondem virenti protegat ramo caput;
Et ista donum palma Pisæi Jovis
Velamen eadem præstet atque omen tibi.
Tuque o, paternis assidens frenis comes,
Condisce, Pylade, patris exemplo fidem.
Vos, Græcia nunc teste, veloces equi,
Infida cursu fugite præcipiti loca.
EL. Excessit : abiit; currus effreno impetu
Effugit aciem : tuta jam opperiar meos
Hostes, et ultro vulneri opponam caput.
Adest cruenta conjugis victrix sui,
Et signa cædis veste maculata gerit;
Manus recenti sanguine etiamnum madent,
Vultusque præ se scelera truculenti ferunt.
Concedam ad aras : patere me vittis tuis,
Cassandra, jungi paria metuentem tibi.

Euripid. Herc. Fur. 1139; Plut. de Adul. et Amic. discr. 41; Cic. de Amic. 5. Vid. Animadv.

935. *Hoc decorum, Ins. frontis.* Coronam oleaginam mihi in ludis Olympicis datam.

936. *Victricem frondem.* Palmam mihi victori datam.

939. *Velamen.* Ne agnoscaris, aut fulmine percutiaris; potiusquam intelligas, ut quidam volunt, adversus solis æstum.— *Omen*, victoriæ, vindictæ, paternæ cædis.

942. *Græcia teste veloces.* Quos testis tota Græcia dicit esse veloces; et qui fuistis celebri ludorum conventu approbati victores.

943. *Loca*, Mycenas, ubi uxor maritum interfecit.

944. *Excessit*, e conspectu.

945. *Aciem*, oculorum meorum. — *Tuta*, defuncta de fratre cura; postquam Orestis consuluerim vitæ, de mea non sollicita.

951. *Vittis*, supplicationibus tuis : quæ vittata vates, confugisti ad aras supplex.

952. *P. tibi*, mortem ut ipsa times.

CLYTÆMNESTRA, ELECTRA, ÆGISTHUS, CASSANDRA.

CLYT. Hostis parentis, impium atque audax caput,
Quo more cœtus publicos virgo petis?
EL. Adulterorum virgo deserui domum.
CLYT. Quis esse credat virginem? EL. Natam tuam.
CLYT. Modestius cum matre. EL. Pietatem doces!
CLYT. Animos viriles corde tumefacto geris;
Sed agere domita feminam disces malo.
EL. Nisi forte fallor, feminas ferrum decet.

Act. V, sc. III. Electram ab ara detrahi, et in carcerem conjici jubet Clytæmnestra. Cassandra jugulatur.

953. *Hostis parentis*, inimica mei, matris tuæ.

954. *Cœtus.* Respicit ad veterem Græcorum morem, quorum virgines raro in publicum prodibant.

955. *Adulterorum domum*, scilicet tui et Ægisthi.

956. *Quis esse credat virginem?* Quæ talia loquaris. — Ait Electra, recte suspicaris neminem crediturum me esse virginem, non quia cœtus publicos peto, sed quia filia tua sum: te sciunt omnes pudicitiam tuam Ægistho prostituisse; me suspicabuntur matris vestigia secutam, pudori meo non temperasse, et merito. Sunt enim parentibus filii plerumque similes, auctore Aristot. Polit. lib. III, c. 8, et Rhetor ad Theodectem, lib. III, et filiæ matrum mores imitantur. DELR. — *Natam tuam.* Immo quæ tua sim filia, mulieris impudicæ. FARN. — Tolle interrogationis notam: sicut recte editum est a nobis. Porro gestu hoc est adjuvandum: ut efficiat oblique, id quod Clytæmnestra optime intelligebat. Si, inquit Electra, verum est quod tu in me accusas, impudice me ætatem agere: ecce me gnatam tuam. Quasi diceret: Ponamus verum esse: maternum hoc habeo. Quod apud Sophoclem, vs. 610, eadem in cognomine fabula: Εἰ γὰρ πέφυκα τῶνδε τῶν ἔργων ἴδρις, Σχεδόν τι τὴν σὴν οὐ καταισχύνω φύσιν. HEINS.

957. *Modestius cum matre.* Supple, loquaris. — *Pietatem doces.* Sensus est, interprete Vossio ad Velleii I, 1, 3. Tune me pietatem vis docere, quum adulterio parricidioque te pietatis expertem esse ostenderis?

959. *Agere feminam*, gerere te feminam, i. e. modestius. — *Malo*, supplicio et cruciatu.

960. *Ferrum.* Latenter illi exprobrat bipennem qua occiderat Agamemnonem: vel indicat ferrum, quod nunc gerit Clytæmnestra.

CLYT. Et esse demens te parem nobis putas?
EL. Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
Ut vidua loquere : vir caret vita tuus.
CLYT. Indomita post hæc virginis verba impiæ
Regina frangam : citius interea mihi
Edissere, ubi sit natus, ubi frater tuus.
EL. Exiit Mycenas. CLYT. Redde nunc natum mihi.
EL. Et tu parentem redde. CLYT. Quo latitat loco?
EL. Tuto; quietus, regna non metuens nova :
Justæ parenti satis, at iratæ parum.
CLYT. Morieris hodie. EL. Dummodo hac moriar manu;
Recedo ab aris : sive te jugulo juvat
Mersisse ferrum, præbeo jugulum volens :
Seu more pecudum colla resecari placet,
Intenta cervix vulnus exspectat tuum.
Scelus peractum est : cæde respersam viri
Atque obsoletam sanguine hoc dextram ablue.
CLYT. Consors pericli pariter ac regni mei,
Ægisthe, gradere : nata genitricem impie
Probris lacessit : abditum fratrem occulit.
ÆGISTH. Furibunda virgo, vocis infandæ sonum,
Et aure verba indigna materna opprime.

961. *Et esse.* An tu credis decere te eadem quæ nos? immo te resistere posse nobis.

964. *Indomita.* Obstinatam animi ferocitatem, quam maternum jus flectere non potest, sceptrnm, quatenus regina sum, franget.

968. *Parentem*, Agamemnonem quem occidisti.

969. *Nova*, adulteri tuique.

970. *Justæ*, etc. Sufficeret hoç responsum matri amanti et piæ; sed matrem iratam, ut tu es, lædit.

971. *Hac moriar manu.* Tua, si post conjugem etiam filiam occidere sustines : non pigebit eadem manu perire, qna pater.

976. *Scelus peractum est.* Restat nt impuratam manum sanguine maritali, filiali cruore abluas : tunc enim, quum, scelus tuum, viri cædem, peregeris, ablue cruore illum meo saoguine.

977. *Sang. hoc*, mei, filiæ tuæ.

982. *Aure indigna materna*, indigna quæ mater audiat.

EL. Etiam monebit sceleris infandi artifex,
Per scelera natus, nomen ambiguum suis?
Idem sororis natus, et patris nepos?
CLYT. Ægisthe, cessas impium ferro caput
Demetere? fratrem reddat, aut animam statim.
ÆGISTH. Abstrusa cæco carcere et saxo exigat
Ævum, per omnes torta pœnarum modos.
Referre, quem nunc occulit, forsan volet
Inops, egens, inclusa, pædore obruta,
Vidua ante thalamos, exsul, invisa omnibus,
Æthere negato: sero succumbet malis.
EL. Concede mortem. ÆGISTH. Si recusares, darem.
Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit.
EL. Mortem aliquid ultra est? ÆGISTH. Vita, si cupias
mori.
CLYT. Abripite, famuli, monstrum, et avectam procul
Ultra Mycenas, ultimo in regni angulo
Vincite septam nocte tenebrosi specus,
Ut inquietam virginem carcer domet.
At ista pœnas capite persolvat suo,
Captiva conjux, regii pellex tori.
Trahite, ut sequatur conjugem ereptum mihi.
CASS. Ne trahite: vestros ipsa præcedam gradus.

984. *Nomen ambiguum*, quem nesciverunt parentes, quo cognationis nomine vocarent, pater, filiumne an nepotem; mater, filiumne an fratrem. Sup. vs. 35.

987. *Aut animam*, aut animam reddat, i. e. amittat. Malus in verbo *reddere* lusus est; nam prius *repræsentare*, posterius *amittere* significat.

988. *Saxo*, carcere obscuro et saxeo.

990. *Quem*, fratrem Orestem.

992. *Vidua.* Quam, et hinc quod conjugali caruerit lecto et in virginitate consenuerit, Ælian. Var. Hist. IV, 26, refert Electram nominatam, quæ prius Laodice fuisset dicta.

993. *Æthere*, cæli adspectu.

995. *Rudis.* Conf. Hercul. Fur. 512, et Med. 1056.

1001. *Ista*, Cassandra.

1002. *Regii*, Agamemnonis, cui pellex erat uxoris loco.

Perferre prima nuntium Phrygibus meis
Propero; repletum ratibus eversis mare;
Captas Mycenas; mille ductorem ducum,
Ut paria fata Troicis lueret malis,
Perisse dono feminæ, stupro, dolo.
Nihil moramur : rapite : quin grates ago.
Jamjam juvat vixisse, post Trojam juvat.
CLYT. Furiosa morere. CASS. Veniet et vobis furor.

1005. *Perferre.* E veterum opinione, qui animas hominum corpore solutas in Elysiis suos agnoscere, cumque iis sermones serere credebant.

1006. *Ratibus*, Græcorum in reditu naufragis.

1007. *Captas*, a tyranno adultero occupatas, interfecto Agamemnone. — *Ductorem*, Agamemnonem, regum regem.

1012. *Veniet.* Et vates et morti vicina, Cassandra ominata prædicit illis vindictam et mortem venturam ab Oreste, qui matre cæsa et ipse furere tunc cœpit.

IMITATIONES

FABULÆ AGAMEMNONIÆ.

Illud est Agamemnoniæ cædis argumentum, quod speciosam maxime et scenicis affectibus ante omnes idoneam præbeat materiem. Quid scilicet animos potentius moveat, quam si videas præstantissimum ducem, post decem exantlati apud exteras gentes belli laborisque annos, penates suos victorem revisere, ut ibi uxoris infidæ fraudibus intercipiatur, pereatque occisus ab adultero eodem et tori soliique ereptore? Nec mirum est, quum nihil non ibi fidem sibi pariter et animos conciliet, plurimis, tum ex veteribus, tum inter recentiores, feracissimum illud dramatis argumentum arrisisse, quod tractandum eligerent.

Adest ante omnes Æschyleus Agamemnon. Qua quidem fabula alteram apud Græcos præstantiorem difficile reperias (1); ut est sententiis animosa, plena lyricis carminibus, et simul contextura simplex, numerosa tamen accedente grandium sublimiumque imaginum copia. Nec aggredieınur exactam totius dramatis explorationem; quæ nec est ad nostram rem, nec desideratur in opere, cui titulus est, *Théâtre des Grecs du P. Brumoy*.

Non ita obcæcabimur prono in auctorem nostrum studio, ut non agnoscamus Annæanum Agamemnonem Æschyleo longe inferiorem, tum ordine contextus, tum dicendi

(1) Dissimile prorsus de eodem dramate fert judicium J. F. *Laharpe*, *Cours de Littérature*, part. I, lib. I, cap. 5. Quis autem ignoraverit errare sæpius hunc criticum, nec semel in judicandis veterum operibus somniasse?

genere; neque etiam possumus non existimare alium esse Senecam, qui et Hippolytum conscripsit et Thyestem, alium qui in Agamemnone ampullas meras deformesque putida exaggeratione sententias et narrationes fœdum in modum quasi congessit. Absit ut opus tale tragœdiæ titulo decoretur; et credendum est potius in his prolusisse tironem quempiam, ævi recentioris scriptorem, imitandi Senecæ aut Lucani juveniliter cupidum!

Ut ad Nostrates transeamus, vetustissimam Agamemnonis tragœdiam gallice scriptam exhibet decimi sexti sæculi finis, auctore *Roland Brisset* Turonensi (1). Latinum auctorem fidus quidem, sed omnino decolor et obsoletus interpres sequitur. Judicet lector ex iis quæ apud illum Cassandra ait :

A qui erray-je folle? à qui vay-je courante (2)?
Ores Troye est à bas. Que fay-je decevante
Et menteuse prophète? où suis-je? où fuit le jour?
Quelle obscure espesseur embrunit ce séjour?
Mais d'un soleil jumeau la clarté se redouble,
Et rehaussant ses murs Argos se montre double.
Je vois les bois Idez et le pasteur fatal
Entre les trois beautés arbitre à nostre mal :
Je vous adverty, rois, ceste race secrette
Ce nourrisson des bois d'une amour indiscrette
Ru'ra bas cest estat : comme ceste putain
Arme d'un poignard nud sa délicate main.
A qui est-ce qu'en veut ceste femme Lacène,
Armée à la façon d'une amazonienne?
Mais quel fantosme vain se présente à mes yeux?
Le marmariq' lyon jadis victorieux

(1) Impress. Turonibus, ann. 1590.

(2) Vs. 725 sqq. Jam Troja cecidit. Falsa quid vates ago?
Ubi sum? fugit lux alma, et obscurat genas
Nox alta, etc.

Des autres animaux, estendu sur la place,
De la fière lyonne a ressenti l'audace, etc.

Anno 1680, quum splendidissimo lumine micaret inter omnes sidus Racinianum, Abbas *Boyer*, non semel Racinii epigrammatibus impetitus, tragœdiam, sub Agamemnonis titulo edidit, non suo, sed commodi cujusdam amici nomine, *Pader d'Alezan*, inscriptam. Ut primum satis feliciter accepta fuit, ita pridie, detecto per se ipsum auctore (1), omnium sibilo explosa concidit.

Suam *Boyer* neque ex Æschylo, neque e Seneca tragœdiam mutuatus est; verum omnia prope ex cerebro depromsit suo. Scilicet fingit Orestem non jam puerum, verum egressum ex ephebis, perditumque Cassandræ amatorem; quam pariter deperit Agamemnon, meditatus novum cum illa conjugium, et ideo Clytæmnestræ repudium. Ægisthus non procedit in scenam, nec minus insidias struit, obtruncatque Agamemnonem.

Quod est de dicendi genere, languido plerumque nec ullo modo colorem illum puræ sinceritatis referente, non omnino tamen dedignandum est; nec illud est super quo severissime debeat auctor pro tempore judicari.

Interroganti Agamemnoni :

Que peut craindre un monarque au sein de ses états?
Que peut craindre un vainqueur?

Cassandra respondet :

Tout ce qu'il ne craint pas (2).
Oui, c'est dans ces moments de pleine confiance,

(1) Quum scilicet assideret inter spectantes ipse Racinius, nec a plausibus abstineret, gaudii impos *Boyer* convertit sese ad eum, exclamans alta voce : *Elle est pourtant de Boyer, Mons Racine!*

(2) Vs. 799 : « AG. Victor timere quid potest? CASS. Quod non timet. »

Que tu vas voir, trop fier d'une vaine puissance,
Ta grandeur renversée et tes projets trahis.
Je prévois ton trépas, je le vois, j'en jouis :
Je goûte dans ton sein la vengeance de Troie;
Et ce jour fortuné qui me comble de joie,
Est un jour plus cruel pour toi, pour tous les tiens,
Que dix ans de malheurs ne furent aux Troyens.
Mais c'est peu que ta mort m'ait pleinement vengée,
Par un crime étonnant Clytemnestre égorgée,
A les mânes sanglants ira se réunir.

Nostræ huic ætati (1797) contigit, ut digniorem haberemus Æschyli Senecæque æmulum; et is est V. Cl. *Népom. Lemercier* Agamemnon, quem Græciæ et Romæ æquo jure opponamus. Pauciora quidem ex Æschylo desumsit, cui tamen debuit, non inter personas Electram adduxisse, ratus scilicet non nisi nefario portento posse matrem ante ora præsentis filiæ paterno sanguine respersam adstare : quod monstrum alii non vitavere. Plura autem a Seneca, et præcipue hanc personam Strophii, qui Orestem servat, postquam Agamemnon occisus est, quique nullas fere apud latinum, satis graves apud gallicum scriptorem partes agit. Hic præterea Cassandram toti fabulæ plenius immixtam, utiliora agentem majoraque profantem inter præcipuarum partium personas induxit; Orestem ipsum sceleris ultorem futurum solus ostendit; solus et περιπέτειαν ex agnito Thyestæ gladio inter manus Ægisthi orientem invenit.

Revocat præcipue auctorem latinum ea nostratis scena, ubi Clytæmnestra fallacibus blanditiis feroces Cassandræ animos conatur demulcere; et hæc, reginam oculis indignantibus exsecrata, exclamat (act. II, sc. VII) :

Cette femme importune ma vue.
Tous mes sens ont frémi.

Et paulo post :

> Je touche enfin la terre où m'attendait la mort (1).

Alibi, act. IV, sc. 5 :

> Ilion a péri dans la nuit d'une fête (2).

Sed præcipue Senecam revocant ea, quæ sequuntur Cassandræ verba ad Agamemnonem, in eadem scena :

> Ah ! la fatalité sur nous deux étendue
> Épaissit le bandeau qui te couvre la vue.
> Le cruel Apollon qui me poursuit toujours,
> Rend ainsi les mortels à mes oracles sourds.
> Que me sert de porter ces voiles, ces symboles (3),
> Attributs d'un pouvoir qu'il ôte à mes paroles ?
> Dieu terrible ! il est temps enfin de dépouiller
> Ces ornements sacrés que ma mort va souiller.
> J'ai voulu te sauver ; je vais périr moi-même.
> La Parque a de tous deux marqué l'heure suprême ;
> Tous deux on nous immole : et mes restes errants
> Flottent sans sépulture en proie aux noirs torrents.
> Déjà prêt à lever sur nous ses mains impies,
> Le crime en ce moment nous dévoue aux Furies.
> Demain tu dormiras au lit de tes aïeux (4) ;
> Souviens-toi de ces mots... O toi, du haut des cieux,
> Dérobe à leurs forfaits ta lumière adorée,
> Divin Soleil, exauce une femme éplorée :
> Punis nos meurtriers, et fais luire sur eux
> Le jour de la vengeance accordée à mes vœux.

Apud Italos, vir præstantissimo ornatus ingenio, et tragico mirum in modum œstro accensus, *Alfieri*, pul-

(1) Vs. 1011 : « Jamjam juvat vixisse, post Trojam juvat. »

(2) Vs. 791 : « AG. Festus dies est. CASS. Festus et Trojæ fuit. »

(3) Vs. 722 : « ... Recede, Phœbe, jam non sum tua. »

(4) Vs. 798 : « ... at magnum tibi est (periclum)... » ; et totam vide scenam, act. IV, sc. 1.

cherrimum edidit Agamemnonis drama; in quo nescias quid plurimum mireris, actionisne simplicitatem, quum quatuor solummodo inducantur personæ (1), an constantem carminis grandiloquentiam : nec sine gravi desiderio notavi, hinc exclusam fuisse Cassandram, cujus partes argumento necessariæ Italicam poesim tragico instinctu et vi quadam fatidica afflatam ad sublimiora extollere potuissent. Is fuit præcipue Italus auctor, quem imitatus est nostras ille, quem satis laudare non possum, *Nép. Lemercier;* nec pretium deerit operæ legentis, quæ nuper C. B. *Petitot,* de ipsa Itali tragœdia, et de gallico auctore (2), adnotaverit.

Imitationum, quas indicamus, claudet hic seriem facta mentio Agamemnonis, quem scribebat Anglus *Thompson,* a. 1748 mortuus, multis carminibus et sublimi poemate de quatuor anni *Tempestatibus* insignior; in qua quidem fabula, ut est sapienter et recte disposita, præter Anglici ingenii morem, ita desideratur et vis tragica et æstus fervidior. Clytæmnestra scilicet, facinorosam exuta indolem quam ab Æschylo accepit et Seneca, labans animo inducitur; et tam acribus exagitata conscientiæ stimulis, ut Ægistho obnitatur, nedum veniat in partem sceleris. Plura cæterum reperias sententiose et philosophice declamata, ut est Anglorum et præcipue ipsius Thompsonis.

In gallicos versus translata fuit eadem hæc tragœdia, actaque Parisiis, anno 1780.

(1) Agamemnon, Clytæmnestra, Ægisthus, Electra.

(2) OEuvres dramatiques du comte Alfieri, traduites de l'italien par C. B. Petitot, tom. II, p. 8.



NOVÆ

DE VARIETATE LECTIONUM IN AGAMEMNONEM ANIMADVERSIONES.

1. *Ditis inferni.* MS. 8037, *Ditis æterni.*

2. *Emissus.* MS. 8037, *missus.*

4. *Fugio Thyestes inferos*, etc. Ita Both. ad h. v. Incertum se dicit Thyestes, Inferosne an Superos magis aversetur. Utrorumque igitur pari flagrat odio. At ita non videtur, si genuina est lectio vulgata : nam *fugere* aliud minusque est quam *fugare*. Fugimus etiam stultos, molestos, et eos, quorum commercio non delectamur : fugamus, id est, repudiamus spernimusque, non nisi malos et quos odio habemus Vatiniano. Quare idem verbum utroque loco reponendum censeo, legendumque oratione multo concinniore :

Fugo Thyestes Inferos, Superos fugo.

OEdip. 796 : « ipsa me pietas fugat. » Sequente versu legitur in vulgatis libris : « En horret; » sed in Florent. *Inhorret*, quod haud dubie melius. Versu 6 MS. Cruserianus apud Isacium Pontanum :

Video paternos, video fraternos lares.

Sed efficacior vulgata.

5. *Inhorret.* Permulti MSS. *Et horret.* Libri quidam, « En horret anim. »

6. *Video paternos, immo*, etc. Cruserianus repetitione non invenusta : « Video paternos, *video* fraternos lares. »

8. *Alti toro.* MSS. 8037, 8026, 8262, 6377, *alto thoro.*

12. *Nonne vel tr. lacus Incolere satius?* Inepta lectio, inquit Both. ad quam neminem dubium hæsitasse vehementer miror. Nam pisces vel ranæ

et id genus incolere dici possunt aquas, homines non possunt. Et hoc ut feras, quomodo tandem incoletur Cerberus? ocius reponendum *adcolere satius?* habitum *acolere* pro *icolere*. Nihil certius, nec raro sic erratum. Lygdamus, Eleg. III, 37, ex nostra emendatione: «Me vocet *ad* vastos amnes nigramque paludem *Ditis* in ignava luridus Orcus aqua.» Ubi *in* pro *ad* non impune reponeres.

15. *Corpus evinctus rotæ*. Florentinus et unus e Palatinis *rota*. Sed vera est vulgata scriptura. Poetis enim Ixion rotæ illigatus fingitur. Virgilius huc alludens, Æneid. V, 616: «radiisve rotarum Districti pendent.» Ubi vid. Heyn.—*Evinctus* dicitur pro simplici, vinctus, ut apud Tibullum, I, 7, 6: «evinctos brachia capta duces.»—*In se refertur*, id est, circumagitur.

23. *Reputemus*. MS. 8036, *reputamus*; Cruserianus, *repetamus*. — *Quos ob*. MSS. complures, *quos ab*.

28. *Fortuna*. Scaliger putat constare ex sequentibus legendum *cortina*, quia oraculo auctore Thyestes cum filia coivit. At Gronovio constare videtur hoc ipso versu non posse legi *cortina*: nullo enim oraculo ad manducanda liberorum corpora accessit.» Accipe igitur, inquit, *Fortunam* pro fato. Fatum dicit inscium se maculasse nefandis epulis: fatum scientem impulisse per Phœbum ad incesta.

29. *Commisso scelus*. MSS. 8055, 8032, 8029, et plerique alii «commisit scelus» dant.

35. *Avo parentem*. Ita Commel. et Fabric. at MSS. fere omnes cum Lipsio, *Avo nepotem*.

38. *Sortis incertæ fides*. Ad h. l. Gronovius: «utcumque non Delrio modo, sed et Scaligero placeat illa *incesta sors*, legendum cum Flor. et Lips. *sortis incertæ fides*. Hypallage est, ut ait nota, pro sortis incerta fides. Quia tam tarde apparuit, dubitatum de ea significat. Ut Petronius: «Et vatis fides Calchantis atro dubia pendebat metu.»

42. *Post decima*. MSS. omnes et Pal. quoque cum Grutero præbent *Post dena*; retro vulgati, *Post bina*; nos vulgatam servavimus.

52. *An dec. hoc te? resp. ad mat. d.* Nostram lectionem tuetur Lips. MS. 6377 hunc versum sic immutatum exhibet: «An d. te, aut *respice an matr. d.* haud feliciter.

56. *Redde*. Vulgo: *Redde*, per se quidem haud male, sed quum modo Ægisthum umbra compellaverit, malim sane, ambiguitatis vitandæ causa, quod suadet Gron. «*Reddo* jam mundo diem.» Non ita raro *e* et *o* literæ confusæ in MSS. velut Tibulli I, 2, 52, quum margo editionis Brix. habeat: «æstivo *fulserat* orbe *deus*,» legendum videtur: *fulserat o. dies*; fulserat, id est, fulgere desiit, obscuratus est, usurpato plusquam perfecto, pro perfecto; sicut passim. Vid. ad Hipp. 540. Quamquam nec male reposueris: «*fulserat* orbe *deus*, Phœbus.» Both.

59. *Excelsa locos*. MSS. 8024, 8031, 8037, 8032, 8260, etc. «excelsa

loco.» — *Dubioque nimis exc. locas.* Both. dat, transpositis verbis, «dubioque locas excelsa nimis! » et addit : « Ita Florent. nam vulgo :

Dubioque nimis excelsa locas.

Immisso in medium versum anapæsticum tribracho, qui non nisi extremo locum habet, ut monuimus ad Thyest. 832. Mox pessime distinguitur : «... Bootes. Ut... rotat! » quum τὸ *ut* referendum sit ad *sic* in superioribus.

62. *Alia ex alia cur.* Flor. et MSS. complures *Alia ex aliis*, ut legebatur ante Fabricium.

70. *Bootes, Ut præcipites.* Sic distinxit Botheus. Prava interpunctione prius vulgati : « Bootes. Ut præcipites regum casus Fortuna rotat! »

80. *Et conjugii.* MSS. 8036, *et conjugis.*

84. *Nimias semper.* MSS. omnes, cum Lipsio, *tumidas semper.* Melior nostra lectio; sic enim et optimæ membranæ.

99. *Vilia currant, pl. in vuln.* MSS. 8032, 8029, « vilia cunctant, plac. et in vuln. » MS. 8036, « vilia curritant. »

104. *Parte quietus.* Sic MSS. cum Grut. et Lipsio. Quædam edd. *sorte* pro *parte* dant.

105. *Aura stringit.* MS. 8036, *aur. strinxit.* MSS. 6377 et 8026, *aura restringit.*

111. *Et sceptra casta vidua tut. f.* Exstat in hunc versum mira varietas lectionum. MSS. 8032, 8260, « Et sc. c. juncta t. f. » MSS. 8024, 8039, « Et sc. casta vincta t. f. » MS. 8029, « Et sc. castis vinct. t. f. » MS. 8035, « et sc. c. vincta tutari f. » Nostram vulgatam tuentur Comm. Grut. et Fabr.

113. *Quum perit.* Vulgo : *perit;* sed Ascens. *periit :* quod sententia requirit; nisi quod versus causa faciendum *perit.* Vide ad Hercul. Fur. 49. Both.

121. *Vel Mycenæas d.* Flor. « *vel Mycenæas* domos conjuncta socio profuge. » Omnino rectius.

124. *Soror ista fecit.* MSS. plerique omnes et editi, *sors ita fecit*, id est, ut inquit vetus interpres, Fortuna dedit ista communiter : sed te, quæ regina es, decet majus nefas.

129. *Proin quidq. est, da temp.* Ad h. l. Comm. « *Proin quid est;* suspecta mihi hæc lectio : nam MSS. omnes *Proinde quidquid est*, sed repugnat lex metri, lego itaque cum edito : *Quidquid proinde est.* »

130. *Quod ratio nequit.* Lege ex Florentino : *non quit.* Pyrrhichium enim hæc sedes non recipit. Recte Flor. *non quit;* nam vulgatum *nequit* a numeris abhorret, nec placet Ascensii *nequiit.* Sequente versu *ut* omissum in membranis Etruscis. Nic. Heinsius : *quam moras possim ut pati.* Nihil aut non multum interest. Apparet autem, *m* prægressum offecisse conjunctioni. Both.

133. *Mixtus dol.* MSS. permulti, *Mistos d.*

137. *Dejectus, et pess.* Pont. cum veteri scribendum putat *devictus et*

pess. Nostram comprobat lectionem Fabric. Alii, inquit, *dejectus*; idque ad sententiam melius facit. Ut enim pudor oculos dejicit in terram, ita ipsa dejecit pudorem ex animo. Vel est mutatio præpositionis, *dejectus* pro *abjectus*. Libri etiam : *devictus* vel *devinctus*, ut Flor. Hoc explicaturus Gronov. « An, inquit, est ligatus, impeditus, et alludit ad nexus nodosque luctantium, de quibus in diatriba ad Statium? » Both.

140. *Incerta dub. unda*. MS. 8026, *cui incedat malo*. MS. 8036, *cui cedat moli:* quod probat notæ sensum.

141. *Regimen e man. m.* MS. 8026, *regimen est m.* MS. 8035, *regimine e man. m.*

143. *Fluctibus dedimus ratem*. E Delrii Mog. est. Prius habebatur *dedi*. Sed numerosius Flor. « fluctibus dedimus ratem. »

146. *Cui ult. est f. quid dubiam t.* « Causam non esse dicit, cur dubiam fortunam, id est, casum, timeat aliquis, qui ultima seu pessima fortuna utatur. Se autem intelligit, quæ minime timebat dubiam fortunam. Ergo legendum, si verum est τὸ *quid:* « Cui ultima est fortuna, quid dubiam timeat, φοβοῖτ' ἄν? Sed hoc versus respuit; admittit hoc :

Cui ultima est fortuna, quis dubiam timet?

Sic itaque reponendum. Harum vocularum compendia sæpius confusa. Cæterum Fern. et Cai. « Cui dubia est f. quid dubium t. »

152. *Quod metuit, aug.* Sic MSS. omnes et rectissime, pœnam nempe. *Oderunt* enim *peccare mali formidine pœnæ*. — *Obruit*. Aldus, *obstruit*.

154. *Rapienda*. MSS. permulti, *capienda*.

155. *At t. r. conjugii n. s.* Membranæ Burdeg. « at te reflectat *conjugis* n. s. » quod merito placuit Lovaniensi præ vulgato *conjugii*.

158. *Et jugales*. MSS. omnes *conjugales*.

161. *Fixa languore*. Flor. *longo*. Mendose.

163. *Peperit caput*. Gronovius *peperi* vulgavit, Florentinum sequutus. Nempe Clytæmnestra de se loquitur. At quanto gravius in tali oratione illud *peperit!* Exempla, quibus de se loquentes tertia persona utuntur, passim sunt obvia. Vide quæ collegit Drakenborch. ad Silv. VI, vers. 600.

166. *Ore sacrifico pater*. Omnes MSS. *ore sacrilego pater*.

167. *Quam nupt.* Fere omnes MSS. *quasi nupt.*

171. *Vela pariter*. Cod. Medic. *bella*, sed male, ut monet Burmannus ad Ovid. Met. XII, vs. 25.

175. *Am. captæ captus*. MS. 8035, *am. raptus captæ*.

176. *Phœbei ducis*. *Senis* ex Florentino substituit Gronovius, dum, quantus imperator fuerit Chryses, ignorare se ait. Sed *duces* passim a poetis dicuntur heroes et reges, ut multis exemplis ostendit Burmannus ad Ovid. Herc. XIII, vs. 43, et Propert. II, 13, 9.

177. *Ardore sacræ virginis, jam tum furens*. MSS. omnes fere dant : « Ardorem sacr. virg. tantum ferens. » Solus 8024, pro *furens* reponit *feretis;* quod contra *metrum* et *sensum*.

185. *A pellice unquam barbara*, etc. Fabric. « A pell. nnquam, vel suus cælebs torus; » et addit: « plus elegantiæ habet et veritatis, quod est in libro veteri :

Neve desertus foret
A pellice unquam barbara cælebs torus. »

Quod nostræ favet lectioni.

186. *Diligit Lyrnessida*. MSS. omnes dant, *Briseidam;* solus 8055, levi mutatione, *Briseida*.

187. *Avulsam*. Plerique MSS. *vulsam;* 8031, *evulsam;* quæ post vulgatam lectio nobis magis proba videtur. — *Viri*. 8036, *Thori*.

188. *En Paridis*. Fabric. *Hem Parid.* et addit : « in MS. *En Paridis hostem*, ut sit demonstrantis. Eadem in Hecyra Terentii diversitas, *Hem duxit;* ubi interpretes legunt, *En duxit*. Mihi si dicendum est, magis hoc loco placet indignantis, quam aut irridentis, aut demonstrantis oratio. — *Vulnus gerens*. MS. 8032, *vultum gerens*.

199. *Si aliter nequit*. Ita Commel. et editi. MSS. omnes cum Grut. *si aliud nequit*. Duo Palatini, *nequis;* alii, *inquit*.

202. *Mors misera non est*, etc. Sic vetustius cusi, sic Pall. novem cum Grut. Raph. et Scalig. Fabricius nobis invexerat, « commori quicum velis : » eleganter quidem, si ferrent cod. scripti. Ad h. loc. Raphel. « ingenue fateor, inquit, non intelligo : et minus *qui cum*, quod a Fabricio; aut *quocum*, quod ab Ant. Delrio. Fere scribam, « mors misera non est quum mori cum quo v. » Quo, id est, alio, quopiam, usitate. Ad hunc sensum illa ipsa versu præcedenti, «... perde pereundo virum. » Et Medea, « ... trahere, quum pereas, libet. » Omnis item ille in Troade Chorus, cujus initium, *Dulce mærenti*, etc. » — Vid. Not.

203. *Siste impetum*. MSS. fere omnes, *siste impetus*, quod sensui minime nocet.

206. *Et diu victos Phrygas*. MSS. fere nonnulli cum prima editione *ducit victos*. At male, *diu* pro, diutino bello. Tacitus Germ. cap. 37 : « tam diu Germania vincitur. » Dictio hæc Senecæ est admodum familiaris. De Clement. I, 10 : *diu mori* dixit pro, lenta morte consumi, Epistol. 24 : « Tunc ad illam (horam mortis) pervenimus, sed diu venimus, » id est, lente. Ep. 93 : « Quid illum octoginta anni juvant, per inertiam exacti? Non vixit iste, sed in vita moratus est; nec sero mortuus est, sed diu, » 101 : « Quid autem hujus (vitæ) vivere est? diu mori. » Non dissimiliter apud Statium, Theb. III, vs. 167 :

Ite diu fratres.

Hoc est, semper, æternum fratres, ut Barthius exponit.

207. *Hunc fr. n. e. et furto aggredi*. MSS. omnes cum Commel. et Fabric. « Hunc fr. n. conaris insana aggredi. » Lipsii liber, sicut nostra lectio, « conaris et furto aggredi. » Vere et eleganter, ait Lips., furta enim, de fallaci quovis et insidianti facto, Latinis dicta.

213. *Immixtis gerens*. Plerique MSS. *immixta gerens*.

216. *Non Bellicoso Thressa cum Rheso phal.* MS. 8035, « Non Bellicosa *Cresa* cum *Theseo* phalanx; » mira equidem lectio et a lect. nostra longe distans; quid enim *Cresa*. MSS. 8026, 8055, « Cressa cum Cresso phalanx. »

217. *Picta.* MS. 8035, *Pictas.* — *Pharetras*, MSS. 8037, 8262, 3026, 8031, *pharetra.*

220. *Victrix inultum.* Plerique codd. et MSS. *ultrix inult.*

222. *Propone.* MSS. 8032, 8030, 8262, *praeponent* exhibent.

231. *Oppone cunctis.* Ita MSS. omnes. Fabric. vero, « Oppone meritis. »

233. Clyt. *Ægisthe, non est*, etc. « Hæreo, inquit Gruterus, cum Delrio, annon et iste versus adscribi queat Ægistho : quum tamen MSS. nostri omnes tribuant Clytæmnestræ, hæc loquetur pugnans quasi cum mente sana insanaque; et prævalente jam sana, ut liquet ex sequentibus; sed ad breve tantum momentum. »

235. *Com. tantum : sang.* etc. Lipsius, « Comitare tantum sanguin. » MSS. « Com. tantum : r. tibi ignavus i. d. a. f. pater ? » q. d. tantum sanguinem quantus fuit filiæ non reddet. — *Reddet.* Liber quidam, *reddat.*

237. *Quid trementes.* Alii, *trementis.* Vulgatam facile tuetur Virg. illud Æneid. IV, vers. 643, de Didone : « maculisque *trementes* interfusa *genas.* »

238. *Jac. q. vultus languido obtutu stupet?* MSS. plerique, « Jac. q. vultu languido obtutus stup. » MSS. 8036 et 8037, pro *obtutu* reponunt *obrutus;* pro *stupet*, 8032, *stetit.*

240. *Referamur.* MSS. omnes, *remeemus.* Flor. *referemus.*

241. *Abire : vel nunc c. rep. fides?* Alii, *sic nunc;* alii, *sed nunc :* verum in optimo, cujus lect. recepimus, « vel nunc casta repetatur fides. » Ut in Phœniss. vs. 2, « quam tanti est mihi genuisse vel sic. » Et in Medea, vs. 515 : « pro me ? vel scelus. » Vides nexum orationis, paulo magis ellipticum, quem in utroque loco sibi displicere merito notat Gruterus.

250. *Rere ad animum suapte u. t.* Tò *suapte* pro dissyllabo nusquam alibi Noster habet, neque similes non earumdem vocalium contractiones apud eum invenias. Cf. Herc. OEt. 1096, et ad eum locum annotata. An igitur dedit Seneca :

Quid reris ad suapte natura trucem
Trojam addidisse ?

Ad trucem; ad truculentiam Agamemnonis. Non paulo hoc elegantius vulgato « Quid rere ad *animum* suapte, etc. » videaturque hæc illius interpretatio. Herc. OEt. 390 : *Materque* multum rapuit, id est, matris status. Cf. ibidem 229, Oct. 124. *Adice his superbam pellicem*, quum vellet indicare superbiam pellicis Poppææ. Mox Lips. « Tenetque *regnum*, » quod in ordinem Gruterus recepit, cæterorum *regem* non male tuente Gronovio. Both.

254. *Sola s. t. em. Tenetque regem.* Sic Flor. At Gronov. « s. s. longe

em. Tenetque regnum. » — *Regem* a solo codice est Lipsiano. Delrius dissimulat. Grut. quod mirum, admisit contra suos omnes, ob similem locum Tibulli. Et certe non incommode dicitur. Sed juxta tenerum est alterum. Regem in potestate habet: affinia sunt illud Justini, lib. XII: « suis permisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores. » Et Sueton. in Tiber. VII: « quum et Agrippinæ consuetudine teneretur, et Juliæ mores improbaret. » Τὸ enim *turba* etiam habuit Lipsianus, sed non loco positum. Sic enim ille, « turba sed longe eminet: » damnante versu. Gron.

258. *Mariti possidens pellex domum.* Botheus: Lege cum Flor. *Palam marita*, i. e. marita coram, in conspectu maritæ: hunc sequor. Dejanira Nasoniana, Heroid. IX, 121:

Ante meos oculos adducitur advena pellex.

Terentius, Eunuch. IV, 7, 24:

Rogitas? quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxit tuum!

Idem Heaut. V, 4, 18:

Nun mihi per fallacias adducere ante oculos...

Ovid. Art. Am. II, vs. 569:

Marte palam simulat Vulcanum imitata.

« Non erat, addit idem, cur hunc versum mutaret Nic. Heinsius ad Ovidii Heroidas, reponeretque: *P. maritam p. p. domum.* Nam *maritam* domum esse, in qua nupta, sponte intelligitur; sed *marita pellex* argute dicitur Cassandra, ut infra *Captiva conjux*, 1002. Altero post versu idem codex *agis*, quod suadenti magis convenit, quam vulgatum *rapis.* »

261. *Resid. incitas.* Sic Delrius, Flor. Vossian. Mog. et alii. Gronovius *excitas.*

263. *Nec conj. h. resp. nec dom.* Sic Florent. cum vett. edd. Delrius in omnibus suis constanter legi ait: « non conj. hoc respicere, non. »

264. *Lex al. solio est, al. privato in t.* MSS. omnes et interpr. « alia socio, alia privato, » vel *in* privato: hac sententia, alia conditio conjugis, alia pellicis et quidem servæ: sed melius opponuntur *solio* et *privato.*

269. *Aut nova.* Flor. quoque: *aut.* Et ad hæc Grut. « Sustuli interrogationem, neque patior hic quorumdam *aut;* miratur enim, Clytæmnestram, familiæ regnatricis et prolem et nuptam, ignorare adhuc vetusta illa et omni ævo ubique usurpata regnorum jura. » Ipse Gronov. fatetur, hæc duo vocabula tam frequenter confundi in antiquis libris, ut, utrum stare debeat, sæpius ex sensu, quam ex fide librorum, sit judicandum. Quod Cicero aliique: « Novum *et* inusitatum, novum *et* inauditum, novum *et* inopinatum, » nihil ad rem. — Al. *haud nova.*

275. *Atridem.* Flor. *Atriden.*

276. *Nec cepit.* MSS. 8261, 8029, *nec recepit.* — *Obstrictum.* Nonnulli MSS. *astrictum;* 8036, *obstrusum;* 8024, *obstructum.*

279. *Quid honesta prod. v. flag. vacans.* Plerique MSS. « *quid honestas* prodest, flagitio carens. » Alii servant *vacans*; alii *honesta*.

281. *Spartam ne rep. spreta, Et Eurotaa tuum.* Variant lectiones in h. l. MSS. 6377, 8035, 8036, « Spartem nunc repetes freta et a tanto viro. » MS. 8024, « Spartem nunc repetes *sperta* et tanto viro. » *Sperta* sine dubio errore scribarum. MSS. 8037, 8062 : « Sp. non repetes f. et t. v. » Gronovius *quoque spreta et à tanto viro* : « Quis, inquit, hic vitium subesse suspicatus est? tandem si consideres, quam languidum est illud magnam præferens vim, *a tanto viro?* En exemplum nobile, quomodo soliti sint libri corrumpi. Optimus liber habet, *spreta et euro tantum*. Inde fecerunt quidam *et a viro tanto*: quod nos in quibusdam etiam scriptis vidimus. Accessit corrector alter, legum carminis paulo gnarior, et, transpositis duabus vocibus, expatravit quod adhuc semper editum fuit. At ex antiquissima scriptura faciendum fuit : « Spartam ne repetes spreta et Eurotan tuum ? » habes hic, una litera addita, quidquid in fidelissimo libro fuit, et sensum egregium. »

290. *Nubet.* MSS. 8031, 8032, cum Vossiano, ut voluerat Grotius et Both. *nubam*.

293. *Thyestæ*; sic Flor. *Thyeste* Gron. reposuit.

297. *Quid Deos probro advocas?* Flor. « quid Deos probro addimus? » eodem, nisi forte exquisitiore sensu : participes probri facimus. Valer. Flaccus, V, 286 : « ... quibus *addimur* armis? » Ubi vid. Burm.

298. *Surripere doctus fraude geniales toros.* Flor. « sub rupe reductus fr. genialis tori. » Nostra distat lectio. Gronov. legendum forte conjecit : « subrepere ausus fr. geniali toro. » Commel. *genitales*, et ita omnes apud MSS. esse asseverat.

300. *Facesse prop. ac ded.* MSS. omnes cum Gronovio : « secede propere; dedecus. » Prætuli *facesse*, quia infra 308 iterum *secede*.

301. *Hæc vacat regi ac viro.* MS. 8026, *hæc vacet*. MSS. 8032 et 8261, *v. regi viro*. Scripti plerique cum primis editionibus : « hæc vacat regia viro. » Mordaciter hoc ait. Nam Ægisthus venere tantum illicita vir, vel, ut loquitur Ovidius, Art. Am. III, vs. 640, furtivus vir. *Vacat* eo modo dicitur, ut apud Ciceronem Epist. ad Brut. 17 : « Quid enim nostra, victum esse Antonium, si victus est, ut alii vacaret; quod ille obtinuit? » — Conjiciebat legendum Gronov. « regia hæc pateat viro. »

304. *Argisve cedo.* MS. 8036, *Argis recedo*; sat proba lectio.

307. *Quæ juncta p.* Unus Delrii liber habebat, *juncta*; quod non placet Grutero. « Veniebat in mentem, inquit, *quæ iaulta peccat*; ut vellet : quum quis peccavit cum alio qui deprehensus conscium tamen non prodit, quo vel socium saltem haberet in pœnis, ei socio etiam fidem deberi mutuam. » Sed et istud coactum nimis. — Alii, *invita*.

315. *Thebais hospes, com. ch.* MSS. omnes, *Thebana manus com. ch.* Heinsius malit *OEbalis hospes*. Sed accesserim Gronovio, verba « quæque vireuti Tacitum ripa bibis Ismenon » de Bœotis generaliter accipienti. Nam pro Bœotia Noster in Herc. Fur. vs. 334, dixit :

quidquid Ismenos rigat.

Et similis redundantia adfuit in Phœniss. vs. 124 :

quisquis Assyrio loca
Possessa regi scindis, et Cadmi nemus, etc.

322. *Arcus victor p. relata.* MS. 8260, « arc. vict. p. relaxa. » 8024, « arc. victo ph. r. » MS. 8029, « art. victor Phœbe r. » MS. 8026, *arcus victor Ph.* etc. — Ad hunc locum Both. « Vulgo: *arcus v. p.* etc. Sed verba *pace relata* absunt a Palatinis nonnullis, Moguntiaco, Herbip. Fernand. et edd. Venetis, suspicionemque non levem movent interpolationis; quæ suspicio augetur tædio similium clausularum *pace relata*, *Phœbe relaxa;* quale vitium purgatæ auris tragicus vitavisset. Sequutus sum igitur istos libros potius quam vulgatos. Mog. etiam *vinclo* pro *victor*, quod quo pertinere dicam nescio. » — Sed ea non probo.

328. *Intonet altis.* MS. 8035, *insonet altis.*

330. *Simplex; lusus*, etc. MSS. quidam, *simplex usus;* alii, *simplex versus.*

333. *Canebas.* Sic edd. antiquiores cum Scriverio. Dat Commel. *sonabas.*

334. *Fulmine victos videre Dei.* Præbent omnes MSS. cum Lips. hanc lectionem : « Fulmine misso fregere Dei : » quod consarcinatum videtur ex verbis Ovidii, Met. I, 154, de Gigantibus.

336. *Superimpositi.* MS. 8035, *Superimpositos.*

345. *Pacemque regis.* MSS. 6377, 8026, 8036, 8055, 8262, *pacemque geris.*

346. *Tu nunc lauros Agamemnonias.* MSS. 6377, 8035, 8055, « Tu nunc claros Agamemnonios. » MS. 8036, « Tu nunc claros Agameneos, » sine dubio errore scribarum : nam quid hæc vox *Agamenneos?* MS. 8026 dat *Agamemnones.*

352. *Lampada jactant.* MS. 8035, « Lampada jactent. » — *Ad tua conjux.* MSS. 8024, 8029, *ad tua cervix :* nec male.

367. *Et te Triviam nota memores.* MSS. omnes et Gronovius, « Et te, Trivia, grata memores. » — Florent. dat « Et te Triviam nota memores. » Quod videntur mutasse, qui putarent accusativum casum illic locum non habere. Sed falso. Infra, 805 : « Et te sororem cuncta pollentis viri, Argolica Juno. » Troad. 28 : « Testor Deorum numen adversum mihi, Patriæque cineres, teque rectorem Phrygum, etc. » *Nota* significat assiduitatem colendi. *Memores* vero idem quod grati. Gron.

371. *Nunc jam stabilis.* Ascens. *quæ jam stabilis*, non male, modo de fide ejus lectionis constaret. Sequente versu Mog. *respicit*, unde Lovaniensis *despicit;* sed non aliud quam vulgatum *respuit* voluisse arbitror librarium.

374. *Tu Tantalidos.* Heinsius refingit,

Tu Tantalidos
Funera victrix matri annumeras.

Et confert illud Statii, Theb. IV, vs. 528:

> In speculis mors atra sedet', dominisque silentes
> Annumerat populos.

Sed tuetur vulgatam locus Herc. Fur. vs. 390:

> Riget superba Tantalis luctu parens.

Auctor in OEdipo, vs. 613, matrem ipsam fecit *umbras numerantem.* Nonnus autem Dionys. XII, vs. 80, de Niobe:

> Δάκρυσι λαϊνέοισιν ὀδυρομένη στίχα παίδων.

375. *Victrix numeras.* Fern. Cai. transpositione, *numeras victrix.*

377. *Flebile saxum.* Audi Botheum: « Expressi Florentinum et Gruteri tres libros, Gronoviique membranaceum, quibus adstipulatur Fernandi editio, primum a me collata. Nam digna hæc poeta esse, censeo cum Grotio et Gronovio. Vulgo:

> Flebile saxum,
> Et adhuc lacrimas marmora fundunt
> Antiqua novas.

Pro *fundunt* liber vetus Commelini *sudant*, duo Gruteri *mittunt.* Recte Gronov. comparat Horatii illud eruditum, Epist. I, 19, 44:

> Fidis enim manare poetica mella
> Te solum.

Idem rationem cantici ita explicat ad vs. 315: Invitari facit (ab Argivis) peregrinas, quæ essent Argis, ad celebrandum solemnem ipsis diem. Sic solebant, ut jam indicavimus in notis: Livius, lib. IV: « Spectaculum comitate hospitii, in quam publice consenserunt, advenis gratius fuit. » Sic apud Euripidem in Electra, vs. 784, Ægisthus sacrificans invitat ignotum Orestem pro Thessalo hospite:

> Νῦν μὲν παρ' ἡμῖν χρὴ συνεςίους ἐμοὶ
> Θοίνην γενέσθαι· τυγχάνω γὰρ βουθυτῶν
> Νύμφαις. Both.

381. *Tuque ante omnes.* MSS. et edd. « teque ante omnes. »

385. *Cape dona libens.* MS. 8036, « dona libens accipe. »

389. *Signa lætitiæ ferens.* MSS. omnes et Gronovius præbent legendum, *s. læt. gerens;* propter seq. verbum *gerit.*

390. *Namque hasta.* MS. 8036, *Namque hastæ.* Vide notas.

393. *Vix credens mihi.* MSS. fere omnes, « vix concedens m. » sed male.

402. *Prosperum tandem diem.* Sic Pontan. Commel. et Florent. sed rotundius videtur Gronovio scribere, *prospero tandem die.* Eo enim, inquit, Deos coli vult. Metathesis est in illo, « si propitios attamen lentos Deos. » Accipiendum enim: « si lentos, tamen propitios: » etsi tarde, tamen exoratos. Ut solet ludere in τοῖς *Tam quam.* Vide Fabrum,

Semest. I, 23. Sensus idem Sophoclis in Trachiniis, vs. 197 : Ὦ Ζεῦ, τὸν Οἴτης ἄτομον ὃς λειμῶν' ἔχεις, Ἔδωκας ἡμῖν, ἀλλὰ σὺν χρόνῳ, χαράν. Et in Philocteta, vs. 1402 : Ὦ φθέγμα ποθεινὸν ἐμοὶ πέμψας, Χρόνιός τε φανείς. Pro *prosperum* scribit Cruserianus *sacrum*, quæ est omnino rejicienda lectio.

406. *Posco, et obtestor Deos.* MSS. 8055, 6377, etc. « posco ac testor Deos. » Sed perperam, et contra metrum.

409. *Socia.* MSS. 8026, 8036, 8u55, *sociam.*

413. *Lacerasque.* MS. 8260, *laceras.*

414. *Effure, casus quis rates hausit meas?* MSS. omnes et libri editi : « Quis fare nostras hauserit casus rates. » Hoc vero fluxit ab iis qui nesciebant indicativum modum sæpissime jungi interrogativis indefinite positis.

415. *Dispulerit.* « Sequor Florent. sit Both. nisi quod omnium librorum lectio *dispulerit* jam mutanda est in *dispulerat.* Alioqui Tragicus σολοικίζει. Ad sententiam quoque hoc rectius : nam ante dispulsi erant duces Græci, quam quisquam eorum naves amitteret naufragiumque pateretur. Et sæpe hæc verborum tempora confunduntur. »

416. *Jubes.* « Vulgo *jubes.* Novi asyndeti amantem Nostrum; sed est modus in rebus. Hoc loco τὸ *jubes* ortum esse ex *jubes*, quovis pignore certarim. » Both.

419. *Qui refugit suas.* MS. 8035, *qui despicit suas.* Sed male.

428. *Remigem monuit tuba.* MSS. omnes, *remigem emovit tuba.* Hic optimum Gruterum ignis fatuus pro Pharo decepit. Et quem non deciperet nihil aliud videntem? Ecce omnes MSS. ejus et antiquitus cusi aut *regimen emovit*, aut *remigem evomit.* Nec aliter Vossianus et Heinsianus, et Noster, et alii minorum gentium, quos adhibuimus. Sed quod ille recentiores (hoc est, G. Fabricium, et fatetur in plerisque suis esse Delrius) objecisse criminatur, *remigem monuit*, id est longe antiquissimum, et habetur in optimo Etrusco. Sed et melior phrasis, non eo tantum, quod *monitorem* dicunt antiqui quemvis exactorem operis, sed vel maxime, quod *hortator* in navi, qui signum dat nautis movendi brachia. Nonius: « *Hortator* remigum, qui excussum et hortamenta moderatur. » Ovid. Metam. III, 619 : « qui requiemque Modumque voce dabat remis animorum hortator Epopeus. » Ita ergo tuba illa hortatrix remigem *monuit.* Gron.

429. *Designat vias.* Vulg. *signavit vias.*

432. *Unda vix actu levi.* Sic Florent. Vulgatum erat ante Gronov. *unda vix tactu levi.* Wakefield. ad Lucret. V, 1329, emendabat *ictu.* Sed turbant aliquantulum duplices ablativi, quorum uter causam, uter effectum indicet, non statim assequare. Mallet Both. *a flatu tremit*, quemadmodum *a sole cadat*, et similia dicuntur.

433. *Tranquilla.* MSS. 8024, 8030, etc. *tranquillo.*

442. *Ut aura.* Plerique MSS. *At aura.* — *Fortior.* MS. 8035 *fortius* exhibet.

444. *Fususque transtris miles.* Sic Commel. At MSS. quidam cum Fabr. « Fusus que transtris navita. »

448. *Sparsum cruore regis Herceum Jovem.* « Miror, inquit Fabricius, quis in margine hoc loco et infra notavit, *Herculeum Jovem :* quum *Herceum* jampridem restituerit Caietanus, ad cujus aram Priamum cæsum poetæ græci et latini tradiderunt. »

452. *Agitatque gyros.* Alii legunt *Agitque.* Sed *Agitatque* (si *agitare* est, ut ait Donatus ad Terentii Hecyr. I, 2, 18, aliquid voluptarium facere) palam confirmat, qui Senecæ ob oculos fuit, Pacuvius aliam tempestatem describens in Duloreste : « ... piscium *lasciviam* Intuerentur, nec tuendi satias capere possiet. » Male.

453. *Et rursus sequi.* MS. 8036, *et cursus sequi.*

457. *Parent.* MS. 8035, *patent.* Sed male.

458. *Et jam, quod unum.* Flor. « Et, id quod unum, » eleganter : et sequimur. Virgilius, Ecl. III, vs. 35 :

> Verum, id quod multo tute ipse fatebere magis,
> Insanire libet quoniam tibi, pocula ponam
> Fagina.

Plura dabit Hoogeveenus ad Vigeri libellum de Græc. Dict. Idiotism. pag. 169 ed. Zeun. Both.

463. *Nitidum cadentis inquinat Phœbi jubar.* Sat eleganter et ad rem apte scribit Cruserianus : « Nondum cadentis moverat Phœbi jubar. » Nondum, inquit, nubes removerant cadentis jam solis jubar. Suadent et sequentia.

470. *Quum subito luna conditur, stellæ latent.* MSS. omnes et Gronov. *stellæ cadunt.* « Probavit, inquit hic, e suo Lipsius : *stellæ latent.* At illi contra, *cadunt*, in cunctis legi libris, quos viderint. Scimus, et in multo pluribus, quos non viderunt. Malle alios, addunt, ex uno *latent*, quia verius ; fatenturque hoc verius κατὰ λόγον, non verius ad scripturam Senecæ. Hic ingens commentarius, et vulgo stellas decidere dici, quum defluunt quædam in altum emissæ et accensæ exhalationes. At de his haudquaquam loquitur Seneca, sed de veris stellis, et nubibus obductis ait omne nocturnum lumen eripi. Sunt etiam lepidi, et in amicum suum dicta jaculantur. Cur ergo, aiunt, putant hic minus recte legi *cadunt* quam *latent?* Nimirum quia sæpe tenebræ Soli criticorum offunduntur et labuntur aliquando quantumvis clara in hoc freto conjectationis sidera. Fontem urbanitatis! Sed ne cum illis certemus, tu lector, si sapis, ex Florentino et Lipsiano lege : *stellæ cadent.* Flor. quoque Heinsiani et meus : *Quum subito luna conditur.* »

472. *Nec una nox est.* MS. 8035, « Nox est non una. »

477. *Sua quisque mittunt tela.* Quæ sunt *tela ventorum!* inquit Gronovius. Respondet vir doctus, esse vires eorum undique collatas cum magno impetu, comparatque Ciceronis illud, Epist. ad Attic. VII, 6 : *Nisi forte hæc illi tum arma dedimus*, id est, prorogatum Cæsari quinquennium

et habita ratio absentiæ. At hoc est longe petere, quod in promtu est. Tela ventorum sunt *nives*, *arenæ*, *nimbi*, denique quæ recensentur singula in sequentibus.

480. *Libycusque arenas Auster ad Syrtes agit.* Ita Lipsianus et Delrius, qui ponunt *ad.* Horum lectionem, assentiente Gronov. improbat Gruter. qui videre se negat quid in hac lectione sit leporis, legitque, *ac Syrtes.*

484. *Quid rabidus.* Vulgatæ nostræ lect. favet Florent. Gronovius autem *rapidus.*

485. *Sedibus totum.* Alii, *motum.*

491. *Ærumnis datur.* MSS. omnes cum Gronovio dant « ærumnis datum est. »

492. *Malo.* Alii, *modo.*

496. *Miserisque lucis tanta dulcedo est malæ.* Sic Botheus, Badenius et ante eos Delrius; omnes optime; ut saltem conjungenda hæc in unam sententiam esse intelligamus. Sed hoc parum esse ait Gron. Et experiare num credas; « nam *lucis malæ* sive in genere dicatur, quis adeo insanus est, ut lucem, rem optimam, appellet malam? sive fulgura intelligamus, quid differunt « lucis tanta dulcedo est » et « Hoc lumen optant? » Depravata, loci scriptura est, legendumque secundum editionem, in qua: *male Hoc lumen*, etc.

Miserisque lucis tanta dulcedo est: male
Hoc lumen optant.

Male hoc, tam ingratum, tamque periculosum, *lumen optant*, id est, valde, vel cum damno suo. Gron.

500. *Et alto redditam revomit mare.* Gronovius *mari* pro *mare* legendum vidit. Nam quod et *alto* mutat in *alio*, et interpretatur navem diu sub undis tractam, quam remotissimo ab eo, ubi absorbuit, loco et in alius nominis mari (Lesbio, Icario, Carpathio, etc.) rursus evehat mare ac proferat, commendationem habet ab ingenio, non veritate. Both.

501. *Hæc onere sidit.* MSS. 8035, 8261, verbis et sensu parum mutatis præbent, *Hæc onere sedit.*

503. *Populato.* MSS. omnes, *populata.*

506. *Trunca toto puppis Ionio natat.* Sic etiam Florent. non *fracta*, ut habent vetustissimæ edd. ac membranæ Lipsii et Fabricii ac unus Grut. Ex Pal. alii, « Sed structa toto puppis, » aut, « Sed structa toto turpis Ionio, » aut denique, « Sed trunca toto turpis Ionio. » Male.

507. *Ars cessit malis.* Sic Fabr. et injuria ob id ab illo qui nominare eum non audet. At Grut. recte notat alterum, « in magnis malis, » fictum ab eis qui sententiosam phrasim exire cupiebant: tandemque intellexit librum unum optimæ notæ potius sequendum quam decem minus bonos.

514. *Agamemno.* Similiter, monente Gronovio, Attius Armorum judicio, Cic. Epist. ad Att. XIII, 47, et Statius; Liv. autem, XXXVIII, 4, *Aretho.* Valerius Maximus, VI, 9, *Polemo*, et VIII, 9, *Solo.* Quintilianus, XIV, 22, *Palæmo.* Silius Oxonii II, 192, *Tero.* Gellius item *Solo*, X, 8, et *Ario*, XVI, 19. Neque aliter Latini, ubi non græcissant,

quemadmodum et *Plato* dicitur, et *Antipho*, *Ctesipho*, *Demipho*, etc. Valeant igitur Ascensius et Aldus cum corrupta sua lectione *Priamo Agamemnon*. Nam quod raro sic Noster solet, ut monuimus, secundum Gronov. ad Thyest. 783, facit more recentiorum, quos tamen deserens nonnunquam auctoritatem petit a vetustate. Both.

515. *Cadere qui meruit gradu*. Vetus lectio *manu*, quæ Schrœdero confirmari videbatur, ex Virg. Æn. I, 98:

mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra?

Sed *felicitatis* plurimum refert, qua cadas manu, nuda an armata, feminea an forti, aliena an tua; nec qualibet Æneas dextra, sed Diomedis, fortissimi Danaum, periisse velit. Unice verum est *gradu*. Seneca, Consol. ad Polyb. cap. 25: « Omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere; utrumne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris. » Idem de Constant. Sap. cap. 16, de gladiatoribus fortissimis verba faciens: « quorum alter premit vulnus, et stat in gradu, alter respiciens ad clamantem populum, significat nihil esse, et intercedi non patitur. »

516. *Tellus premit*. In superioribus aliquot Palatt. et Delriani cum edd. vetustis: *victa quem tellus tegit*, non *premit*, ut vulgo; quod minus aptum in re exoptata.

517. *Pontus atque undæ fer*. MS. 8036, « pontus ac undæ ferunt. »

519. *Perdenda mors est*. Ita Mog. et Veneti. Recte. Scilicet sic vulgo quidem legitur. Et sunt hæc necessitati cedentis, mortemque oppetentis. Sed qui hæc, sperat etiam, et avertere cladem tentat precibus. Sic, notante Grutero, Thyest. 1096: « Perdideram scelus, » et Med. 976: « Non in occulto tibi est Perdenda virtus. » Alii, *pudenda mors est*.

526. *Vehit ista Danaos classis; et Troas vehit*. Interrogationis signum invehit Gronovius, quum antea rarissime distingueretur: « Vehit ista Danaos, classis et Troas vehit. » Intelligenda scilicet a fronte particula *si*, quam sæpe omitti notissimum est.

534. *Tenso rudente*. Florentinus et alii, *Tento*, ut fere codices in hoc participio variant. Sine diversitate tamen Lucanus, II, vs. 683, de ratibus: « Sæpe Noto plenæ, tensisque rudentibus actæ. »

536. *Certum reducta*, non *tortum*, quod subjecerunt Jovianus Pontanus et Fabricius. *Certum* est haud dubie percussurum ipsum Ajacem, non aberraturum destinato. Sen. de Ira, lib. I, cap. ult. « C. Cæsar iratus cælo, quod comissatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum *certis*. » *Reducta*, ut Petronius: « mox *reducta* cuspide Uterum notavit. »

550. *Tandem horream aliena inerti*, etc. Sic omnes ante Lipsium edd. « tandem horream Aliena inerti tela mitti dextera? » Quod non debuerat mutari: *tandem* indignantis est. Sic apud Terent. in Phorm. II, 1, 1: « Itane *tandem* uxorem duxit Antipho injussu meo? » Ubi plura Westerhov. *horream tela mitti*, pro missum, jactum telorum, infinitivus pro

accusativo, ut sæpe. Vid. Sanct. Minerv. pag. 428 : *aliena*, non ejus quæ mittit, sed a Jove commodata. Apud Euripidem in Troad. vs. 80, Minerva :

Καὶ Ζεὺς μὲν ὄμβρον καὶ χάλαζαν ἄσπετον
Πέμψει, γνοφώδη τ' αἰθέρος φυσήματα,
Ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ πῦρ κεραύνιον,
Βάλλειν Ἀχαιοὺς, ναῦς τε πιμπράναι πυρί.

Quidam distingnunt : *Tandem horream? aliena inerti*, etc.

566. *Hinc et Chalcidu*. Sic Commel. et Scaliger. MSS. quidam habent *Calcedona*, alii *Calcidona*. — *Anthedona* legendum conjecit Gronovius : Eustathius, ipso monente : Ἀνθηδὼν πόλις λιμένα ἔχουσα, ἐσχάτη τῆς Βοιωτικῆς παραλίας τῆς πρὸς Εὐβοίας· unde Homerus ἐσχατόωσαν dicit. Libri fere *Chalcedona*, vel *Calcedona;* Ald. *et hinc Chalcida*. Jacob. Gron. in schedis Dietz. « Hygin. fab. 14 : Admetus Pheretis filius, matre Periclymene, Minois filia, ex Thessaliæ monte Chalcedonio, unde oppidum et flumen traxit. Adde Stephanum in Ἡραία. De Chalcedoniis urbibus Harpocratio, ad quem vid. Vales. pag. 197. Cf. Prol. Justini lib. VIII, Euboea Χαλκωδοντίδων patria Euripidi in Ione. Χαλκώδων Pausan. p. 567 et 570, prope Chalcidem. » Hinc scribendum constat, minima quidem mutatione : *Chalcodona*. Sequente versu, similem terminationem vitaturus, dedi *Aulin* pro *Aulida* vulgato. Lucanus, V, 236 : « iniquam classibus *Aulin*. » Both.

570. *Perfida*. MS. 8035, *fervida*.

574. *Relegentem*. MSS. 8026 et 8055, *relegantem*.

576. *Et maria malunt : cecidit in lucem furor*. Variant libri. Alli *Malantque*, vel *Voluntque maria*. Optimus cum uno e Pal. *Et maria malunt*. Etiam quæ sequitur clausula, valde ambigua est. MSS. fere omnes et edd. nonnullæ : *cecidit in lucem furor*. Nuperi, *cedit in luctum*, etiam ex quibusdam antiquis editionibus. Sed illud reduxit Lipsius, et interpretatur, ut olim Bernardinus, sub lucem desiisse tempestatem. Sic in Medea, « Jam cecidit ira ; pœnitet facti, pudet. » *In lucem* Suetonio *ad lucem*, Julio : « quum luminibus exstinctis decessisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto. » *Ad noctem* Lucano, quem locum olim tuebamur adversus summum virum, lib. IV, vs. 356 sq. « quo tempore primas Impedit ad noctem jam lux extrema tenebras. » Et siquidem hæc lectio probanda est (ut utique probanda est), hæc quoque unica ejus probanda est sententia. Nam duæ aliæ interpretationes, quas homo acutus protulit (prior, quum horrerent litus naves tenderentque in altum, furorem et veluti fatum eas repressisse ad terram sive facem a Nauplio accensam; altera, *furor* Græcorum *cecidit* in *lucem*, esse, Nauplius eos luce sive face sua decepit), nihil habent sani. Gruterum quominus hic ferat illud *lucem*, movet, quod id statim repetitur, versu sequenti, ac bis idem dicitur. Sed nec bis idem dicitur, et quia hic commodum sensum facit illud *lucem*, sequenti nonnisi ineptum, acquiescere debuit hic

dumtaxat scriptis, in sequenti vero remedium quærere. Manus illustris, *cælitum cedit furor.* Gron.

577. *Postquam litatum est Ilio, Phœbus redit.* Gruterus conjungit sensum cum v. præced. et scribit: *cecidit in luctum furor Postquam litatum est;* quasi dicat, inquit Gronov. Nauplium misertum esse Græcorum, ut undique oculis ejus naufragium infame patuit: aut, *Postquam litatum, ac Phœbus*, sensu planissimo, ut ille putat, etc. Ad hæc notam longissimam subjunxit Gronov. de variis litandi formulis, quam hic referre operæ pretium esse non putavimus.

588. *Entheas.* MS. 8026 dat *Eritheas.* — *Laurus quat.* 8035, *lauros q.*

589. *Heu quam dulce malum mortalibus additum!* Hujus metri (sc. Æolici) ignarus Avantius similem sequentis versum fabricatus est hunc:

Quam mortalibus heu! dulce malum additum!

Nec melius Lovaniensis monachus uncinis inclusit τὸ *additum* tanquam spurium, quum neque metro adversetur, et lectum sit, nedum intolerabile, ut observat Gronovius ad h. l. Both.

590. *Dirus.* MSS. quidam *durus*, sensu sat accommodante.

593. *Nullus hunc terror*, etc. Male hæc ita distingui in vulgatis libris contendit Botheus:

Nullus hunc terror nec impotens
Procella Fortunæ movet,
Aut iniqui flamma Tonantis.
Pax alta: nullos civium, etc.

In quibus quo pertineant verba *Pax alta*, nemo facile dixerit: nam quod Gronovius *pace alta* frui vult eum, qui mortem non metuat, mentem poetæ non est assequutus, qui audacter *flammam Tonantis* vocat *pacem altam*, id est, mortem, ut qua in pacem altam dentur homines; quomodo *pax fluminis* legitur apud Florum, IV, 2, et *pax ventorum* apud alios non semel; Ovidius autem dixit in re simili, Met. XI, 623:

Somne, quies rerum, placidissime Somne deorum,
Pax animi, etc.

Et ipse Noster in superioribus mortem appellat, *partum æterna placidum quiete.* Cf. Herc. OEt. 534 sqq. Both.

602. *Hostica aut muros.* Vulgo:

Hostica aut muros populante flamma,
Urbe cum tota populos cadentes.

Sed vett. edd. in his Fern. item Delrius secundum libros suos:

Nun urbe cum tota populos cadentes
Hostica muros, etc.

Quod longe efficacius. Nec scio quo prolubio negationem omiserit Ba-

denius. Gruterus autem, Palatinos haud dubie codd. sequutus, τὸ *Non* quidem restituit, sed ordinem versuum mutavit. Cujus vestigia tacitum premere Gronovium vehementer miror; quumque mihi non constet de Florentini libri lectione, veterem illam verbis numerisque vividiorem postliminio redire jussi. Both.

606. *Qui vultus Acherontis.* Ad verba *Qui vultus Acherontis*, etc. referri omnia media, tanquam ἀπόδοσιν, bene monet Gron.; quo magis mireris, et sententiam eum verborum *pax alta* non perspexisse, et intactam reliquisse tam malam interpunctionem. Sed similiter et infra erratum 621 et 690, ubi τοῖς *muris* et *Attin* finiti sermonis notam subjiciunt; et rursos 674, ubi non subjiciunt. Both.

612. *Raperetis ignes.* Sic MSS. vetustiores cum Grut. at Commel. *raperent.*

620. *Celeremque saltu.* MSS. 8035, 8036, *celeremque saltum.*

625. *Unius noctis peritura furto.* Scriptt. aliqui, *fato.* Grut. cum Lips. et Florent. poetam *furto* scribere debuisse judicant; quod nos recipere non dubitavimus.

627. *Danaumque fatale munus duximus nostra.* Sic libri omnes uno consensu: at Lips. cum Commel. hanc servarunt lect. « Fatale munus Danaum *traximus nostra.* »

633. *Sonuere parmæ.* MS. 8036, *sonuere palmæ.*

637. *Secura metus.* Sic MSS. et edd. veteres. Dat Comm. *secura metu.*

640. *Desponsa.* MS. 8035, *desponsura.*—*Hæmonio.* Gron. *Æmonio.*

648. *Hecube.* Both. cur reposuerit *Hecabe*, vide Troad. 846 suæ edit.

652. *Nostra.* Cai. *Diruta narra.* An voluit *narras?* observat Botheus.

659. *Omnes quas tempus petit.* Explicari utcunque potest vulgata lectio. Videndum tamen de Florentini *petit*, Nic. Heinsii *omne queis tempus patet.* Nobismet ipsis in mentem venit legendum esse *perit*, quæ verba Herc. Fur. 49, et alibi sæpius confusa, et *quis* secundum Heinsium. Decet ejusmodi oratio *duram viraginem* et *patientem mali.* Both.

660. *Ipsæ vestra tam.* Verbo *ipsæ* nulla vis inest, observat Botheus, rescribendumque proponit *isto*, gemitu. Etiam, inquit, hæc vocabula non ita raro sibi invicem offecere.

667. *Nec tu.* Gron. *nec enim.*

670. *Mobile carmen.* Sic pro *nobile* Flor. de quo Gronov. An, inquit, juvat Persius: « Liquido cum plasmate guttur Mobile collueris. »

671. *Ramo cantat tristis aedon.* Lectio vetustior editorum, *querula aedonis*: recentior, *tristis aedon.* Sic Gruterus. At omnium vetustissimam et ipsius auctoris hanc postremam fuisse satis probat Flor. exhibendo: *tristis aedon.* Gron.

673. *Bistonos.* Permulti MSS. *Bistonius.* MS. 8029, *Bistonus.* MS. 6377, *Busconis.*

674. *Residens summis imp. diri.* MS. 8035, « res. silvis imp. duri. » MS. 8024, « residens silvis imp. diri. »

685. *Nido pavidæ. Impavidæ* legit vir doctus in Miscell. Obss. tom. I,

pag. 75, sed refutatus a Dorvillio, qui « Halcyones, inquit, quæ *male confisæ* dicuntur, et *pavidæ* dici possunt. » Sed obstat, dixeris, vox *audaces*. At eo ipso sunt *audaces*, quia, licet « male confidant mari tranquillo, » licet « pavescant, dum concutitur fluctibus nidus, tamen fetus suos fovere pergunt audacissimæ, » id est, *fortes sine felicitate*, ut sæpe apud Virgilium hanc vocem interpretatur Servius. Tum autem maxime queri credibile est Halcyonas, quum nidi fluctuum violentiam maxime experiantur, vel jam ablati sint. Sic Albinovanus Liviam lugentem Halcyonibus raptos a ventis nidos desiderantibus comparat, v. 112:

Halcyonum tales ventosa per æquora questus
Ad surdas, tenui voce, sonantur aquas.

Ubi, sicut hic, tres quatuorve comparationes adhibentur ad ingentem luctum declarandum: quæ displicere, præter poeticarum elegantiarum rudibus, nemini possunt. Sed locum hunc Senecæ vindicare videtur Val. Flaccus, qui eodem modo Halcyonibus *audaciam pavoremque* tribuit. Locus elegantissimus exstat lib. IV, vs. 44, ubi Hercules per quietem Hylam videns, ejus amplexum frustra petit, et his avibus comparatur; quem confer, si placet.

689. *Pectora rauco*, etc. Gronovius: « Lipsius agnoscit de tibia ex buxo hæc accipi posse: tamen occultiorem ritum præire membranas: *Pectora rauco concita buxo Ferit*. Solitos quippe fanaticos pectora sibi tundere pinu aut buxo. Huic amicus hoc reponit, *buxum ferit*, buxeas tibias inflat: sic Stat. sic Claudianus et alii *buxi* vocula usi: buxo illi canebant, sed pinu pectora illidebant. Et sane peccavit Lipsius, quum etiam buxo putavit usos ad tundenda pectora. Sed libens interrogem Senecæ interpretem, ubi legerit *ferire fistulam, tibiam, buxum, loton, avenas, arundinem*, pro inflare? dein qui fistula cantans aut tibia promeruerit, ut ejus pectus *raucum* dicatur? At *buxum raucum*, ut *rauca buccina*, *rauco cornua cantu*, *rauca signa tubæ*. Propert. III, VIII, 23: « tibia nocturnis succumbat rauca choreis. » *Turbam* quidem illam *rauco pectore buxum ferientem* nulla ratio fert: at in illa membranarum toties fidissimarum scriptura possumus intelligere eamdem *turbam* non buxo ferientem corpora concita, sed *ferientem* (pinu nempe) *pectora concita* consternata et in furorem acta *buxo*, seu tibia furiosa, ut Ovid. appellat e buxo: ita tollitur omnis difficultas: et hoc sensit etiam Scaliger. Sed si Florent. audimus, Seneca brachiorum laceratione contentus fuit, pinus impulsum hic memorare prætermisit. Nam super Lips. mutationem pro *ferit* habes *furit*. Quæ turritæ matri furit et bacchatur concita pectora vel mentes buxo. Sic sermo magis est poeticus. Statius: «alium tibi, Bacche, furorem Juravi. » Hoc igitur teneamus. Statim idem: *lugeat Attin*, non *Atyn*. Vid. Not.

692. *Quia quæ patimur v. m.* MS. 7377, « quæque patitur v. m. »

694. *Superos putem*. Sic Flor. Alii, *reor*, litera *r* frequentiore.

701. *Turba fraterni gregis*. Plerique MSS. *t. fratrum gr.*

702. *Regia miseri senes.* Alii, *regia mis. senis;* alii, « regiam mis. senis. » MSS. 8024 et 8030, « regina mis. senis. »

707. *Vultus feros.* MSS. et libri fere omnes, *vultus feroces :* sed male.

725. *Jam Troja cecidit : f. q. v. ago.* Pravam hanc esse lectionem notat Both. et addit : « falsamne vatem dici Cassandram, quæ fuit verissima? ocius distingue post *falsa.* Falsa fuit Troja, i. e. decepta. »

727. *Nox alta, et æth. abditus.* Vulgat. cum Fabric. et Commel. *nox atra.* MS. Coloniensis, « nox alta et æth. abditis teneb. » cui adsentitur vetus interpres.

731. *Inter potentes.* Heinsius male conjecit *patentes,* explicatque nudatas. Nam potentes Deæ sunt formosæ. Propert. II, 4, 28 : « Cynthia forma potens. » Ovid. Met. II, 416 : « nulla potentia longa est. » Eædem Rufino θεαὶ αἱ περίβλεπτοι audiunt Epigr. III, vs. 3. Brunck. Anal. tom. II, pag. 391.

735. *Destricta præfert.* Male *districta* cod. Trajectinus. Vid. Arnzen. ad Panegyr. vett. p. 500.

736. *Amazonium.* Gron. « Delrius notavit olim *Amazonium* legi in omnibus scriptis : sed præterea, *Lacæna ferrum cultu.* Certe et nobis ubique occurrit *Amazonium* non *Amazonio.* Liber optimus : *Lacæna vultu, ferrum Amazonium gerens.* Facies et habitus corporis Laconicus, ferrum Amazonis. »

738. *Colla sublimis jacet.* Ita Flor. Vulgo *vexatus,* et comparat Gronov. quæ leguntur apud Tacit. Ann. VI, c. 40 : « Faucesque jam exanimis laqueo vexatæ. » Tentat quoque *subcisus* Botheum; sed præfert lectionem Etruscam.

739. *Marmaricus leo.* Coloniensis et alii nonnulli : *Marmoricus leo.*

740. *Audacis leæ.* MSS. omnes fere, *audacis deæ.* Absurdum.

747. *Illos lacertos.* MSS. omnes, *fortes lacertos.*

756. *Reserate paulum terga nigrantis poli.* « Novi montium terga, et fluviorum et maris; terga poli seu cæli an recte dicantur, nescio, inquit Both. malimque propemodum : *tesqua nigrantis poli.* Vid. Festus. Herc. Fur. 701, ubi regnum inferorum describitur :

> Sterilis profundi vastitas squalet soli,
> Et fœda tellus torpet æterno situ.

Scriptum fuerit *tesca, terca, terga,* quemadmodum *q* et *c* et *g,* itemque *r* et *s* literæ confundi solent. »

758. *Fata se vertunt retro.* « Revocavi, inquit Grut. lectionem librorum plutei ariorum, immo et patrum memoria editorum. Nam irrepsit deinde : *se volvunt retro.* »

759. *Instant sorores squalidæ. Sanguinea jactant verbera.* De quibus versiculis idem dicendum, quod de Anacreonteis illis Med. 852. Quorum duos quosque in unum conjungunt vett. edd. quas sequuti sumus. Pro *Sanguinea,* absque hiatu esset, a quo prorsus Noster abstinet, legendum arbitrarer *Anguinea.* Med. 947 :

> Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?

Quem quærit, aut quo squameos (vulgo : flammeos) ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? Ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello.

Thyest. 96 :

Quid ora terres verbere, et tortos ferox
Minaris angues?

Quod est ἓν διὰ δυοῖν. Et sic passim pro crinibus et flagellis angues gestare Furias videmus apud poetas. Quanquam et variare Nostro licuit. Both.

762. *Turgentque.* Sic Florent. cum Lips. At MSS. omnes cum Gron. reponunt *Ardentque.*

775. *Ipse se fregit furor.* MS. 8036, « ipse jam fregit furor. »

776. *Ante aras genu.* MSS. omnes, *ante aras gradu.*

777. *Cervice taurus vulnus incertum gerens.* Flor. « Cervice taurus vulnus *incertum* gerens, » ubi vulgati libri : « Cervice taurus vulnus *incisa* gerens. » *Incertum*, id est, non mortale, quali vulnere in terram procumbenti tauro rectius comparatur animi deliquium Cassandra passa, quam tauro, cujus cervix incisa sit proindeque ipse jugulatus. Both.

778. *Agamemnon adit.* MS. 8026, *Agam. redit.*

780. *Et festa conjux obvios.* MSS. omnes cum Commel. « conjuxque pariter obvios. »

781. *Gressus; reditque juncta concordi gradu.* MSS. fere omnes, « Gressus, redit et vincta concordi gradu. »

793. *Precemur.* MS. 8032, *precamur.* — *Herceum Jovem.* MSS. omnes, *Herculeum Jovem.*

797. *Secura vive.* « Rectius fuerit, observat Bothens, *Secura vives*, siquidem hæc pertinent ad prægressa, *ne metue dominam famula;* » et quidquam metuere Cassandram vetat Agamemnon propterea, quod secure, Argis dum regnabit ipse, victura sit.

798. *At magnum tibi est.* Copulam delevi, ut *tibi*, quæ vox est gravissima, plene exaudiatur : quum præsertim τὸ *est* sit in proxima Agamemnonis oratione, quæ cum hac Cassandræ arcte conjuncta est : unde id verbum facile repetatur. Both.

805. *Cuncta pollentis viri.* MS. 8036, *cuncta labentis viri.*

806. *Argolica Juno.* MS. 8036, *Argolici vino.* Lectio mira. — *Pecore votivo.* MSS. omnes, *pectore votivo.*

811. *Imparem æquasti numerum Deorum.* Cantabrigiensis pro *imparem* legebat *impetu :* quod olim monuit Pontanus ad verba illa Macrobii, lib. I, cap. 20 : « Hercules ea est solis potestas, quæ humano generi virtutem ad similitudinem præstat Deorum. » Et statim : « Hercules nimia fortitudine meruit nomen Dei virtutem regentis. » Vox autem *impetu* accipi debet quomodo illud Hercul. Fur. vs. 955 : « Inferna nostros regna sensere impetus. » At Cruserianus lectionem receptam producit, et

explicat de Hercnle, quasi ante enm natum tres tantum, id est, impari nnmero Dii fuerint, Jupiter, Neptnnus et Pluto, qui postmodum, eo nato, pares et æquales redditi.

818. *Pallida Phœbe.* Sic Florent. et Lips. At omnes dant MSS. *candida Phœbe.*

823. *Imposuit senis humero mariti.* Flor. *Imposuit seni collum marita.* Non male. *Relabens*, ipsa scilicet in amplexus mariti. Sic Ovid. Met. XV, 95: « Huc ades: inque sinus, formose, *relabere* nostros. » De conjugali Tithonidis amore classicus est locus Propertii, II, 18, 11:

> At oon Tithoni sperneos Anrora senectam,
> Desertum Eoa passa jacere domo est.
> Illum sæpe sois decedens fovit in ulnis,
> Quam prios abjuoctos sedula lavit equos.

Imposuit collum seni, de more pnellarum amantium. Ovidius, Heroid. XIII, vs. 106:

> nox grata puellis:
> Quarum snppositus colla lacertos habet.

828. *O puer magnum*, etc. MSS. aliqnot et edd. vett. vocem *magnum* non habent.

839. *Duxitque.* Aliquot edd. cum Commel. rejiciunt encliticam, et scribunt *duxit.*

849. *Pectare in media rapi spolium: et sagittis*, etc. « De sagittis Amazoni ab Hercule ablatis, adnotat Gronov. ad h. l. ubiqne silentium. Itaque conjecerat Delrius, *spolium, et sagittis Nube percussa.* Egregie. Gruterus tamen divertere alios ad conjecturas ait, non se: nam et sagittas Amazoni ablatas innuere Nostrum Hercule OEtæo, vs. 972, ubi legit, « Sarmatica et manus Intendere arcum tela missnrnm valent. » Sed ineptissima est illa lectio: nec Herculis sagittæ magis *Sarmaticæ* quam *Persica*, aut *Parthica tela* dici possunt. An alias sagittas non habnit quam ab Amazonibus acceptas? an omnes Scythæ Sarmstæ? tn lege et explica cum Delrio, *sagittis* nnbe percnssa decidisse Stympbalides. Qnæ si mera conjectura esset, dubium nullum relinqueretnr. Nunc sic et Florentinus. »

851. *Decidit cœlo.* MS. 8031, *Cecidit cœlo.*

855. *Crepitante flamma.* MS. 8055, *trepidante.* Restituit Delrius *lamna;* adjuvantque MSS. ejns membranæ Colonienses qnas contulit Commel. Alii sunt, ait Raphel. qui malint *silva.*

862. *Te duce succidit*, etc. Ad hnnc loc. Dan. Heinsius: Scribe,

> te duce dux cadit
> Mendax Dardaniæ domus.

Laomedontem intelligit, qui perjurii sui pœnas sagittis Herculis dedit. Nemo est qui ambigere possit, mox qunm seqnitur:

> Et sensit arcus iterum timendos,

Quæro quis *senserit*. Certè non Laomedon, qui semel tantum, et in prima Trojæ expugnatione: multo minus Priamus, cui tum Hercules pepercerat. Seneca, Troad. 135:

> Bis pulsata Dardana Graio
> Mœnia ferro, bisque pharetras
> Passa Herculeas.

Quare non dubito transponere unum versum, ut hoc modo totus locus scribatur:

> Te duce dux cadit
> Mendax Dardaniæ domus:
> Te duce concidit totidem diebus
> Troja, quot annis;
> Et sensit arcus iterum timendos.

Bis sagittis, inquit, tuis Troja expugnata est: semel quum Laomedon cecidit, nunc quum ipsa. Philocteten enim respicit. Ita utramque expugnationem Herculi tribuit. Et sane, si postrema hæc excipias, vix quidquam in toto hoc choro est, quod non alii tragœdiæ aptare queas; et sic quoque in OEtæo Hercule aut Furente locum dare.

868. *Eheu, quid hoc est?* Ferr. et Cai. *Heu*. Fuisse videtur *Heu heu*, et alterum omissum, more librariorum. Vid. ad Med. 693. Verbis *Quid hoc est?* Cassandra corripit animum suum tristem ac desperantem: quam formulam illustravi ad Thyest. 421. BOTH.

872. *T. cl. n. providæ mentis furor*. « Quid est furor providæ mentis, adnotat Pontanus? aut quomodo esse ibi furor dicetur, ubi mens est provida? bene igitur liber Basini, *pr. mentis pudor*. Negat Cassandra tam unquam sibi clara et perspicua oblata sedatæ et mentis compoti, quam nunc furore licet percitæ. » Sat ingeniosa nobis videtur hæc interpretatio, sed vulgatam retinemus.

873. *Ostendit oculis: video*, etc. MS. 8032, puncto sede mutato, dat, *ostendit. Oculis video*, etc. — *Et fruor*. MS. 8036, *et furor*. Male.

875. *Spectamus*. Gron. « Flor. *Spectemus*. Satis enim dixerat oculis ostendi, et se videre, et interesse, et frui, et nullo dubio falli. Nunc, age, inquit, ne tam gratum spectaculum visus cito prætereat, contemplemur intentæ, et omnem notemus ordinem facinoris. »

877. *Ostro lectus*. MS. 8036, *ostro lætus*.

880. *Corpore*. MSS. omnes, *corpori*.

885. *Venere fata*. Id est, præsens mors Agamemnonis. Sed generalis videtur hæc sententia, cui subjecta specialis est de sanguine domini. Jamque minus commodum *Venere fata*, quasi nondum venerint, quibus eversa Troja fuit, et ipsa vates adducta in servitutem. Quare malim *Vertere fata*. Supra 221:

> Equos et arma classibusque horrens fretum
> Propone, et alto sanguine exundans solum,

Et tota captæ fata Dardaniæ domus,
Regesta Danais.

Et 757 : *fata se vertunt retro.* Mirum, quam sæpe pares numero ductus literarum permixti fuerint in MSS. velut infra, vs. 913, in plerisque omnibus codd. est *concitus* pro *concitos.* Both.

887. *Mortifera... Induta vestis.* Heinsius hoc modo distingui vult :

Mortifera vinctum perfidæ tradet neci
Induta vestis exitum manibus negat,
Caputque, etc.

Hanc distinctionem sequitur Gronovius; sed nos aliam.

891. *Nec penitus egit.* Sic Flor. Mogunt. Herbip. et Ven. Alii, *adigit.* Turbavit librarios præteriti cum præsente conjunctio.

893. *Tentat egressus tamen.* MS. 8036, *tentat aggressus t.*

901. *Exigua male.* Fere omnes MSS. dant *exigua mala.*

904. *Ille jam exanimem petit.* Flor. leg. *exanime*, quod placuit Nic. Heinsio, qui scripsit : « ille jam exanime impetit. »

911. *Fuge, et scelestas.* Vult legi Fabr. *Fuge, scelestas*, ut repetitio fiat eodem tempore.

913. *Hospes quis iste concitos currus ag.* Flor. « Hospes quis iste concitus agit? » Vide supra lin. 5.

915. *Externos times.* In Florentino sic est *times*, ut voluit Grotius, et postulant sequentia. Alii, *fugis.* Sed non probo.

921. *Cecidit.* Libri vulg. et MSS. plerique, *Concidit.* — *Concussum.* Aliquot MSS. et edd. *convulsum.*

924. *Electra, fletus causa.* Omnes MSS. « Electra, luctus causa » exhibent.

932. *Etsi timendum cæsus Agamemnon.* Pro *cæsus* in Florentino est *quid sit.* Hoc vero fluxit ab iis, qui nesciebant quoties participium loco substantivi poneretur. Exempla sunt apud Perizon. ad Sanct. Minerv. pag. 439.

934. *Poscunt fidem*, etc. Dicit Seneca, secundis quidem amicorum perinde fidem deberi quam adversis, sed adversis demum eam agnosci et probari : nam fortunam facile sequuntur homines, at *amicus certus in re incerta cernitur.* Est enim *exigere* nonnunquam examinare, probare, experiri. Sic Ovidius : « Ipsa, quod hæ faciunt, opus exigit. » Epist. Canaces : « Auctorisque oculis exigeretur opus. » Livius, lib. XXXIV : « Nolite ad vestras leges atque instituta exigere ea, quæ Lacedæmone fiunt. Sic Suetonio : *exigere pondus.* Gronov. Et ea sunt quæ jam retulimus in notis. — Hæc etsi non improbo, tamen, quia videntur opponi *poscere* et *exigere*, ita potius enarrem, secundum ceteros interpretes : Felicibus amicis fidem præstare decet ; infelices autem adjuvare plane necesse est viris bonis, tantoque hoc officium majus est illo et sanctius, quanto exigere plus est quam poscere. Vid. not. ad h. l. et in primis Cic. de Amicitia passim, et cap. 5 et 17.

938. *Et ista donum.* Sic Lips. cod. At Gruterus se retinere ait vulga-

tum, *et ista demum*, quum nihil variant Pal. novem, subsitque ei sensus haud contemnendus.

951. *Concedam*. MS. 8035, *conscendam*.

957. *Pietatem doces*. Libri fere omnes conspiraverunt in corruptelam: habent, *Eia tandem doces*: quod etiam per sarcasmum lepide dictum Grutero videtur. Zinzerlingus ex quodam scripto: *Pia tandem doces*: nam τὸ *pietatem* sententiam reddere plane frigidam: quod si retineatur, post id vocabulum notam admirationis ponendam, et τὸ *doces* absolute accipiendum: sic illud fore, ut apud Terentium, *Pietatem gnati?* Nec mutanda, nec frigida est vulgata, sic plane constans in Florentino, et per ironiam accipienda. Quid enim *pietas?* « per quam sanguine conjunctis patriæque benevolis officium aut diligens tribuitur cultus », ut definit Cicero. Nam docet, qui aut tradit præcepta et monita, aut edit exempla ad eam pertinentia. Sic in Phœn. 310: « sola tu affectus potes Mollire duros, sola pietatem in domo Docere nostra. » Cicero ad Quint. lib. II, Epist. 9: « Me, hercule, mihi docere videbaris istius generis humanitatem. » Ubi etiam inepte, *ducere*, Barthius, Advers. lib. XXXVIII, cap. 7. Seneca, Epist. CXIX: « Decipere est istud, docere paupertatem, quum divitias promiseris. » Tu, inquit, quæ talis erga maritum et regem fuisti, audes filiæ præcipere, audes eam docere modestiam erga matrem? Merito hoc facis: ista egisti, ut sis optima pietatis magistra exemplo suo.

962. *Vobis? quis iste est alter*. Inconsulte ac temere fecisse Gronovium vult Botheus, quod ex duobus MSS. substituit *Vobis*. Cavillatur enim Electra verbum Clytæmnestræ *nobis*, ut Mysidis *Vestri* Davus apud Terentium in Andria, IV, 4, 26.

963. *Ut vidua*, etc. In quibusdam MSS. abest hic versus.

965. *Citius interea*. Recte Gronovius: [« Est elegans ἰδιωτισμὸς, *citius* secunda collatione, ut *ocius*, pro quam citissime, statim. (Vide tamen supra ad 404.) Sic in ludo de morte Claudii: « Tum Hercules, Audi me, inquit, tu, et desine fatuari. Venisti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam. » Et infra: « Antecesserat jam compendiaria via Narcissus libertus ad patronum excipiendum, et venienti nitidus, ut erat a balineo, occurrit et ait: Quid Dii ad homines? Celerius, inquit Mercurius, et venire nos nuntia. » Both.

967. *Exiit Mycenas*. Florent. *Extra Mycenas*. Constructio rarior turbavit librarium. Ovid. Metam. X, 52: « donec Avernas *Exierit valles*. » Plura videbis apud viros doctos ad ejusdem Metam. II, 517, et ad Sil. Ital. XII, 188.

970. *Justæ parenti satis*. Flor. *Dixi parenti satis*. Et recte. Id est, ei, quæ gaudere debeat, filium in tuto esse. Infuscavere sententiam correctores male feriati, qui fecere *Justæ parenti satis*, quod scilicet aptius opponeretur sequentibus *at iratæ parum;* quum non intelligerent longe efficacius per se esse τὸ *parenti;* quod miror neque Gronovium assequutum. Sed is omnino infelicior hoc loco, ut qui etiam dubitet, quo per-

tineat depravata Florentini scriptura *auratæ*, de qua cf. quæ nos supra ad 877. Cujus loco membranæ Burdegalenses apud Delrium, *at injustæ*, quæ item existimanda emendatio est ejus, qui invenisset *justæ*, putidamque verborum concinnitatem sectaretur. Neque Electræ sunt verba *at iratæ parum*, ut placere omnibus video; sed gravissime Clytæmnestra et vultuose, ut cum Donato loquar: « At iratæ parum (dixisti). Morieris hodie. » Moriendum ei esse dicit propterea, quod parum iratæ sibi dixerit. Both.

971. *Morieris hodie.* MS. 8029, *Moriaris hodie.*

972. *Jugulo juvat.* Aliquot MSS. *jugulum tibi.*

979. *Ægisthe, gradere.* Gronov. *Ægisthe, gaudes*, et addit: « Putabam ferri hoc posse, ut interrogando significaret illum gaudere atque exsultare frustra, quasi domitis inimicis et re peracta, dum superesset matrique insultaret filia. Sed Etruscus, ut duo Gruteri, *Ægisthe, gradere.* Cujus idem sensus esse potest, qui illius, quod conjiciebat Gruterus: *Ægisthe, adesdum.* Sed hoc comicum est: illud magis tragœdiam decet. Sophocles Ajace, στεῖχε δωμάτων πάρος. OEdipo, 1050: *I, gradere præceps.* Grotius male adscripserat margini, *patere.* »

983. *Etiam monebit.* MS. 8055 et alii, *Et jam monebit.*

991. *Pædore obsita.* Flor. legit *obruta*, et lectionem nostram vult Bothens dictam tenuiter, ut saltem judicat Wakefieldus, hunc locum comparans ad Lucret. VI, 1269:

pellis super ossibus una
Ulceribus tetris prope jam sordique sepulta.

997. *Abripite, famuli.* Melius hoc, quam quod vulgo *Arripite.* Nec aliter aliquot Pall.

1008. *Troicis lueret malis.* Merito contra omnes suos Gruter. probat Lipsianum *lueret;* et ita Flor.

1011. *Jamjam juvat.* Vulgo *tantum juvat.*

1012. *Furiosa morere.* Vulgo *Furibunda morere.* At princeps liber *Furiosa*, quod furere perseveranti convenientius est. *Furiosus* enim, notante Servio ad Virgil. Æneid. II, vs. 407, dicitur is, a quo furor nunquam recedit.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE TERTIÆ PARTIS SENECÆ CONTINENTUR.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS TERTIÆ PARTIS SENECÆ.



